PRAESAGITVRA TEMPORVM
SEV DE PRAECOGNOSCENDIS TEMPORVM MVTATIONIBVS.
IVXTA TRIPLICEM VIAM Cœlestem, Meteorologicam, & Terrestrem.


Libri Tres.

AVCTORE F. PAVLO MINERVA BARENSE
Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magistro.

Opus sanè

Vniuersis personarum ordinibus, ne dum iucundum, & vtile, sed per quam necessarium, Philosophis præsertim, Medicis, Mathematicis, Nautis, Agricolis, &c.

Vbi in tertio, egregiè confutatur opinio de mobilitate terræ.



NEAPOLI,
Ex Typographia Constantini Vitalis.
M. DC. XX.
Superiorum Permissu.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.

D. FR. AVGVSTINO GALAMINIO

S.R.E. CARDINALI DE ARACÆLI NVNCVpato Ordinis Prædicatorum Episcopo Lauretano, &c.

F. Paulus Minerua Barensis eiusdem Ordinis Sacræ Theologiæ minimus Magister, fœlicitatem ab eo præcatur, qui est omnium vera fælicitas.

SI Quis est, aut fuit vnquam (Amplissime Cardinalis) qui vel maximarum virtutum nomine, vel beneficiorum multitudine deuinctus tibi quàm plurimum debeat: is ego certè sum; qui à primis fermè annis ita fælici quadam sorte mihi contigit, vt te ob eximias ingenij, diuinasq; animi tui dotes, summopere semper, & ex toto pectore amare, & venerari cœperim; vnde virtutum tuarum admirator, & cultor, tua etiam in me beneficia experiri meruerim. Nam à facundissimo, & doctissimo ore tuo, tanquàm à cælesti, & perenni quodam fonte concessum mihi fuit haurire præcepta philosophię, omnemq; disciplinam, quæ in nostro pectore omnem ardentem sciendi extingueret sitim. Quibus studijs ego instructus, adiunctisq; Theologicis tanti viri vestigia pro viribus secutus diuino mihi fauente numine, nonnulla per singulos ferè annos conscribere sum conatus partim in lucem ędita, partim si fuerit comoditas, & vita superstes, euulgãda. Inter quæ sunt, quæ ad temporũ mutationes præcognoscendas, pertinent iuxta triplicem methodum, cœlestẽ metheorologicã, & terrestrem. Res quidem periucundæ, & per quam necessariæ. Quas mihi diu cogitanti, cui potissimum dedicare, & nuncupare mallem: Tu mihi primus omnium occurristi (Illustrissime Cardinalis) cui ego nunc perexiguum hoc munus venio exhibiturus, voluntatis certæ meæ sempiternum pignus, & debitę olim seruitutis promptissimum obsequium: vt quod abs te accepi, ad eundem fontẽ redeat, vnde effluxit; vtq; aliqua ex parte me exoneratum tanto quod debeo, meritorum, & gratiarum pondere videar. Debebatur id munusculum iure tibi omnium parenti ob singulares virtutes, quæ in te vndiq; splendent, & veluti clarissimi solis radij in conspectu omnium interlucent. Quasobres Clemens VIII. Pont. Max. bonæ memoriæ, te varijs in locis præfecit inquisitioni hæreticorum, sed præsertim Romanæ tanquam summæ. Et Paulus V. de Sancta Dei Ecclesia optimè meritus, Sacri, & Apostolici Palatij Magistrum esse voluit; tum quasi per gradus quosdam cognitis magis, perspectisq; tuæ vitæ ornamentis, nullo regum aut principum fauore, sed virgula quasi diuina, te verò nec cogitante, nec

† 2 pro-

procurante ad apicem regiminis nostri Ordinis, & Prædicatoriæ familiæ per vniuersum orbem florentissimæ Generalis Magister electus fuisti; & tandem ad Cardineam, qua purpuratus es dignitatem, (quæ Regio splendori æquiparatur) euectus es: in quibus muneribus ita te exercuisti, & exerces, vt nulli vnquam sis secundus futurus. Sic etenim virtutum luminibus effulges, vt omnes te suspiciant, & admirentur. Sed nolo epistolæ modũ in his dicendis excedere: oportet enim longa oratione, & prolixa nimis vti. Quapropter (Illustrissime Cardinalis) te precor, vt me iam ab ipsa adolescentia, tibi notum, deditumq; seruum, ac discipulũ, qui me & laurea decorasti, & in sacræ Theologiæ Magistrum extulisti atque celeberrimæ vniuersitati Neapolitanæ moderatorem, ac regentem declarasti: ita habeas, ita me existimes, qui te imprimis, & præcunctis alijs obseruare, & venerari semper debeam; eaq; me tua causa meditari, & parare oportere, quæ tibi à deditissimo famulo, & alumno deberi, & expectari merito debeãt. Hilari igitur frõte, ac sereno pectore hasce lucubrationes meas tibi consecratas excipere velis: illasq; tu tanquam alter D. Augustinus Ecclesiæ Sanctæ micantissimum lumen, tuo ingenio cognoscere, corrigere, & emẽdare velis: vt sub clarissimi nominis tui clypeo tutius in hominum manus venire, auidiusq; ac libentius, tuo munitæ numine, legi; & gratæ esse possint. Si quid vero mea paruitas valuerit: id totum tuum erit. Interea diutissime valeas, feliciterq; ac sanctissime, vt facis, tui muneris omnia gubernes: expectaturus laborum premia à Christo Domino, qui te ad hoc munus, & elegit, & vocauit, & extulit, quem assiduis interpellabo præcibus, vt Illustrissimã Dominationem tuam diu seruet incolumem, atque amplificet ad Ecclesiæ suæ sanctæ frugem. Iterum, atque iterum Vale.

Christiano, Candidoq; Lectori Salutem.

TANDEM post multos, vsriosq; visrũ anfractus, terrs, mari, aere; igne, cœlo (Deo ter Max. nobis opitulante) ad portum applicuimus (Lector Candide) & vtinam fœliciter. Opus certè ingens, & laboriosum ob rerum difficillimarum tractationem, varietatem, dignitatem, præstantiam. Quid enim præstantius cœlo? Quid admirabilius orbium motu? Quid dignius siderum influxibus varijs? Quid difficilius, quàm illorum naturas assequi? Verum quod officit, illud in primis est, præcognoscere scilicet, quando coitiones, separationes, aspectuíq; Astrorum erunt: quando elementorum alterationes, aeris impressiones, animalium affectus, & propensiones, plantarum passiones, rerum insensibilium accidentia: & ex his omnibus prænoscere temporum mutationes quando futuræ sunt: præsentire scilicet pluuias, ventos, tempestates, serenitates, niues, glacies, grandines, fulgura, fulmina, corruscationes, tonitrua, terremotus, quatuor anni qualitates, veris speciem, æstatis calorem, autumni inconstantiam, brumæ rigorem, & quàm plura his similia: nosse quidem, non modo quibus accidant temporibus, sed & earumdem causas: hoc certè nihil illustrius, nihil vtilius, nihil deniq; pulchrius, ac iucundius, vel inueniri, vel excogitari potest. Sanè futurorum scientia ob excellentiam, cæteris illustrior est: cum futura cognoscere ad Diuinitatem propriè spectet; Vnde futurũ tantum Deo conuenit: quamuis futurum, sicuti præteritum, non sunt in Deo, quia quicquid in eo est, totum est in præsenti æternitatis: nihilominus tamen significantur in eo per verbum, & respectum ad creaturas. Quapropter futurum est in Deo, in nobis, in Angelis & in Brutis, sed inæqualiter. In Deo secundum se, & in se, & id quidem tantum Deo conuenit: in suis causis conuenit nobis, sed plus Angelis ob intellectus acumen, & naturæ nobilitatem, cum sint materiei expertes; nos autem non absq; materia, & intelligere nostrum non est sine phantasmate, & sensuum adminiculo. Vtrobiq; autem diuersimodè, nam in causis necessarijs certitudinaliter, in contingentibus sæpe (opinatiuè tamen, & per coniecturam) in his verò quæ raro contingunt, nullo modo. Bruta quoq; futura cognoscunt, non quia præsens ad futurum computent (cognitio quidem futurorum ex præsentibus, & præteritis propriè rationis est) sed ex naturæ instinctu à Diuino intellectu eis indito, mouentur ad aliquid in futurum, ac si futurum præuiderent. Quandoquidem cum animal sit vndequaque, & omnino sensitiuum, sensus non apprehendit futurum, sed ex his, quæ animal apprehendit in præsenti: appetitus eius mouetur naturali instinctu in aliquod futurum prosequendum, vel fugiendum. Animalia itaq; omnia ferè futura præcognoscunt: quæ nobis quoq; certissima dant temporum indicia; quia non aberrant. Porrò autem ab eis in vniuersum desumi debent, vel à quibusdam eorũ proprietatibus, quæ sunt illorum propria accidentia, quemadmodum Hyppocras in lib. de alimento scripsit: naturas scilicet rerum omnium, præsertim animalium sine doctore doctas esse, & per naturam operari, & citra intelligentiam duci, non cognitione finis, sed natura: quasi summa sapientia præditæ essent; immo has solas non ab errare, & cæt. Quod etiam pressius Aristoteles lib. 8. cap. 12. de Historia animaliũ docuit: animalia scilicet mutationes ad frigora, & calores congenitum, & natiuum sensum habere. Cæterũ, & hanc doctrinam non prætermisit Ptolemæus, qui libro primo de Iudicijs Astrorum cap. 2. scriptum etiam reliquit: bruta animalia (non solum indoctos homines) intelligere temporum, & flatuum discrimina. Indicant igitur nobis animalia omnia fermè temporum mutationes à proprijs eorum accidentibus, & à communibus, vt locorum migrationes, quæ sunt illi accidentia communia. Ex hoc namq; quòd locũ mutent, & de loco in locum migrent, dant nobis profectò signa, tempora mutari. Quare D. Thomas 2. 2. q. 35. art. 7. corp. scribit, quòd per auiũ garritus, & motus, & alias dispositiones possunt futura præcognosci: non sicut per causas futurorum euentuum, sed sicut per signa. Et in eodem opere q. 95. art. 7. in corpore docet, Augurium non esse illicitum in his quæ causantur à cœlis, vel quæ pertinent ad aues, seu ad alia animalia. Et ratio quidem est, cum fiat res naturæ superstitiosi tamen homines ad alia transferentes, aliter iudicant in perniciem animarum suarum. Triplex genus hominum futura naturaliter prædicere potest. Astrologus, Philosophus, Medicus (licet omnes Philosophi) Astrologus à causis remotis, Philosophus à medijs: Medicus à proximis. Astrologus à cœlo, Philosophus à facie cœli: Medicus à facie terræ. Astrologus à motu cœlorum, & cæt. Philosophus à Meteoris: Medicus ab anni qualitatibus; prædicens sanitates, & annuas ægritudines. Hinc habes (humanissime Lector) tres modos prædicendi futura in temporum mutationibus. Primus est cœlestis, secundus Meteorologicus: postremus terrestris. Primus à sole, luna, reliquisq; erronibus, tum fixis, cæterisq;

rebus

rebus cœlestibus desumitur. Secundus ab aeris qualitatibus. Postremus ab animalibus quibuscumq; præsertim ab homine, à Plantis, tum etiam à rebus vita carentibus. Quòd si dixeris, prædictiones hasce sæpius falli, quemadmodum, & cæteras astrologicas, & medicas: respondemus id non prouenire à fallaci scientia, verum vel à rebus, vel ab intellectu: à rebus ob materiæ scilicet excellentiam, atq; nobilitatem, ob rerum Astrologicarum, Meteorologicarum, & medicarum difficultatem, ob varietatem mixtionum configurationum cœlestium; & tandem, quia priscorum, & recentiorum obseruationes non conueniunt adinuicem. Porrò autem ab intellectu secundò id prouenire potest, quia artifices, & scientifici sunt negligentes, imperiti, tardi ingenio, intellectu obscuri, & cæt. Negari itaq; minimè potest, per Astrologiam præcognosci posse mutationes, quæ fiunt per aeris transmutationem, & in mutato aere ambiente: & per philosophiam meteora omnia, & æstus, & temporum mutationes: & per medicinam sanitates, & annuas ægritudines, ab anni qualitatibus depromptas. Vniuersa Astrologia, & Philosophia simul huic suffragatur. Verum & sancti Doctores testantur, elementorum ordine, & consonantia, atq; alteratione, posse sereni dies, & pluuij præsnosci, & quod necessariæ sint humanæ vitæ siderum coniecturæ, dummodo quis vltra mensuram non perquirat eorum iudicia. Et quòd deceat nonnulla de pluuijs futuris percipere, plura quoq; de æstibus, & impetu ventorum, vel particularibus, vel vniuersalibus, vel violentibus, vel leuioribus. Et quòd ex eorum coniecturis magna commoditas vitæ præstetur: Cum interfit nautæ procellarum pericula prognosticari, viatori aeris mutationem, colono fructuum copiam. De quibus omnibus legendi sunt etiam sancti Doctores, præsertim D. Hieronymus. D. Ioan. Chrisostomus, & D. Thomas super Matthæum, c. 16. D. Basilius super Lucam, c. 12. Homilia 6. Venerabilis Beda, Magnus Albertus super vtrumq; caput, & alij. Verum S. Doctor egregiè (vt solet) illud Matthæi 16. præreceitati capitis, scilicet facto vespere, & cæt. ad literam explicans, docet: quòd ex aliqua dispositione poterant (nempè Iudæi) cognoscere signum serenitatis, dum saluator noster dixerit eis, facto vespere dictis serenū erit, rubicundum est enim cœlum: & tempestatis; quia dicitis, rutilat enim triste cœlum, quia tristitiam designat: aere enim turbido existente, non sunt homines ita læti, & cæt. Affert deinde ex Aristotele rationem, & doctrinam, cur rubedo serotina sit serenitatis signum, non nisi certè ex diffusione radiorum solis super vapores. Quippe qui cum abundant, radij penetrare minimè possunt. ideoq; in aere nigrum colorem consurgere, necesse est: porrò autem subtiles, penetrant. Cū verò dominatur quod est igneum: rubeum colorem cerni, par est, vt in flamma: quandoquidē cum magis eleuatur, magis in ea rubedo apparet: & ob id significatur, vapores non abundare; ergo significatur serenitas: At verò si manè resoluitur aliquando in rorem, aut pluuiam, signum est tempestatis. Hanc doctrinam si inspexisset Federicus Bonauentura non ita leuiter illam Magni Alberti de rubedine matutina, & serotina reiecisset annot. 6. in lib. Theop. de Ventorum signis: cum sit Thomisticæ simillima, quinimò peripateticæ. Sed de his alias, vt in secundo huius cap. 4. monuimus.

Cæterum, vt singulorum librorum intentio magis perspicua fiat, admonendus est circa primum humanissimus Lector, ne miretur primò, si in Astrologicis monimentis, Arabum, Ægyptiorum, & similium sententias etiam retulimus pro temporum mutationibus dignoscendis: quamuis enim multa alia afferant, quæ experimentis minimè hodie congruunt: non ideò sunt spernendi, & reijciendi (nisi in his, quæ manifestam continent contradictionem) Nam Ptolemæus ab his desumpsit, reijciens ea, quæ tunc sibi videbantur reijcienda. Quòd si in Ptolemaicis experimentis persistere voluerimus, aliqua etiā ex illis māca cernuntur: idq; ob motuum varietatem, & locorum stellarum mutationē; ac propterea obseruationes vtrobiq; diuersæ. Fatemur tamen multa ægyptiorum obseruationibus congruere, pleraq; ex eorum doctrina euentibus correspondere circa temporum qualitates: è conuerso iuxta Ptolemæum aliqua deficere. Pertinet itaq; ad Optimum artificem priora non spernere, sequentia verò animaduertere, atq; amplecti; & melius est, rem iuxta duas vias obseruare, & assequi: quam iuxta vnam. Secundo in doctrina, & methodo Hieronymum Cardanū sequi voluimus, quia postremus scripsit, quamuis rem non plenè attigerit, causis iam prærecitatis, quæ sunt cunctis artibus, & scientijs communes. Tertiò in supputationibus fixarum iuxta longitudinē vtramq; viam amplexi sumus, nempè Alphonsinam, & Copernicā; vt studioso nihil deesset. In illarum ortibus, & occasibus, & cœli mediationibus supputationē dumtaxat copernicā: quā Io. Antonius Maginus vir Clarissimus, & de cœlestibus optimè meritus decreuit, & statuit. Tychonicam in dies expectamus, quoniam diuersa à Copernicea videbitur, & absoluta fiet: cui certè fidendum est magis; etsi ipsa cum tempore emendatione etiam indigebit. Fatemur quoq; aliquos errores in supputationibus tabularum irepsisse, sed corrigendos relinquimus diligenti Mathematico: præsertim in Tabulis ortuum, & occasuū, & cœli mediationum fixarum. Verum in prima, quæ ad longit. 40. supputata est, irrepserunt aliqui: non nisi

impref-

impressorum inscitia, negligentiaque ob Authoris absentiam à Ciuitate Neapolitana. Isq. manifestum fit ab originali, vbi non solum numeris aliquos dereliquerunt, numerum alium pro alio ponentes, sed lineas, & versus integros fixarum: quæ omnia, completa editione inspeximus, magna ira in Typographum. Volebamus correctas iterum edere, sed amicorum consilio abstinuimus: nonnisi, quia præmanibus habemus tabulas, quantocius in lucē edendas, ortuum, & occasum cum cœli mediationibus fixarum ad Polorum altitudines, 37. 40. 42. 45. 48. 50. 54. 56. 60. conditas cum obseruationibus priscorum, etiam Ptolemæi, à Federico Bonauentura latinitate donatis. Quæ tabulæ à 1620. initium sumūt, cum regulis, per multa annorū spacia duraturæ. In secundo libro non omnia meteora tetigimus, sed illa certe, ex quibus temporum mutationes dumtaxat desumi possunt. Horum prognosticationes certiores sunt primis iuxta Ptolemæum in centiloquio, qui aeris impressiones secundas stellas vocat: dicens, Prognosticator certius prognosticatur ex stellis secundis. Vocat quippe stellas secundas meteora, quia vt plurimum ita cernuntur: quemadmodum Cometæ, qualitates igneæ, & cætera visa. Cur autem certius? nonnisi ob maiorem euidentiam, & ad nos propinquitatē. Similiter in tertio animalia illa annotata sunt: quæ temporum qualitates nobis indicant. Fatemur tamen plera q. inueniri, quæ aeris alterationes præsentiunt: at vero, cum in Græcis monimentis magna pars horū sit amissa, atq; deperdita non sine maxima doctorum virorum iactura, & philosophiæ iniuria, non potuimus viris in hac parte doctissimis, ex voto satisfacere. Dum sub Typographo Tertius liber in calce succumberet R. A. P. Magister F. Cornelius de Tirbosco plurimarum virtutum ornatissimus monuit, apud Bibliopolam Neap. vidisse Augustini Niphi libellum ad præsentiendas aeris qualitates ex rebus varijs, quem libellum ab annis duodecim semper desiderauimus, nec tamen habere potuimus, quia iam philosophus celeberrimus à nobis citatus fuisset, vt alij. Vidimus tandē, inspeximus, legimus: pauca, & si scribat, omnia ferme à nobis iam adnotata erant. Admonitum deinde volumus Candidum Lectorē, si in digressionibus aliquid inuenerit, quod cōtradictionem inuoluere cernatur: maturo in primis iudicio singula discernat, nec damnet, nisi sit res manifestissima: secundo animaduertat, huiusmodi capita non esse quæstiones, sed quasi textus. Obiecit nobis P. Magister F. Donatus Caserta harum rerum curiosissimus, contradictionem se legisse lib. 1. cap. 16. cum scripsimus, Veneris eleuationem supra Saturnum in Tauro siccitatem influere, quamuis pluuia multa: hæc enim implicant: nam si magna pluuia, nequaquam siccitatem; sed humiditatem influere sequitur: quod si siccitatem fateri in pellimur, non vtiq; magna pluuia. Sed statim respondimus eleuationem hanc, quo ad Constitutionem eius generales, primò, & per se siccitatem influere: quo ad aliquid verò particulare, & per accidens magnam pluuiam. Habemus quidem in æstate exemplum, cuius constitutio generalis calida, & sicca certè est: Verum, quod magnæ fiant, aliquando pluuiæ, corruscationes, & tonitrua, & similia, & c. hoc profecto particulare quodam est, per accidens, & secundariò, non primò, & per se. Obiecit deinde, id explicari debere: respondimus huiusmodi capita non esse quæstiones, sed quasi textus; ac propterea ingeniosissimi Lectoris iudicio relinquendum, vt explicet.

Amplius sciat prudens Lector me, in hisce digressionibus non personas, sed opiniones refellere, nisi quis sit hæresis labe infectus: quoniam tunc nominabitur, vt Diabolus in scripturis, & Pilatus in symbolo. Hæreticorum nomina à libris expungenda sunt penitus, vt quemadmodum deleta sunt de libro viuentium in cælo, ita deleantur de libro viuētium in terra: & eorum memoria pereat cum sonitu, quia Dominus in æternum permanet. Citauimus Petrum Ramum in tertio, quem etiam oppugnauimus, quandoquidem in grammaticis defecit, quomodo in scripturis & in rebus fidei non deficit? omnis scientia absq. Deo ignorantia certè est, & omnis, sapientia, stultitia. Idcircò omnia à nobis edita, & in posterum edenda, siue Philosophica; siue Theologica, aut alia cuiusque generis S. R. E. correctioni humiliter submittimus. Tandem te rogamus humanissime lector, vt cuncta boni consules. Vale.

ADMODVM R.P.F. PAVLO MINERVAE BARENSI, PRAEdicatorum Ordinis, Theologo præstantissimo, omnique scientiarum Genere ornatissimo.

Ioannes Iacobus Summontius Philosophus, ac Medicus Neapolitanus. S.P.D.

SCientiarum Omnium Inuentiones, ac Constitutiones ea lege, proditas esse à priscis monumentis habemus (Paule Doctissime) vt nascentibus in dies hominibus; Ipse quoq; incrementa suscip erent, atq, haberent; quod licet in omnibus meridiana luce clarius emicet, in ea attamen, quam inter homines versari aiebat Cicero, illam scilicet futurarum rerum præsensionem, quam Chrisippus vim quandam esse cognoscentem, videntem, atq; signa explicantem, quæ hominibus portenduntur à Dijs exarauit quam maxime perlucet, nam vt illos, qui præmiserunt eam omittamus à Prioribus decantatos, temporis attamen iniuria fere sepulta visa est; Verum hodie ope tua tantum extulit caput.

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Sed non profectò mirum, nam haud ex alio, quam è Mineruæ pectore, poterat emanare; Quid enim Minerua nisi disciplinarum Dea, Quid inquam olim ethnici pro sapientia ponebant nisi Mineruam? ad quid ex Iouis Cerebro prognata illi esse voluere Poetæ, nisi vt humanarum Disciplinarum, humanum non esse inuentum ostenderent, sed ex Iouis cerebro inexausto scilicet Diuinæ sapientiæ fonte ad mortalium vsu esse depromptas. Non immerito igitur Mineruam à monendo dictam volunt, quod recte præuidendo moneat & tu à Mercurime Paule hodie illustribus, ac perspicacissimis laboribus tuis non ne futuras temporum mutationes contemplando, & præuidendo mones? Felicissima igitur hæc nostra tempora haberi possunt quòd tali gaudeant Homine, qui Mineruæ cognomen sortitus, mouere videtur.

Quæ sint, quæ fuerint; quæ mox ventura trahantur.

Maximam igitur ac immortalem laudem his laboribus es assequutus, cum te vnum hęc nostra tulerit ætas, qui de hac rè ita eleganter, doctè, ac distinctè, scripseris, vt omnes obstupuerint, ac ingenti admiratione detineantur. Sed ego inter cæteros, præcipuè in euertenda opinione de mobilitate terræ, physice, mathematice, & theologice, opusculo quidem (vt dicis) verè fictitia, & nostris peripateticis, vt optimè nosti, absurdissima admire delectatus sum. Eia igitur (vt cæpisti) perge, ac Mineruæ officinam (quod tuum est) semper in dies iuuare, augere, perficere, ne desistas; Vales, & me (vt soles) ama. Ex ædibus nostris Calendis Nouembris, à Virgineo Partu A. 1608.

A D A V T H O R E M.

Joannis Iacobi Summontij Philosophi, et Medici Neapolitani

E P I G R A M M A.

SEdibus æthereis, ò vates esse Mineruam
Dicitis, ast vobis maximus error inest.
Hic est in terris, alias non incolit oras
Has nisi terrenas, quas habitare patet.
Non ne Minerua docet, quæ sint ventura sub orbem
Qualia sint etiam tempora, quique dies.
Astrigero quicquid faciant vaga sydera Cœlo
Quid ve boni efficient, rite Minerua docet,
Instruit ardentem vt valeas vitare leonem,
Vt que sit æstiuo tempore Cautus Homo.
Quæ sequeris prudens ardenti sole cauebis,
Infani rabies est fugienda Canis.
Errorem vates igitur deponite vestrum,
Et datelleritiæ signa. MINERVA. Vale.

Eiusdem, Ad Eundem.

LVce modò obscura tempus, modo luce serena
Ridebas sortem nocte, atque Hominum.
Vna Minerua malo huic poterat Dea docta mederi,
Demonstrans varias scilicet vnde vices;
Fecit, & in lucem Doctum dedit illa libellum,
Vnde tuos poterit noscere quisque iocos.
Ridebas Hominum, tempus variabile sortem,
Parce, tuam potius iam, modo flere potes.

DE PRAECOGNOSCENDIS TEMPORVM MVTATIONIBVS

IVXTA TRIPLICEM VIAM COELESTEM, Meteorologicam, & Terreſtrem.

Liber Primus.

AVTHORE F. PAVLO MINERVA BARENSE ORDINIS
Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſtro.

Animaduerſiones ad dignoſcendas aëris qualitates, Temporumq; mutationes iuxta viam Cœleſtem.

CAP. I.

PROGNOSTICON de temporum mutationibus inter cæteras nobiliſſimæ ſcientiæ aſtronomicæ partes, quæ in futuris prænoſcendis verſatur, quò ex ſe, amabile, & iucundiſſimum eſt: eò magis arduum, & difficillimum cognitu perſpicitur: tum quia ſtellarum configurationes, atque congreſſus non reuertuntur, cęlorumque configurationes noſtris temporibus non ſunt ſimiles: neque eſſe poſſunt antiquis, quarum ſimilitudine ars ipſa confecta eſt) quam ex coniectura illam aſſequimur) tum quoque cum non ex vno pendeat principio, veluti coniectura alicuius initij, vel geniture, vel conuerſionis, vel interrogationis, & ſimilium: ſed ex multis cum oriatur capitibus, difficile quidem reddit iudicium, ambiguumque. In primis nanquè perpendenda eſt Saturni, ac Iouis coitio in quo Zodiaci ſigno, & parte accidat: & cum quibus ſtellis ſiue fixis, ſiue erraticis commiſceatur: & quæ loca eo temporis momento duo cæli lumina occupauerint, hæc dubio procul ſequentium viginti annorum erit generalis diſpoſitio: Deinde conſideranda eſt ſolis reuerſio ad punctum illum in quo duo illa ponderoſa ſidera ad vnguem coierunt cum congreſſibus aut deliquijs. Tertia conſideratio eſt ſolis ingreſſus in quartas anni, nempe in earum initia, & primò Arietis, cum ſit caput cæterorum, & verni temporis æquinoctiale ſignum: incipiuntq; dies manifeſte augeri, cum antea duodecim horis minores eſſent. Secundò Cancri, vbi ſit æſtiuale Solſtitium: quia Sol ſtare videtur, incipiuntquè dies decreſcere, ſed non manifeſtè. Tertiò Libræ, quod eſt ſignum itidem æquinoctiale æſtiui temporis: vbi manifeſte dies decreſcunt. Quartò, & vltimò conſiderandum eſt Capricorni initium, vbi bruma incipit: ſitquè in eo Solſtitium Hyemale, dies vero non ita apertè augeri cernuntur: quamuis reuera augeantur. Quarta autem animaduerſio eſt in Solis ingreſſu, in initia ſignorum æquatoris, & ſolſtitiorum, quod ſignum aſcendit, ac què illius pars. Quinto videndum eſt, Planetarum radij, cum Luna, & Sole quales ſint, aut fixarum corpora cum ipſis iuxta longitudinem, aut in angulo coaſcendentia, nam qualis erit in orbe duorum luminum locus

Præſagia mutationum temporum difficillima cognitu.

Prima animaduerſio circa temporũ mutationes prænoſcẽdas

Secunda animaduerſio.

Tertia conſideratio.

Quarta animaduerſio.

Quinta conſideratio.

Sextum animaduertendum. talis certè erit trium mensium interceptorum dispositio inter punctū, & punctum quod etiam animaduertit Cardanus in suo supplemēto Almanac. Sextò animaduertes partem horos copantem coniunctionis, vel præuentionis in Annuis mundi reuolutionibus: hoc est luminarium coniunctionem, vel oppositionem: quæ de illis proximius præcesserit solis ingressum in aliquod punctorum signorum cardinalium, vt iam dictum est: sed præsertim in Ariete; ab hoc enim totius anni qualitas iudicatur. Septima cōsideratio. Septimò considerabis reliquas luminarium coniunctiones per totam illam Anni Quartam: si synodus proximior fuerit, vel plenilunia, si oppositio: qualis enim fuerit luminaris status supra terram oppositionis tempore, aut amborum luminum ad in errantia sidera, ad erraticas, ad mundum; aut errantium inter se; præsertim in tetragonis; Talis certè erit status illius mensis vsque ad reditum; Octaua animaduersio. Octaua consideratio est congressuum errantium siderum inter se & cum Luna, quandoquidem cum ad ea loca Luna peruenerit, aut ad horoscopantia signa: tunc vtiquè sequetur effectus. Nonum animaduertendum. Nonò diligenter intuendus est solis ingressus in signis octauę sphęrę: ad quę cum accesserit, varias diuersasquè temporum mutationes excitabit. Decima cōsideratio. Decimò videndum est, Luna in qua signi mansione eo tempore, in Annua scilicet conuersione, & quarta reperiatur; ac singulis diebus quoq; constat enim vigintiocto esse Lunæ mansiones. Vndecima animaduersio. Vndecimò considerandæ sunt partes aëris, seu temporis à quibus stellis accipiantur, tàm in Annuis reuolutionibus, quàm in mestruis, & per diem, atquè noctem: & à quibus proijci debent. Duodecimū adnotādum. Duodecimò ad notanda sunt signa humida quæ sint, & partes quoquè signorum humidæ: valet enim id quàmplurimum ad futuras pluuias prognosticandas. Tertiadecima consideratio. Tertiodecimò considerandus est Lunæ ingressus in aliquibus signis qua hora planetarum expletur. 14. animaduertendum. Quartodecimò consideret prudens mathematicus ventorum qualitates: hoc enim, Ptolomeus magnifacit, securiorem nāquè habebit prognosticationem. 15. animaduersio. Varia regionum dispositio. Quintodecimò examinet variam regionum dispositionem, ac situm: num sit Borrealis, vel Australis: num Montuosa, conuallis, aut campestris: videbit enim in eadem regione hic serenitatem, illic pluuiam; eodemquè ferè tempore, & paruo loci interstitio, sub eodem hemisperio hic æstus intensos, illic glacies, & niues: calidissimisquè, ac frigidissimis regionibus siccos, vel humidos ventorum afflatus, frigidissimis temporibus, & calidissimis quoque parum, vel raro pluere. Quod si adiunxerit nimiam caloris, frigorisue accessionem, vel nubes prohibere, aut diuidere, aut cito dissoluere; omnibus quoquè supradictis maturè consideratis, iudicium proferet securius: quoniam non omnia secundum virtutem, & agentis qualitates tantum, præsagienda sunt, sed iuxtà quoquè suppositi, seu materiæ, & loci dispositionem. Aeris qualitates præsagiendæ, etiā iuxta loci dispositionem. Eadem namquè constellatio sub qua plures nati sunt, quosdam reges facit, plures autē seruos. In Ethiopia nigros procreat homines, in Septentrione albos, & flauos: alicubi autem medios: in vna regione ad arma procliues, in altera otio deditos. Itaquè non solum iuxtà causas remotas rerum præcognitio, præsertim mutationis temporum præsagitura venanda est: sed iuxtà etiam causas propinquas, sic igitur & astronomicæ regulæ, & cælorum Apotelesmata accipienda sunt, primò a cælorum in fluxu, secundo à suppositorum, seu materiæ, vel loci dispositione: his enim ducibus non longe à veritate ab erit prudens mathematicus in iudicando. 16. consideratio. Sextadecima animaduersio est adnotare lunæ cardines, quæ sunt duodecim: multum ætenim valent ad dignoscendas particulares temporum mutationes. Decimūseptimum adnotandum. Decimaseptima est adnotare solis in ambulationem per duodecim signa Zodiaci octauæ, & nonæ etiam Sphæræ. 18. obseruatio. Decimaoctaua est prospicere sigillatim siderum inerrantium ortus, occasus, cæli mediationes, etiam subtus terram: vel per se, vel cum erraticis, & reliqua illarum accidentia inferius explicanda.

explicanda. Decimanona animaduersio erit, stellarum etiam fixarum naturas attentè indagare: atquè earum habitudines ad solem; plurimum enim ad præcognoscendas aeris qualitates faciunt: nam manifestè videntur tempora mutari ex ipsarum cosmicis, achronycis, & heliacis ortibus, & occasibus. Sunt & aliæ animaduersiones obseruatione dignæ: verum cum virtualiter in prærecitatis includantur, & in proprijs digressionibus de illis fiet quoquè mentio. Vigesima consideratio est circa luminarium ecclipses, defectusquè nedum instantis anni, sed præteriti, quæ ante solis ingressum in puncta cardinalia occurrerunt: si suos effecerint effectus, an non? & quando, & quomodo, & quales. Vigesima prima est, diligenter perpendere stellarum fixarum habitudines ad singulos horizontes, quæ, cum sint variæ, atquè diuersæ, fit, vt singulis terræ locis singulæ accidant, & peculiares ventorum, ac tempestatum vices: quæ sæpè ad statos redeunt dies, & remitti, atquè intendi solent ob diuersos erraticarum respectus, quæ & variantur statutis seculis ob inerrantium stellarum motum. De his itaquè hactenus; vnicam tantum addendam arbitramur rationem, quæ dubio procul est inter omnes præcipua, & erit postrema consideratio, quæ est, quòd pro maiori parte eorum quæ dicta sunt; erigendum est schema cæli, ex cuius inspectione proferes, quę ventura sunt circa temporum mutationes. In vniuersum tamen, vel ad minus octo cæli schemata conficienda sunt: duo pro vere, alterum quidem pro luminarium congressu adinuicem, si talis præcesserit solis ingressum in Ariete, vel pro opposito eorumdem, si oppositio præcesserit: alterum vero in ingressu solis in punctum Arietis. Duo rursus pro æstate, vt de vere dictum est, nempè alterum pro vtriusq; luminis congressu adinuicem, si talis præcesserit solis ingressum in Cancro: vel pro opposito eorumdem, si tale præcesserit: alterum autem in ingressu solis in solstitiali signo. Amplius duo alia pro Autumno, & duo reliqua pro Hyeme erigenda sunt, vt de vere, & de æstate dictum est. Porrò vniuersa hæc, quæ pro tulimus, supponunt in primis quatuor anni temporum theoriam, vt scilicet ver perpetuò sit calidum, & humidum, æstas calida, & sicca: Autumnus frigidus, & siccus, Bruma vero frigida, & humida. His deinde naturis conferre debet prudēs mathematicus considerationes alias, atquè subtili indagine perpendere, si in intensionibus, & remissionibus illis congruant, vel repugnant: nam iuxtà stellarū robur, vel imbecillitatem in testimonijs quatuor qualitatum, sic erunt, & præsagia tēporum, & tēpestatū euentus. Hęc ex Ptolomaica lectione secundi lib. Apotelesmatici cap. 10. clarissimè habentur. Vide igitur, quàm difficillima sit certa futurę aereę qualitatis præcognitio inter cæteras astronomiæ partes, quę in prognosticādis futuris versatur, cum a pluribus pendeat principijs, & non ab vno tantum, Pedetentim igitur in hoc tam difficili negotio, & maturè à nobis procedendum est; quantum nostri ingenij imbecillitas patitur, & rei ipsius difficultas suffert.

19. animaduersio circa ortus, & fixarum occasus cosmicos, achronicos, & heliacos.

Vigesimū ad notandū circa eclipses.

21. considera tio circa fixarum habitudines ad orizontes.

22. & postrema animaduersio de erigenda cæli figura.

Cæli schemata quot, & qualia erigēda sunt.

Anni tēporū qualitates.

Indorum sententia de temporum mutationibus, aerisque qualitatibus. CAP. II.

IN orientalibus regionibus valde floruit rerum cęlestium peritia, præsertim in Aegypto, & locis adiacentibus. Quippe quæ regiones sunt absque montibus, vbi maxima conspicitur planities: cæli status semper serenus, hominesquè natura curiosi, ac propterea ad cælestium motuum obseruationes, & isti prompti; & illæ aptæ. Ideo artificiali scientia rerum naturas, atquè præsagia intellectuali speculatione subtiliter cernere indi conati sunt iuxta nimiam sagacissimi

Rerum cælestium peritia in Ægypto.

simi eorum ingenij flagrantiam; sed de temporum mutationibus præsertim multa obseruarunt, & posteritati tradiderunt. Annuales itaquè pluuias ex duorum luminum coniunctione, vel oppositione, quæ solis ingressum in Ariete præcedit, vaticinati sunt. Ita vt erecta cæli figura, si Luna tunc Saturnum aspiciat, amboq; humidum signum occupauerint, ac Iouis aspectus minimè interfuerit, constellatio illa atras quidem nubes, leuesquè pluuias, sed durabiles causabunt. Si autem Mars locum illum aspexerit: tonitrua, lampades, & fulgura excitabit. Quòd si leuiores planetæ, puta Venus, & Mercurius Saturnũ aspexerint: augebitur pluuia, durans sine intermissione. In annua itidem reuolutione si tres inferiores stellæ erraticæ loca humida occupauerint: pluuiæ redundabunt: quod similiter in illarum partibus eueniet. Praxeos autem erit, si hora coniunctionis, vel oppositionis duorum luminum, quæ æquinoctium vernum antecedit, partes acceperis: tunc perspice loci dominum, ac vbi terminabitur resultans numerus, ita pronuntiato. Verum quod addunt, hoc est, si Mercurius in sua domo propria fuerit, accipi debere suosmet gradus proijciendos vt supra, pace illorum id impossibile iudicamus: cum eo tempore Mercurius vel pisces, vel Arietem obtinere potest. Nam dictum est obseruari debere coniunctionis, vel oppositionis horam luminarium: ingrediente sole in primum Arietis punctum. Qui igitur fieri poterit, vt tunc temporis Mercurius in domo propria reperiatur, cum domus sua diurna sit Geminorum signum, nocturna verò signum virginis, sua quoquè exaltatio? At primum regnat in mense Maij, & Iunij: secundum in mense Augusti, & Septembris. Nam supponitur, sicuti de facto est, Mercurium à Sole non elongari posse citra tricesimum gradum: quinimò multo minus. Mercurius etenim matutinus vltra viginti, & octo partes, scrupulaquè triginta septem: Vespertinus viginti, & septem partes, ac triginta septem quoquè scrupula à sole non discedit: vt in sua Theorica videri poterit. Non igitur in domo propria Februarij mense, vel Martij Mercurius esse poterit. At fortassis in æstiua sectione, & autumnali, vel parum ante, & post intelligunt. Porrò facilè id tunc esse potest: cum Mercurius, vel Geminos suam diurnam, domum, vel virginem suam nocturnam, vt dictum est, & exaltationem, perambulare possit. Et quidem sic intelligunt. Nam mundum cæptum autumant Indi (quemadmodum orientales omnes) in æstiuo æquinoctio; vnde & in Autumno annum inchoabant, sicuti Chaldei, Persæ, & Aegyptij. Occidentales verò à verna sectione, Athenienses, & Græci à solstitio æstiuo: Romani ab Hyberno, Arabes ab ingressu solis in leonem; vt Solinus, & Maternus libro tertio scripserunt: & nos in de Neomenijs Salomonis libro primo capitibus 13. & 14. Obseruant itaque solis ingressum in primum libræ punctum: ex quo totius anni qualitates desumunt. sic igitur suum habet locum de Mercurio sententia: quòd si in propria domo fuerit & cæt. qui dubio procul potest esse vt plurimum in virgine, quæ est domus sua, & (vt dictum est quoquè) sua exaltatio. Verum hæc opinio non est apud eos vniuersalis, & illorum pleriquè ex solis ingressu in primum Arietis punctum totius anni qualitates vaticinantur. Quamobrem tunc temporis Mercurium in domo propria posse esse, nescimus profecto qua nam ratione id fieri posse. Porrò si certius temporis mutationem ex partibus sub trahendis, & proijciendis desideras, vtere alia parte: quæ quidem in die à Venere in Lunam accipi, par est, de nocte è contra: quam ab Horoscopo proijcies. Quæ si in loco humido ceciderit, pluuiæ abundabunt, & è regione. Cumquè Luna vel Venus locum illum occupabunt: pluet. In annua reuolutione si Luna Venerem, aut Mercurium, vtrosque Solem præcedentes aspexerit: in anni initio erunt pluuiæ: si verò Solem sequuti fuerint: erit oppositum. Quod si Mars in Scorpio tunc Venerem aspexerit, pluuiæ

Marginal notes:
- Pluuias annuales vnde vaticinabant Ægyptij.
- Indorum sententia quędã reijcitur.
- Mercurij propriæ domus.
- Mercurij elõgationes à sole.
- Mundi inceptio iuxta diuersorum sententias.
- Certior temporis mutatio ex partibus sub trahendis, & proijciendis.

pluuiæ abundabunt: quamuis aspectu, ratione signi proprij, abundantiam ciet pluuiarum; idem quoquè in Ariete efficiet. In domo autem Saturni parum pluit: in alijs cum mediocritate aliqua. At Sole tropicum signum intrante, si in humido Venus existat, Lunamquè in humido quoquè commorantem signo aspexerit: magnas excitabit pluuias; Quòd si Venus in humido fuerit signo, erit aeris temperies. Sole verò Arietem, vel Taurum perambulante, retrocedente Venere, pluuiosum valdè erit Ver. Quòd si Soli ab initio brumæ vsque ad finem Arietis, errans stella retrograda iungeretur: siccitatem futuram indicat: si duæ, conuenientem humiditatem, si tres, augebitur humiditas: si quatuor, maximam aquarum abundantiam demonstrat: superioribus autem id per aspectum accidit. In quarta Autumnali si erraticæ simul cum Sole retrocedant, in hyeme verò dirigantur, vbiq; locorum siccitas erit maxima. Sol in æstate in terminis Martijs calorem auget, in hyeme, & vere siccitatem. In æstiua sectione si quinque errones in consequentia procedunt, æstas temperata erit: si in præcedentia, erit calida. Horum autem ratio nulla alia assignari potest, nisi quòd directi infrigidant: retrocedentes calefaciunt; quod etiam euenit, dum sunt in eccentricorum suorum apogæis: tunc enim minus calefaciunt; dum verò ad perigæa eccentricorum, & epyciclorum, magis calescunt; sed de his inferius. Duæ inferiores erraticæ in quarta autumnali combustæ, frigus influunt, & humiditatem: in hyemali, ventos meridianos, & nubila: in vernali, nebulas: in æstiuali, tonitrua, & caliditatem: quod etiam de tribus superioribus intelligendum est, sed non æqualiter. Sole decimam octauam Scorpij partem intrante, Venere autem per aqueum signum tunc deambulante: pluuiæ erunt maximæ. Sole in Capricorno, Aquario, & piscibus existente, si Venus contra signorum ordinem, & orientalis processerit: in hyemis initio abundantes erunt pluuiæ: in vere, imbres pauci: At in hyeme directa, & orientalis, in initio paucæ erunt pluuiæ: in fine quàm plures, nisi alia stella propinquior Soli occurreret. Quo verò ad diem pluuiæ particularem attinet, Indi per distantiam coniunctionis, vel oppositionis, aut tetragoni duorum luminum ad gradum stellæ erraticæ naturæ pluuialis indagant. Videndum igitur est, in quo signo Luna reperiatur: nam si est in mobili, cuilibet parti vnam tribuat horam: si in fixo, diem: si in communi, in prima ilius medietate diem vnum, in secunda verò horam, & tunc quidem pluet. Quòd si eo tempore Saturnus à Marte aspicietur, pluuia tunc protraheretur quousque Luna Saturnum aspiciat per diametrum, vel per tetragonicam irradiationem in Ariete, vel Leone, vel Sagittario signis igneis: sed tunc pluet, si Luna Ioui vim tribuat (ambobus tamen in humido signo repertis) & alter inferiorum Iouem aspiciat. At vero nubila erunt, Ioue, & Luna sic existentibus: modo inferiorum neuter Iouem aspiciat. Sed si Iuppiter Saturnum aspiciat, pluet. Cæterum adnotato diligenter pro dictis, & dicendis, plerosquè viros doctissimos, ex planetæ dominantis orientalitate, seu occidentalitate, tempus sumpsisse effectuum. Si namquè dominans planeta occidentalis fuerit, effectus suos in anni initio, vel mensis lunaris, aut Hebdomadæ aduehet: si verò orientalis, in fine. Ptolomæus tamen obseruat, quòd si in verno æquinoctio Horoscopus sit ex fixis, schema cæli semel tantum pro agnitione tempestatum anni in genere, erigendum præcipit. si fuerit ex mobilibus, per singulas anni quartas: si ex communibus, duo tantum; nempe in solis ingressu in Aequinoctialibus signis, in Ariete scilicet, & in Libra: quod fit certe Martij mense, & Septembris. Verum enimuero certiores habebis temporum qualitates, si per singulas anni quartas, ac per singulos anni menses, horoscopantem signi gradum elicueris tam in duorum luminum congressibus, atquè diametris, quàm in eorumdem tetragonis: Nam certior quidem eris in prognosti-

Temporum mutationes ex planetarũ directione, & retrogradatione.

Dies pluuiæ determinat. iuxta Indos.

Tempus effectuum iuxta nonnullos viros doctissimos.

Ptolomei obseruatio.

gnosticando annuas tempestates, & menstruas: quemadmodum & viri illustres obseruarunt. Porrò schemata tetragonica absquè scrupulo relinqui possunt: diametralia verò non sic: menstrua tamen minimè. Quandoquidem à luminarium coitu totius mensis qualitas desumitur: sicuti totius anni ab ingressu solis in primum Arietis punctum, vel in initia quartarum. At hæc inferius dilucidare longius conabimur.

Leupoldi placitum de temporum mutationibus. CAP. III.

Obseruatio Leupoldi.

LEVDOLPVS vir, & nobilitate insignis, quippe qui ex Austriacis Ducibus originem traxit, & scientia illustris: in temporum mutationibus, aerisquè qualitatibus dignoscendis: etiam animaduertit quatuor anni sectiones, æquinoctiorum, solstitiorumquè initia: duorum luminum coniunctiones, præuentionesue, angulorum cæli, & locorum omnium dispositores: itidem coniunctiones, ac planetarum applicationes, signorum naturam, & stellarum, quæ in eis sunt, vel fixæ, vel erraticæ temperamentum & crasim: lunæ insuper mansiones viginti octo, & demum regulas, quasi rerum cælestium periti ponunt de temporum mutationibus dignoscendis, diligenter præcipit intuendas; idquè quantum ipse etiam obseruauit. In primis adnotat quæ signa sint humida, & quæ signorũ partes humidæ, qui planetæ pluuiales: deinde de vnoquoquè illorum digreditur ad dignoscẽdas aeris mutationes. Cancer itaque leo, Scorpius, & Aquarius signa sunt humida; quibus adduntur Sagittarius, & pisces iuxta ipsum. At qua nã ratione leo, Sagittarius, & Aquarius signa sint humida, certè dubitatur: nam de Cancro, Scorpio, & piscibus manifestum est, esse humida, sed leonem, & Sagittarium esse sicca, Aquarium calidum, & humidum tenuius nulli dubium est. Sed dicendum, Leonem, & Sagittarium in vniuersum sicca esse signa, verum quò ad aliquas eorum partes, humida: nempè ex aliquorum innerrantium mixturis. Aquarius deinde signum est calidum, & humidum generaliter: quò verò ad aliqua (vt dictum est de Leone, & Sagittario) humidum est, & magis Leone, & Sagittario. Partes insuper signorum humidæ sunt Arietis fines: Tauri, & Cancri initium: finis quoquè Capricorni, ac initia Aquarij, & Leonis. Consideranda igitur sunt hæc omnia diligenter cum planetarum positu in eis: illorum præsertim, qui natura sunt pluuiales, vt pluuiæ dignoscantur. Hi verò sunt Venus, Mercurius, & Luna. Erecta igitur cæli figura, videndum est, si Saturnus præfuerit anno absquè Martis aspectu, vel alicuius stellæ frigiditatem illius temperantis. Quandoquidem tunc frigus innuit, & magis si fuerit ascendens à medio suæ augis circulo. Contrarium verò efficit Iuppiter: nam sine alterius radijs, vel cum Sole, aerem temperat: boreales excitat ventos, sed mediocres. At Mars anni præfectus absquè Saturni aspectu, vel alicuius stellæ erraticæ, quæ infrigidat: hyemis frigora contemperare, æstatisquè calorem augere decernitur in signo præsertim calido, atquè si in suæ augis circulo ascendere depræhenditur. Sol quamuis vniuersalis sit dominus, nihilominus tamen iuxta coniunctionis gradum, & stellarum errantium aspectus ad eum, variat anni sectiones. Quarè Saturnus in bruma cum Sole sine Martis aspectu, auget frigus: in æstate, calorem minuit in signis præsertim frigidis. Sicuti Mars absquè Saturni aspectu in hyeme minuit frigus; in æstate adauget calorem in signis maximè calidis.

Dubium.

Responsio quomodo leo, & sagittarius sint humida signa.

Sol qua nam ratione anni sectiones variat.

calidis. Cæterum Venus vel soli iuncta, vel anni domina in vere, & hyeme humiditatem auget (est etenim Venus humidæ naturæ) in æstate autem, & autumno siccitatem minuit: in humido præsertim existente signo; & dumodo siccus planeta eam minimè aspiciat. Mercurius eodem modo cum sole, quod de Venere dictum est, aeris qualitates variat, ventosque corrumpit: maximè verò in humidis signis, & ventosis; porrò in calidis, & siccis, siccitatem adauget. Est namque Mercurius naturæ versatilis, cum siccis siccissimus: cum humidis, humidus; cum frigidis, frigidus: cum calidus, ca idus: solus tamen & per se, dubius est, & anceps; quamuis torridus. Luna tandem quolibet mense, quemadmodum Sol quolibet anni quarta, naturam, & aeris qualitatem commiscet, & ex solis coitu contemperat: consideratis quoquè aliarum stellarum mixturis, vt inferius dicemus. Hæc sunt, quæ ex Leupoldi doctrina excerpsimus, atquè declarauimus: quæ in dicendorum serie atquè progressu dubio procul manifestiora erunt. Prognosticon, verò & cuncta, quæ ex Lunæ mansionibus viginti octo circa temporum mutationes desumuntur, suo loco subijciemus, & manifestabimus. Animaduertit postremo de Marte, qui si in reuolutione annua in proprio fuerit signo, multæ pluuiæ iudicium esse: in domo verò Saturni parum pluet: in alijs cum moderamine. Quod si Mars in coitu, vel luminarium oppositu anni reuolutionem præcedente, locum illum aspiciat: erunt quippe, lampades, tonitrua, & fulgura. Quod quidem in præcedenti capite est quoque ennarratum.

Mercurij nã & qualitas.

Albumasaris, Haly Rodoan, Omar, et Abdilazi cæterorumquè Aegyptiorum, & Arabum sententia de temporum mutationibus. CAP. IV.

AVTHORES in hac facultate clarissimi, præsertim Albumasar, Haly Rodoan, Omar, & Abdilazi, cæteriquè vel Arabes, vel Aegyptij ad præcognoscendas aeris huius qualitates, temporumquè mutationes: omnes quidem conueniunt, vt ab ascendente coniunctionis, vel præuentionis duorum luminum, quæ solis ingressum in Arietem præcessit, & à loco luminarium in figura, & à locis stellarum errantium illæ iudicentur. Quare arbitrati sunt, quòd si Saturnus in aliquo angulorum ab Horoscopo, vel ab ipsius domino, firmus in angulo, præsertim in cæli medio, & in aliqua dignitatum suarum inuentus fuerit, æstatis tempore minuit calorem, in hyeme verò adauget frigus. Si autem ab angulis ceciderit, parum, aut nihil annum in sua qualitate diuersificabit: nisi forte ad ascendentis angulos peruenerit. Si verò in anni initio ab ascendentis domino in angulo fuerit: nempe in quarta, septima, & decima, debilior sua erit significatio, & minor ab illo, quàm dum fuerit in angulis ab ascendente signo. Simile etiam iudicabis de Marte, cæterisquè planetis iuxta qualitates suas. Insuper eorum commixtio, aspectuumquè reciprocatio, & in signis permanentiæ considerandæ sunt. Verum Mercurius cum sit stella naturæ versatilis, & anceps, authorquè ventorum (sicuti etiam Iuppiter) & turbationis temporum, inspiciendum est, quem cæli locum tunc temporis, & quod signum occupauerit. Porrò si cæli medium tenuerit in signo aereo, diuersitatem in aere magnam portendit: Tonitrua scilicet horrenda, crebra fulgura, corruscationes, & similia; præsertim si infelix stella alicui angulo à Mercurio præfuerit. Quòd si in id ab aeris

Aegyptiorũ & Arabum obseruationes.

ventorum authores.

parte

Aeris pars eadem quæ ventorum.

parte, & ventorum prudens mathematicus ſe adiuuabit, hunc cum ſuo commiſcendo ſignificatore, certius quidem habebit iudicium. Illud tamen præmonẽtes, quòd eadem eſt aeris pars, quæ & ventorum. Rurſum animaduerſione dignum cenſemus, ea quæ de ſolis ingreſſu in Arietem dicta ſunt: debere etiam de ipſius ingreſſu in quolibet ſignorum cardinalium intelligere, ac de duorum luminum in quolibet ſignorum duodecim. Fundamentum autem omnium quæ dicta ſunt, eſt ab aſcendente coniunctionis, vel oppoſitionis quatuor ſectionum anni, & à domino locorum ipſorum. Quandoquidem dum in locis pluuioſis, & humidis fuerint, pluuiæ erunt: præſertim ſi pluuioſis, vel humidis planetis applicuerint. Quod ſi oppoſitum erit, oppoſitum quoquè iudicare debes. Qua de re ſi planeta rei ſignificator fuerit occidentalis, vel tardi motus, vel in præcedentia deambulauerit, aut in latitudine deſcendens, vel in ſuæ augis circulo, pluuias certè ſignificat. At ſi contrarium erit, puta ſi fuerit orientalis, velocis motus, in conſequentia progrediens, in latitudine aſcendens, vel in ſui perigei circulo, contrarium pronunciato. Subinde ſi ſignificator combuſtus fuerit, pluuias deſignat, Marte excepto, qui præter cæteros hoc proprium ſolus habet: vt combuſtus ex ſui natura pluuias minuat. Huius autem ratio eſt, quòd cum Mars caliditate vigeat, & ſiccitate, à ſole combuſtus, creſcit in caliditate, & ſiccitate: quinimo ad ſiccitatẽ peruenit maximam.

Solis ingreſſus in 10. ſcorpij obſeruatur ab Aegyptijs in diſpoſitione aerea.

Aliud quoquè adnotatu dignum non prætermittemus, diſpoſitionem nẽpè aeream ab hiſce illuſtribus viris obſeruari in pluuijs, tonitruis, & corruſcationibus à ſolis ingreſſu in decimum ſcorpij gradum. Sanè ſi Iuppiter, Venus, & Mercurius occidentales, aut retrogradi tunc fuerint: anno illo multas fore pluuias arbitrati ſunt. Deinde conſiderari iuſſerunt Martium ſidus cum Saturno, quod ſcilicet illorum fortius fuerit: & quam commixtionem cum planetis præſertim Mercurio habuerint; ſicque iudicari debere.

Abdilazi Arabis obſeruanes.

Nunc verò quid ſentit Abdilazus Arabs de temporum mutationibus ex ſtellarum errantium coniunctionibus in ſignis animaduerſis, & eorum præcognitionibus in reuolutionibus annorum mundi, digrediendum remanet. Vir iſte doctiſſimus animaduertit, quòd ſi erecta cæli figura, ibi Saturnum, & Iouem in Ariete coniunctos, prudens mathematicus reſpexerit: vel Iouem cum Venere, Mercurio, Sole, & Luna, aut tres ad minus; pluuiam multam in anno deſignat, & grandines. Si Venus, & Mars in vnomet Tauri gradu coniuncti fuerint, vel ſi ſolus Mars in annua mundi conuerſione repertus fuerit: ventum validum, & fructibus nociuum excitabit. Si verò Mars, & Iuppiter, Venus, & Luna, vel ſaltem horum tres ibidem fuerint, præter alia, ſi Mars tamen iunctus cum eis fuerit in eodem gradu, pluuiam multam ſignificat: maris inſuper, & fontium incrementa. In Geminis ſimul iuncta duo lumina cum Venere, & Luna: ventos ab orientis parte validos excitabit coniunctio illa. Saturnus, Iuppiter, Mars, & luminaria in Cancro, quamuis paucas de cælo aquas denotent, nauigãtium tamen pericula, ædificiorum maritimorum turbationes, & ruinam minantur, atquè immenſos à ſeptentrione ventos fore; quos & nociuos experientur homines: prænuntiant. Quemadmodum in leone Iouis, Martis, & ſolis coniunctio ventum ab oriente validiſſimum indicat. Saturnus, & Iuppiter in virgine in annua mundi conuerſione ſimul iuncti, pluuiam multam cient, & ventum ab Auſtro. Luna, Saturno, Marti, & Veneri in Scorpio iuncta, vel ſaltem cum aliquo illorum, tanta fiet pluuia: vt mundus ferè Deucalioneis imbribus obrui videbitur. In Sagittario, ſi Saturnus, Iuppiter, Mercurius, & Luna ſimul coierint: diluuium magnum ferè erit in orbe. Quò fiet vt flumina, & maria ob crebras aquarum inundationes, mirum ſuſcipiant incrementum. In Capricorno, Sol, Mars, & Mercurius ſimul conſtituti, ventos indicant validos. In Aquario autem Mars: Saturnus, & Luna, pau-

Diluuium ex Aſtris.

cam

tam cient pluuiam: & si nubibus cælum turbabitur: siccabuntur omnia præter aquas fontium, quæ abundabunt. Verum hæc & similia illustrius inspiciet prudens mathematicus, cum de temporum qualitatibus ex planetarum positu in signis, ac ex vnius eleuatione super alterum inferius tractabitur.

Temporum mutationes in vniuersum, & in particulari ex Bonato. CAP. V.

AD præcognoscendas temporum mutationes, aerisquè qualitates cum omnes penè viri in hac facultate celeberrimi conueniant: vt luminarium synodi, atque semisses, eorum quoque horæ solis ingressum in primum Arietis punctum præcedentes, obseruari debeant: nescio, cur Guido Bonatus mathematicus alioqui insignis à solis ingressu in primum Libræ minutum auspicari scribat, totumquè alijs oppositum dicens. Sed remur Bonatum quoquè illius fuisse opinionis, asserentium mundum cæptum Septembris mense; solemquè in Libra creatum, ac propterea annuas mundi conuersiones ab illo auspicantur; mutationesquè temporum à solis ingressu in primum Libræ punctum obseruandas, credant; ideoque Bonatus illum adnotandum præcipit. At opinio hæc fuit à nobis reiecta inde Neomenijs Salomonis libro primo capitibus 13. 14. 15. & 16. Opinio certè nonnullorum Hebræorum, & Aegyptiorum, cui omnes ferè reclamant. Sanè nos illam explicabimus, vt nihil huic tractationi deesse videatur: prædictionesquè temporum etiam iuxta hanc viam explicabimus. Ad aeris itaque qualitates, temporumquè mutationes dignoscendas adnotare operæ pretium est primò solis ingressum in primum Libræ minutum, deinde coniunctionis, vel præuentionis horum duorum luminum, quæ illum ingressum immediatè præcedit. Tertiò videndus est post illum solis ingressum in illum Libræ punctum, eius processus quousquè ad viam combustam peruenerit inclusiuè, & amplius quinque scorpij gradus compleuerit (via combusta quæ alias lactea iuxta octauæ sphæræ signa, in quintò scorpij gradu incipit, & terminatur ad quintum decimum gradum Sagittarij, deinde incipit rursus à vigesimo tertio Sagittarij gradu, & terminatur ad quartum Capricorni; initium amplius auspicantur in decimo nono gradu Tauri, & terminatur ad triginta geminorum partes) Quandoquidem Libra & primi prærecitati scorpij gradus, quinimo viginti, significationem habent super pluuijs, ventis, & aeris mutationibus. Cumquè deprehensus fuerit coniunctionis, vel oppositionis locum; aspice quartò si mansio illa sit humida, sicca, vel temperata, vel communis. Rursus animaduertendum est in quibus mansionibus sint cæteri planetæ. Sextò intuendum est minus cæli lumen post coniunctionem, seu præuentionem, cui corporaliter iungatur, seu applicet: nam, secundum quod eius coniunctio, vel applicatio cum aliqua stella erratica in circulo extiterit, ita erit eius significatio super pluuijs, & ventis. Quarè si Luna Saturno iuncta fuerit, vel applicata, temperatos, & conuenientes imbres, nec non & nubes obscuras, totum aerem replentes, procul dubio poteris enuntiare. Quod si Saturnum impeditum respexerit, vel male dispositum, pluuias, ventos, ac nubium obscuritates pronunciato; præsertim si Venus, & Mercurius suas adhibuerint virtutes, & testimonia, maximè ab aliquo cæli angulo: & dum Scorpium, Capricornum, Aquarium, & pisces ingressi fuerint,

Bonati opinio de mũdi inceptione.

Via combusta, seu lactea vbi in cælo incipit, & terminatur.

Lunæ coniũctio, siue applicatio ad planetas qd portendant circa mutationes temporum.

Quæ si ita videbis, annuncia generales pluuias. E contra Iuppiter aerem serenũ, & ventos significat. Lunæ aũt ad Martem applicatio nubes croceas, tonitrua, corruscationes, & fulgura tẽporibus proportionatis indicabit; ni adiuuetur à Ioue. Solis aspectus in ingressu suprarecitato nubes croceas, & magnas pluuias efficit. Verum si Veneri in altero prædictorũ locorũ luna applicuerit, pluuias molles, atq; continuas, roresq; multas, quasi nebulis similes generabit. Quòd si Mercurio fuerit luna applicata: imbres, rabidosq; ventos, nubes toto cælo dispersas demonstrabit: & eò intentius, vel remissius, quo signorũ, vel lunæ mansionũ, atq; locorũ cæli, aliarũq; stellarũ commixtionẽ dispositio erit. Si vero effectuũ tẽpora nosse volueris:

Affectuũ tempora circa mutationes temporum.

scias certè quòd planeta si orientalis fuerit, effectũ suũ vel in fine hebdomadæ, vel mensis, vel saltẽ in calce anni sortietur, vt inferius quoq; ostendemus: porrò occidẽtalis è cõtra in horũ initio indicabit. Hæc sunt quæ de tẽporũ mutationibus in vniuersũ ex Bonato manifestauimus. At meo quidẽ iudicio (quãuis exiguo) supradicta neutiquàm per annũ erunt: sed certè ab initio ingressus solis in Librã, vsquè ad initiũ ingressus solis in primũ Capricorni punctũ verificabuntur: triũ quidem mensiũ interuallo. Nunc autẽ videre licet, quid ex menstruis duorũ luminũ synodis, tetragonis, atq; semissibus, cæli promittunt circa tẽporũ mutationes ex Bonato. Cõsiderare itaq; necessũ est, partẽ in qua luminaria coeunt, vel opponuntur, vel dũ tetragona irradiatione se respexerint: Insuper & lunæ cardines. Si igitur scire

Pluuiæ prædictio in mense.

volueris nũ in aliquo lunari mẽse, pluuiæ sint futuræ, ad horã coniunctionis erige cælestẽ figurã: deinde videbis quis planetarũ congressus amborũ luminũ locũ aspiciat, seu significatores ad quẽ applicẽt, ac de quibus locis, & mansionibus applicatio illa fuerit: Quandoquidẽ si pluuialibus stellis, & humidis mansionibus applicuerint, hyemales pluuias significabunt. Si verò de siccis locis planetas pluuiosos aspexerint, pro tertia, vel quarta parte ad minus erit eorũ significatio: cum in his planetarũ aspectibus, vel synodis pluuiæ significationẽ habeant. Sanè si post congressum luna immediatè Mercurio, vel Veneri, aut alteri eorũ corporaliter, seu per aspectũ aliquẽ iungatur, futuras annunciabit pluuias. Cui si Iuppiter reclamauerit contrariũ erit. Si verò Venus Saturno iungatur, dubio procul futuras pluuias vaticinari poteris; sed certissimè, si tunc Venus Martis lumen, vel Mercurio, vel Ioui transtulerit. Et quoniã sæpè nominata sunt pluuiarũ loca: operæ pretium est nunc illa explicare, quæ sint. Animaduertendũ igitur est Cancrũ, Leonẽ, Capricornum,

Pluuiarum loca.

Aquarium esse loca pluuiarũ, sed Capricorni dimidiũ minus alijs est infœlix: vltimus verò locus eius plus frigoris, quã pluuiæ significat. Sagittarius insuper iuxta aliquorũ auctorũ sententiã opinantiũ ibidẽ in cælo fluminũ imagines adesse, vno minus quàm leo, super pluuiis significatum habet. Nihilominus tñ maiorẽ efficit imbriũ multitudinẽ leo: & si Sagittarius grossiores guttas in pluuijs adducat. Idẽ quoq; euenire compertũ est in prima Tauri facie. Vt aũt prędictorũ euentuũ hora

Euentuũ hora circa mutationes tẽporum.

sciatur, concordat Bonatus cũ Indis (vt paulò superius tactũ est) quãuis non in omnibus) nempè adnotare distantiã partium à coniunctionis, vel oppositionis gradu ad loca synodorum prædicta, vel applicationum planetarum. Quoniam ex fixis vsquè ad tot dies: ex communibus ad horas totidem, quot sunt partes à coniunctione, vel præuentione vsquè ad pluuiales planetas, vel eorum irradiationes, seu applicationes pluuiarum effectus, vel tẽporis mutatio deueniet. At ipsarum rerum euentus pro sexta parte festinabit: si luna cursu velox, vel aucta lumine, aut si mobilia obtinuerit signa; oppositum verò ex oppositis dijudica. In his omnibus tamen pluuiæ non erunt, si tunc Saturnus in sicca mansione permanserit: lunaquè eidem in mansione sicca applicuerit, nec aliorum auxilia eidem consectantur, quamuis in aere nubium perturbatio erit assidua.

De dignoſcendis in particulari temporibus, diebus, & horis pluuioſis iuxta prædictorum ſententiam.
C A P. V I.

AD dignoſcenda in particulari pluuioſa tempora, puta, diem horam, & ſimilia: declarare operæ pretium erit, quæ viri in hac facultate illuſtres experientia comprobarunt. Sciendum itaquè eſt lunam in ſigno humido cum Venere, vel Mercurio pluuiam excitare: quæ ſi cum vtroquè ſimul fuerit: magis pluuiam adaugere, compertum eſt. Quòd ſi in ſcorpio reperta fuerit in Martis oppoſito, idem effecturam maximè eſt conſentaneum, præſertim ſi in Aquario, vel Piſcibus maius lumen extiterit. Si verò Luna, & Mars in humido fuerint ſigno & alter inferiorum, puta Venus, vel Mercurius Martem aſpexerit: lampades, grando, nubila, & terribilia tonitrua erunt abſquè pluuia. Quòd ſi Saturnum, Iouem, vel Solem, Mars viderit: pronuntiato pluuiam. Similiter ſi Luna in Aqueo cardine Veneri, vel Mercurio applicuerit: quàmdiù durabit applicatio: tamdiù pluet. Luna cum fuerit in Solis oppoſito, vel cum Venere in Ariete, Libra, Scorpio, & Piſcibus: erunt imbres, vel lampades, tonitrua, fulgura. Si autem in fœminino ſigno planetam retrocedentem pariter in fœminino ſigno reſpexerit: ſtatim pluet. Idem quoquè efficiet, planetæ iuncta retrogrado, & aucta lumine: pluuiam ſcilicet cauſabit. Quòd ſi Solem in Aquario oppoſita, vel tetragonica irradiatione reſpexerit: ſimiliter pluuias ciet, Venere ibidem præſente. Quæ ſi in luminarium coitu, vel oppoſitione in Angulo fuerit: pluuiæ indicium certius erit. Similiter pluuiam ciet, ſi tunc aſcendentis dominus in angulo fuerit aqueo. Sed die eadem præſertim pluet: ſi illa ſub radijs Solis à Libra in Arietem percurret, Luna eiſdem, Veneri maximè applicante; quod etiam eueniet: Sole Cancri ſignum intrante. Sol, Venus, Mercurius, & Luna ſimul exiſtentes, etiam ſi aliunde eos Luna aſpiceret, eadem met die continuos imbres efficient ſtatim; quoq; pluet dum Venus Marti applicat in Scorpio. Luna Aquarium, vel Piſces ingrediens, aerem vertit, & perturbat. Mercurio aduſto planetæ applicante, aut eidem de Scorpio ſe opponente; pluuia generatur. Luna Solis hora Cancrum ingrediēs, hora Veneris, Virginem: Libram, hora Iouis: Sagittarium, hora propria: Taurum hora Martis: Geminos hora Mercurij: ſignificationem habet iuxta naturam domini horæ, & ſigni, in quo ipſe repertus fuerit. Cæterum ſi parte vti volueris, quæ ad prænoſcendam temporis mutationem particularis diei deſeruit: ſcito quòd illa, die quolibet, oriente ſole accipitur; nempè quantum eſt ex partibus à ſole in Saturnum, & reſultans proijciendo à loco lunæ. Quæ pars ſi in humidum ceciderit ſignum: illo die humiditatem denotat, & è contra. ſi autem in domo Veneris, & Lunæ, pluuiam: in domo Solis, & Martis, ſerenitatem: in domo Iouis, & Veneris, ventos: in domo verò Saturni, nubila prognoſticatur Porrò ex lunæ cardinibus etiam vaticinantur temporum mutationes, aeriſquè qualitates. Animaduertendum igitur eſt, lunæ cardines eſſe duodecim, ſex à luminarium coniunctione vſq; ad oppoſitionē: ſex verò reliquos ab oppoſitione vſq; ad futuram aliam coniunctionem. Primus cardo eſt duorum luminum locus in

Luna præcipua pluuiarū effectrix.

Luna planetarum horis quô fit temporum effectrix.

Cardines lunæ duodecim ad tēporum mutationes dignoſcēdas.

synodis. Secũdus est à coniunctionis loco, partes duodecim. Tertius est à coniunctionis loco, partes quadraginta quinq. Quartus, partes nonaginta. Quintus Cardo gradus centesimus trigesimus quintus: nempe signa quatuor cum superantia quindecim partium. Sextus, est gradus duodecimus ante oppositionem. Septimus est locus oppositionis. Reliqui verò cardines vsque ad sequentem coniunctionem, per totidem gradus proportionaliter ab oppositione sumuntur, per quot supra à coniunctione vsque ad oppositionem sumpti sunt. Exempli causa. Octauus cardo ab oppositione, gradus duodecim. Nonus ab oppositione gradus quadraginta quinque. Decimus partes nonaginta. Vndecimus, partes centum triginta quinque. Duodecimus partes duodecim ante coniunctionem. Ita vt octauus correspondeat proportionabiliter secundo, nonus, tertio: Decimus, quarto: Vndecimus, quinto: Duodecimus, sexto. Ex his itaque cardinum locis iuxta loci qualitatem, aspectus vel coniunctionis planetarum ad lunam, aeris dispositionem dijudicare debes. Horum consideratio cardinium, etsi apud veteres magni habita fuit: nihilominus tñ minimè aspernenda nunc est. Nam à Ptolomeo quoquè approbatur libro secundo quadripartiti text. 62. Quem locum Cardanus egregiè explicat. Vaticinantur rursus aeris qualitates ex lunæ ingressu in signis planetarum hora. Quarè Luna Cancrum intrans hora Solis, virginem hora Veneris, Libram, hora Iouis: Sagittarium hora propria: Taurum hora Martis Geminos hora Mercurij, significat ea, quæ congruunt naturis dominorum in horis, & signorum in quo erũt, quæ iam supra explicata sunt: & inferius quoque explicabuntur.

Ptolomæus

Cardanus.

Mutationis temporum vaticinatio ex Theophili doctrina.

C A P. V I I.

Theophili obseruatio in mutationibus temporum ex finium dñis.

THEOPHILVS rerum cælestium doctissimus, in temporum mutationibus, aerisquè qualitatibus docuit: vt in duorum luminum congressu consideretur primò vtriusq; pars: secundò, vt in oppositione adnotetur ea, quam luna obtinet: quandoquidem eius finium, seu terminorum dominus, quem vocat Oriocratorem, tanquam significator pro temporis constitutione obseruandus est. Itaquè si Dominus finium fuerit Saturnus, illequè vel sub solis radijs, vel Acronychus, siue occidentalis fuerit: tunc hyemabit, & atras cum tempestate nubes in cælo sparget. Qui si in virgine fuerit, vel piscibus, magnos in mari tumultus, terroresquè de cælo, ac tempestates significat. Si autem in leone, vel opposito eius, flumina, stagna, lacus mouebit: locaquè omnia irrigabit: facietquè quę sub Vrsa, ac Aquilone existunt: gelascere. At matutinus seu orientalis temperiem, & aeris serenitatem demonstrat. Porrò si finium Dominus fuerit Iuppiter, & occidentalis, aut vesperi oriatur: significat imbres, & salutares pluuias; efficitquè vt per aerem nubes vagentur velleribus similes. At si matutinus fuerit, aeris serenitatem, vbertatemquè fructuum producit. Quòd si humida tenuerit signa: hominibus salubritatem, ægrotorum sanitatem, pisciumquè abundantiam denotat. Sed in Virgine, aut Tauro terminorum moderator, fructus auget: omniaquè legumina multiplicat. Sanè finium dominus Mars, si à solis radijs liber fuerit, ventos agitat, & procellas. Si aũt malè fuerit constitutus, & affectus: motus ciet in aere turbines scilicet, tonitrua, fulmina, & corruscationes: præsertim cum Eous mane fulserit. Porrò Venus finium, terminorumquè dominatrix, & orientalis: temperiem

riem pariet, prolificationem. At occidua ventos facit, & gelu. Mercurius inter planetas versatilis, in synodis, & plenilunijs dominator, finiumquè dominus, & hospitator: si Iuppiter mane fulxerit: aeris serenitatem portendit. Vespertinus verò promiscuus est ad temperiem, in temperiemquè: sub radijs ventos cit, seu Africos: efficitquè deinde niuem, aut grandines. Qnod si in Saturninis signis tunc repe-riatur in Climate per Aegyptum significat inundantiam: in Tropicis autem circa maritimas oras, ac partes, in signo bicorporep tam Aegyptum, quàm regiones illas, quæ mari abluuatur: inundat. Cæterum animaduertendum maximè est configurationes aspectu'què intermedij coitus minuere significata: eosdem etiam prouehere, augereque. Itaquè omnium significata coniungat prudens mathematicus: sic etenim vaticinia certiora erunt. Porrò cùm de finibus, seu terminis hisce planetarum in signis digressum fuerit: scito fines seu terminos iuxta quincuplicem viam reperiri posse. Primò iuxta Aegyptios, secũdo iuxta Ptolomæum, vel alium incognitum authorem; Tertiò iuxta Valentem Antiochenum, qui fines seu terminos diuidens, duas conficit tabellas; alteram quæ die deseruit, alteram verò nocte: quibus finibus iuxta Guaricum vtebatur firmicus libro quarto in synodis, & lunæ defluxionibus; Quartò iuxta Chaldeos, seu Babylonios: Quintò: & vltimò iuxta Cardanum, qui aliàm finium tabulam propria obseruatione promulgauit. Harum qua vti voluerit prudens mathematicus, vtatur. Sed reliquas non spernet, nisi illas terminorum Aegyptiacorum, & Chaldaicorum: quia illas Ptolomæus reijcit libro primo sui quadripartiti capite 21. Verum ex istis duabus plerique illam, quæ Aegyptiorum est: obseruarunt, & ex Neotericis nonnulli. Porrò Chaldaicam, seu Babyloniam minus, quàm Aegyptiacam laudat Ptolomæus; quamuis & hanc quoquè vituperet. Amplectitur autem illam ignoti authoris, quam in vetustissimo codice, etsi in multis corroso, se inuenisse, fatetur. Verum enimuero, cum hæc scientia tota fermè, ab obseruatione pendeat, videat prudens mathematicus quid obseruarunt antiqui, & quid recentiores; videat omnium obseruationes in quibus conueniant, vel discrepent; inspiciat diligẽter suas: ac vbi maiora testimonia inuenerit, ibi pedem figat, finium verò terminorumquè tabellæ ad studiosorum profectum iam inscriptæ cernuntur.

Fines, seu termini ex quincuplici via inuestigãtur

Guaricus firmicus.

Cardanus

Ptolomæus.

Fines

Fines, seu Termini Planetarum in signis, iuxtà Aegyptios.

Aries.	Iou.	6.	Ven.	12.	Merc.	20.	Mart.	25.	Satur.	30.
Taurus.	Ven.	8.	Merc.	14.	Iou.	22.	Satur.	27.	Mart.	30.
Gemini.	Merc.	8.	Iou.	12.	Ven.	17.	Mar.	24.	Sat.	30.
Cancer.	Mart.	7.	Ven.	13.	Merc.	19.	Iou.	26.	Sat.	30.
Leo.	Iou.	6.	Ven.	11.	Satur.	18.	Merc.	24.	Mart.	30.
Virgo	Merc.	7.	Ven.	17.	Iou.	21.	Mart.	28.	Satur.	30.
Libra.	Satur.	6.	Merc.	14.	Iou.	21.	Ven.	28.	Mart.	30.
Scorpio.	Mart.	7.	Ven.	11.	Merc.	19.	Iou.	24.	Sat.	30.
Sagittarius.	Iou.	12.	Ven.	17.	Merc.	21.	Sat.	26.	Mart.	30.
Capricornus.	Merc.	7.	Iou.	14.	Ven.	22.	Sat.	26.	Mart.	30.
Aquarius.	Merc.	7.	Ven.	13.	Iou.	20.	Mart.	25.	Satur.	30.
Pisces.	Ven.	12.	Iou.	16.	Merc.	19.	Mart.	28.	Satur.	30.

Fines, seu Planetarum termini in signis iuxtà Ptolomæum.

Aries.	Iou.	6.	Ven.	14.	Merc.	21.	Mart.	26.	Sat.	30.
Taurus.	Ven.	8.	Merc.	15.	Iou.	22.	Sat.	26.	Mart.	30.
Gemini.	Merc.	7.	Iou.	14.	Ven.	21.	Sat.	25.	Mart.	30.
Cancer.	Mart.	6.	Iou.	13.	Merc.	20.	Ven.	27.	Sat.	30.
Leo.	Sat.	6.	Merc.	13.	Ven.	19.	Iou.	25.	Mart.	30.
Virgo.	Merc.	7.	Ven.	13.	Iou.	18.	Sat.	24.	Mart.	30.
Libra.	Sat.	6.	Ven.	11.	Iou.	19.	Mer.	24.	Mart.	30.
Scorpio.	Mart.	6.	Iou.	14.	Ven.	21.	Merc.	27.	Sat.	30.
Sagittarius.	Iou.	8.	Ven.	14.	Merc.	19.	Sat.	25.	Mart.	30.
Capricornus.	Ven.	6.	Merc.	12.	Iou.	19.	Mart.	25.	Sat.	30.
Aquarius.	Sat.	6.	Merc.	12.	Ven.	20.	Iou.	25.	Mart.	30.
Pisces.	Ven.	8.	Iou.	14.	Merc.	20.	Mart.	26.	Sat.	30.

Fines, seu Termini Planetarum in signis iuxtà Valentem Antiochenum.

DIE.				NOCTE.			
♈	♉	♊	♋	♈	♉	♊	♋
♌	♍	♎	♏	♌	♍	♎	♏
♐	♑	♒	♓	♓	♑	♐	♒
Sol 3.	Ven. 5.	Sat. 4.	Mar. 5.	Iou. 4.	Lun. 4.	Mer. 4.	Mar. 5.
Iou. 8.	Lun. 9.	Mer. 8.	Sol. 8.	Sol. 4.	Ven. 9.	Sat. 8.	Iou. 10.
Ven. 13.	Sat. 13.	Mar. 13.	Iou. 13.	Lun. 12.	Mer. 13.	Mar. 13.	Sol. 13
Lun. 17.	Merc. 17.	Sol. 16.	Ven. 18.	Ven. 17.	Sat. 17.	Iou. 18.	Lun. 17.
Sat. 21.	Mart. 22.	Iou. 21.	Lun. 22.	Mer. 25.	Mar. 22.	Sol 21.	Ven. 22.
Mer. 25.	Sol. 25.	Ven. 26.	Sat. 26.	Sat. 25.	Iou. 27.	Lun, 25.	Mer. 26.
Mart. 30.	Iou. 30.	Lun. 20.	Mer. 30.	Mar. 30.	Sol 30.	Ven. 30.	Sat. 30.

Termini Chaldæorum, siue Babyloniæ.

Aries.	Iup.	8.	Ven.	7.	Sat.	6.	Mer.	5.	Mar.	4.
Taurus.	Ven.	8.	Sat.	7.	Mer.	6.	Mar.	5.	Iup.	4.
Gemini.	Satur.	8.	Mer.	7.	Mar.	6.	Iup.	5.	Ven.	4.
Cancer.	Mart.	8.	Iup.	7.	Ven.	6.	Sat.	5.	Mer.	4.
Leo.	Iup.	8.	Ven.	7.	Sat.	6.	Mer.	5.	Mar.	4.
Virgo	Ven.	8.	Sat.	7.	Mer.	6.	Mar.	5.	Iup.	4.
Libra.	Satur.	8.	Mer.	7.	Mar.	6.	Iup.	5.	Ven.	4.
Scorpio.	Mart.	8.	Iup.	7.	Ven.	6.	Sat.	5.	Mer.	4.
Sagittarius.	Iup.	8.	Ven.	7.	Sat.	6.	Mer.	5.	Mar.	4.
Capricornus.	Ven.	8.	Sat.	7.	Mer.	6.	Mar.	5.	Iup.	4.
Aquarius.	Satur.	8.	Ven.	7.	Mar.	6.	Iup.	5.	Ven.	4.
Pisces.	Mar.	8.	Iup.	7.	Ven.	6.	Sat.	5.	Mer.	4.

Fines Planetarum in signis iuxtà Cardanum.

♈	Sol 7.	Mar. 6.	Iup. 5.	Lun. 3.	Ven. 3.	Mer. 3.	Sat. 3.
♉	Lun. 7.	Ven. 6.	Mer. 5.	Sat. 4.	Mar. 4.	Sol 3.	Iup. 2.
♊	Mer. 7.	Sat. 6.	Ven. 5.	Sol 3.	Luna 2.	Mar. 3.	Iup. 3.
♋	Iup. 7.	Lun. 6.	Ven. 4.	Mar. 4.	Sol 3.	Mer. 3.	Sat. 3.
♌	Sol 7.	Iup. 6.	Mar. 5.	Luna 3.	Mer. 3.	Ven. 3.	Sat. 3.
♍	Mer. 8.	Lun. 5.	Sat. 4.	Mar. 4.	Ven. 4.	Sol 3.	Iup. 2.
♎	Sat. 7.	Ven. 6.	Mer. 5.	Sol 3.	Luna 3.	Iup. 3.	Mar. 3.
♏	Mar. 7.	Iup. 5.	Ven. 5.	Luna 4.	Sol 3.	Mer. 3.	Sat. 3.
♐	Iup. 7.	Sol 6.	Mar. 5.	Luna 3.	Sat. 3.	Ven. 3.	Mer. 3.
♑	Mar. 7.	Sat. 6.	Lun. 4.	Mer. 4.	Ven. 4.	Sol 3.	Iup. 2.
♓	Sat. 7.	Mer. 6.	Ven. 5.	Luna 3.	Sol 3.	Iup. 3.	Mar. 3.
♒	Ven. 7.	Iup. 7.	Mar. 5.	Luna 4.	Sol 3.	Sat. 2.	Mer. 2.

De intelligentia, & vsu præcedentium Tabularum.
C A P. V I I I.

Praxis ad tẽporum mutationes dignoscendas.

ANTECEDENTIVM tabularum intellectus, & vsus facilis est. In prima vniuscuiusquè tabellæ area adnotantur signa, quæ permeant stellæ errantes, deinde gradus signi quem obtinet planeta: innuens illos certè esse planetarum fines, seu terminos; sicq; iuxtà illos pronunciabis. Vt gratia exempli. Si scire volueris anni sequentis 1586. dispositionem ad dignoscendas temporum mutationes, aerisquè qualitates, eleua cæli figuram, & obserua solis ingressum in primum Arietis punctum ad poli eleuationem Mediolanensis ciuitatis insubriæ insignis, quam nos dubio procul sub gradu 45. iuxtà veterum sententiam ponimus; Neoterici enim sex minuta addunt. Relata verò longitudine poli Venetiarum ad Mediolanensem iuxtà Neotericos, inter vtramquè differentia est scrupulornm primorum decem, & septem. At nos latitudinem illã pro nunc eamdem facimus: quandoquidem in de Neomenijs Salomonis neotericos sequimur. Erecta igitur figura conuersionis solis in primum Aequinoctij verni punctum cum syderum positu: vide quid hunc præcedit ingressum, duorum nempè luminum coniunctio, vel minoris luminaris oppositio ad maius? Sed dubio procul præcedente amborum luminum coitu in partibus viginti octo, & scrupulis primis quinquaginta sex signi piscium: fit huiusmodi ingressus in illum punctum. Ita vt signum horoscopans sit Geminorum cum partibus viginti tribus, & octo minutis. Ascensio etenim recta est partium 326. minutorum 58. ergo ascensio obliqua est partium 56. minutorum 58. Ergò partes viginti tres cum minutis octo Geminorum ascendunt die vigesima Martij H. 21. M. 47. sec. 52. post meridiem. In quo signo Iuppiter possidere inspicitur partes quinquè, minuta viginti, occidentalis à Sole. Ergò Iuppiter quamuis signo sit in prima, corpore tamen est in duodecima. Sol distat ab vndecima partes quatuor, minuta verò quatuordecim. Luna reperitur in vndecimo gradu, & scrupulis primis quadraginta tribus in Ariete, occidua à Sole. Saturnus itidem in decimo nono gradu, & decem, & nouem scrupulis primis eiusdem met signi, a Sole occidentalis. Mercurius à linea meridiana distat partibus septem, & minutis viginti duobus; nam viginti quatuor Aquarij partes culminant cum minutis quadraginta. Mercurius verò duas partes cum totidem minutis obtinet in piscibus: distans à linea vndecimæ partibus viginti tribus, & minutis quadraginta quatuor, orientalis à Sole, & Dominus ascendentis Venus similiter orientalis habens partes quatuordecim, & minuta quinquaginta duo in piscibus. Mars quoquè orientalis in linea vndecimæ domus partiliter in signo piscium: obtinens partes viginti septem, & minuta decem, & nouem. Consideraris itaquè omnibus, & diligenter inspectis. Saturnus est finium dominus iuxtà triplicem tabulam: Aegyptiorum, Ptolomaicam, & Cardani. Nam duorum luminum coitus præcessit, vt dictum est, solis ingressum in primum Arietis punctum in gradibus 28. scrupulis primis 56. signi piscium. hi verò gradus manifestè fines Saturni indicant. Igitur iuxtà Theophili doctrinam cum Saturnus sit finium hospitator, & occidentalis, promittit hyemem rigido stringendam gelu: ac atras cum tempestate nubes in cælo spargendas. Cumq; in Ariete eo erit tempore, ad quem Luna à Sole discedens, sociabitur; augebitur certè frigus: & eo magis, cum Sol ad

Theophilus.

Saturni

Saturni coniunctionem progrediatur: horoscopumquè in Saturni met finibus conditui, manifestum est omnibus: quod & factum est. Nam nullus annus ita frigidus, vt ille. Cum & Mediolani paruum illud flumen, quod ciuitatem circuit, dictum vulgo nauigium: gelu ita est condensatum, vt per plures dies nauigationi ineptum redditum est, & negotiationi. Porrò Molendinorum rotæ ita firmatæ sunt, & immobiles redditæ ob aquam in glaciem conuersam: vt aquæ rotatæ frustratim ad modum pyramidis, & coni figuræ apparerent, & splendidæ, vt christallum. Gelu itaquè & frigora intensissima citra solitum, ne dum Mediolani, sed per totam illam regionem adeò creuerunt: vt non esset hominum memoria (ita aiebant) maiora fuisse; nisi tempore Caroli Quinti Imperatoris fœlicissimi: qui sicco pede super padum cum exercitu incolumis pertransiuit, amne ipso in glaciem durissimam conuerso: Est namquè clima illud septentrioni proximum. Ideò supra diximus, quòd ad præноscendas temporum mutationes, aerisquè qualitates præter cæli intuitum, regionis quoquè naturam prænoscere, necessum erat. Adde etiam tunc temporis esse brumam, & si illis in locis ante tempus initium sumat, duratquè plus solito. Ver pronuntiabatur ventosum ob tetragonicæ irradiationis aspectum inter Iouem, & Mercurium, ventorum fontes, & origines, cum aquarum abundantia: etiam in Autumno ob duorum inferiorum positum cum Marte in signo humido, & aqueo; Aestas autem temperata. Hæc est itaquè totius anni illius dispositio. Porrò particularis vel mensium, vel hebdomadarum, vel dierum ex synodis tetragonis, & duorum luminum oppositionibus: ex planetarum aspectibus inter se, ex lunæ etiam defluxionibus præsertim ad inerrantes stellas, ex omnium horum tandem dispositoribus deprаhenditur Quæ omnia cum ex parte manifestata sint: tum quoquè reliqua absoluemus. Cæterum iuxtà Valentis Antiocheni placitum. Mercurius cum sit Dominus finium, nam duorum luminum synodus in viginti octo partes, & scrupula sex supra quinquaginta signi piscium (vt paulò superius dictum est) accidit; & in die: cum solis quoquè ingressu in primum Aequinoctij verni punctum, etiam de die celebrando: Tabula verò finium quam Valens Antiochenus pro die condidit, Mercurium facit Oriocratorem: sequitur ergò vt cum sit orientalis à Sole in piscibus, signum certè aqueum, & humidum, & bicorporeum, inundationem significat; & eò magis augetur significatum ob Veneris, & Martis præsentiam in eodem signo. Denotat amplius ventos meridionales, & quandoquè septentrionales ob tetragonam Iouis irradiationem: niues quoquè & grandines; si quidem Mercurius est super omnes ventos. Pro complemento tandem opinionis Theophili est annotandum valdè (vt ille quoquè admonet) quod aspectus, seu configurationes intermedij coitus minuunt significata: & ijdem met augent, & prouehunt. Si igitur in prognosticationibus circa tẽporum mutationes veritatem pronuntiare desideras, omnium significata simul coniungere, necessum erit: sic etenim certior certè iudex eris.

Annus Hyemalis.

Carolus V. Imperator.

Valens Antiochenus.

C Quid

Quid ex Regiomontano, & Stoeflerino circa temporum mutationes elicitur. CAP. IX.

IN prærecitatis digressionibus circa aeris mutationes, & temporum, iam vidimus quid senserunt veteres illi de prænoscendis temporum mutationibns: nunc dicendum remanet, quid de illis moderniores afferant. Et quamuis Bonatus ex nostratibus certè sit, cum tamen ex corde Arabes, & Aegyptios in omnibus ferè sequatur: in eorum parte reponendum duximus. Dicamus igitur quid recentiores docuerunt. Ioannes Regiomontanus, cuius tabulæ Astronomicæ seculum hoc nostrum illustrant, quinimò futuras semper illustrabunt ætates: ad præcognoscendas temporum mutationes, aerisquè qualitates, in primis anni tépora obseruari præcipit cum Ioanne Stoeflerino insigni mathematico: secundo, signorum affectiones: Tertiò, planetarum fortitudines, irradiationesquè inter se: insuper climatum naturas, ascendentia, & similia: postremò inerrantium complexiones.

Ioannis Regiomontani, & Stoephlerini obseruationes.

Quatuor quippè sunt anni tempora, Ver, Aestas, Autumnus, & Hyems. Hæc frigida est, ideo phlegmatica: Autumnus frigidus, & siccus: ac propterea melancholicus. Aestas calida, & sicca: ideo biliosa. Ver calidum, & humidum, ac propterea sanguineum.

Anni temporum qualitates.

Signorum verò affectiones hæ sunt. Aries calidus est, & siccus, cum quo conueniunt Leo, & Sagittarius: & hæc est prima triplicitas, signa quidem Ignea. Taurus, Virgo, & Capricornus, frigida sunt signa, & sicca: ideo Terrea & hæc est secunda triplicitas. Gemini, Libra, & Aquarius calida, & humida, ac propterea aerea tertiæ triplicitatis. Cancer, Scorpius, & Pisces, frigida, & humida sunt signa: ideo humida, & aquatica, quartæ triplicitatis. Quarè si stellæ errantes vel in signis igneis coierint omnes (quòd rarò accidit) vel plures, ad minus duo, præsertim superiores: vel saltem in illis se aspexerint: caloris superfluitatem, & maximæ siccitatis indicium in æstate præsertim denotant: & in hyeme tempetamentum. Si in signis terreis, & frigidis, gelu certè, & niues in bruma futuros prænuntiant cum æstatis temperiè. Si in aereis, ventorum frequentiam, & maximam in verè, & autumno. Si tandem in humidis, & aquaticis, quàm plurimas in hyeme pluuias, & in æstate temperamentum significant; obseruatis quoquè stellarum inerrantium naturis, earum præcipue, quæ in signifero vel corporaliter, vel proprius adsunt. Incipiamus igitur singula sigillatim enarrare.

Signorũ triplicitates.

Saturni cum Ioue in signis igneis coitio ante & post per plures dies magnam parit siccitatem: sicut erit anno salutis M.DC.III. mense Decembris die vigesima quarta: vbi in meridie coniungentur simul Saturnus, & Iuppiter in partes nouem, & scrupula prima triginta sex Saggitarij: facta primò coniunctione cum Mercurio, à quo distabunt gradu vno, cum scrupulis primis decem. Saggittarius ergo cum sit signum igneum, promittit non solum per plures dies ante, & post, magnam aeris siccitatem, cum in illo Saturnus, & Iuppiter coibunt: verum futuris annis interuallo scilicet annorum sequentium viginti. Hæc certè erit illorum generalis dispositio, vt supradictum est, consideratis etiam stellarum testimonijs: duorum quoquè luminum constitutione: insuper & solis reditu ad punctum illius coniunctionis, & cæteris huiusmodi. Quarè illorum annorum spatio generabuntur in Cœlo Halones

Anni 1603. dispositio.

Saturni, & Iouis coitio in signis igneis, quid efficit.

discursus

difcurfus ignei,faces,igneæ impreffiones:amplius horrenda tonitrua,fulgura,corrufcationes,& incendia multa erunt, præfertim locis illorum fignorum triplicitati fubiectis. Quòd fi Saturni, & Iouis coniunctio fuerit in fignis humidis, & aquaticis,dubio procul portendi videtur continuas aquarum inundationes, marium tumultus,& incrementa,atquè particularia diluuia.Sicuti fuit ab anno reparatæ falutis 1583.vfquè ad viginti fequens 1603.Tunc etenim Saturni,ac Iouis coniunctio accidit in partes 21.& fcrupula prima quatuor figni pifcium: hora decima, fexta, & fcrupulis primis decem poft meridiem ad poli altitudinem grad. 45. Quarè factum eft, vt in intermedijs annis magnæ fequutæ fuerint aquarum inundationes, marium incrementa ob crebras pluuias. Me difcedente è Mediolano Bononiam verfus, ftudiorum gratia, tanta eft fequuta aquarum inundatio in Ticinenfi agro, & Placentino, locifquè circumuicinis: vt homines prætimore ad vltima domorum loca, atquè fupra tecta confugerent. Porrò inundauerant aquæ ad medias domus vfquè,cimbæquè paruç enauigabant loca,vbi iam vinee cum vuis pendebant: vbi arbores cum fructibus, & arbufta infpiciebantur, vbi via Regia (præfens eram) non nifi vt reclufis opitularentur. Fuit is annus falutis 1587. menfe Septembris verfus finem. Deinde per annos fequentes flumina, padus præcipuè, adeò aucta funt: vt è proprio fluxerint loco aliunde; totamquè illam regionem inundarunt cum maximo incolarum damno, & timore. Sed & Neapoli magnam aeris conturbationem intulit fynodus illa, maximamquè ventorum pugnam: indequè marium incrementa mira. Nam & per duos annos continuos influxus ille ciuitatem afflixit. Primò Aprilis menfe paulò poft fanctum Pafcha, tot touitrua, fulmina, corrufcationes, terrores, pluuiæ, tempeftatefquè exortæ funt: vt circa maritimas ciuitatis oras, ad molum (vt barbaro hoc vtamur vocabulo) ita mare percrebuit, inundarunt aquæ, ventiquè excitati funt: vt triremium aliquarum maxima iactura fequuta eft cum hominum fuffocatione in Aquis. At quod admirabile vifu erat, lapides marmorei magnitudine infignes, fabricaquè portus à mari impetu rupta, quam homines triginta mouere minimè potuiffent, ab vtraquè parte ad alteram,à parte fcilicet meridionali feptentrionem verfus circa finiftram portus oram, aquarum impulfu, ac vehementia, cuncta tranfportata funt. Res quidem valdè mira, fed veriffima. Hæc autem euenerunt annis Domini 1596. & 1597. At non Neapoli folum, fed alijs quoquè locis, vt fama volabat: hæc, & fimilia acciderant. Sed reliquorum quoquè planetarum configurationes cum Saturno explicare, operæ prætium eft.Saturni itaquè quadratus, oppofitus, & fextilis afpectus cum Ioue in fignis humidis, magnas aeris, mutationes excitat: nempè per plures dies ante, & poft:pluuias cum ventis, & grandinibus. Eiufdem coitus cum Marte in fignis humidis,quadratus quoq; & oppofitus,imbres,& pluuias cum grandibus,tribus fermè diebus ante,& poft,generat. Eiufdē infuper fynodus tetragonica irradiatio, & diametralis cum fole; pluuias, grandines, diefq; frigidos ante,& poft aliquot dies generat:in fignis præfertim aqueis.Saturni quoq, coniunctio,quadratura,& cum Venere oppofitio,efficiunt,vt pluuiæ,imbrefq; de cælo cadant: & frigora generentur; & eò magis,cū aderit lunæ teftimoniū ad prædictos afpectus in fignis aqueis. Eiufdem fubinde coitus,quadratus, & oppofitus afpectus cum Mercurio in humidis fignis pluuiam,humiditatēq; gignere in ficcis,ficcitatē.Porrò omnes fupradicti Iouis afpectus cum Marte,pluuias cū corrufcationibus,& tonitruis denotant:cum fole, vehementes ventorum flatus expellentes, pluuias indicant: cum Venere in humidis fignis leues, ac mites pluuias efficiunt: in alijs verò fignis cum coierint, (vt in pluribus) ferenitatem pronuntiant: cum Mercurio tandem expergifcuntur

Saturni, & Iouis coniunctio in humidis fignis qd portendit.

Mutationes temporū ex duorum fuperiorū coitu in Gallia cifalpina.

Temporum mutationes Neapoli.

Saturni cum figurationes cum errantibus,& portenta.

Iouis afpectus cū planetis,& effectus

Martis schemata cũ erronibus; & portenta.

venti, fitquè magna portarum apertio: de qua inferius dicemus. Verum Martis coitus, quadratus, & oppositus aspectus cum sole in signis igneis siccitatem, in aqueis, imbres, pluuias, & tonitrua excitant. Cũ Venere in signis humidis pluuias gignunt: si tamen adsit subito erit portarum apertio. Cum Mercurio autem in signis calidis caliditatem: in siccis, siccitatem: in aquaticis, imbres declarant. Quòd si euenerit sub aerea mansione, ventos exagitant. Solis autem, & Veneris coitus in signis humidis, tetragona irradiatione, & opposito Lunæ aspectu adiutus: pluuiã indicat. Quòd si Mercurio in aeris signis copuletur, ventos producit: in aqueis verò signis, & humidis, pluuias. At Venus, & Mercurius in humidis signis simul iuncti, imbres pollicentur: nisi à maleuolis impediti. De Luna dicendum nunc remanet.

Lunæ configurationes cũ planetis, & temporũ mutationes.

Lunæ igitur coitus, vel tetragonus, vel oppositus aspectus cum Saturno in signis humidis, diem nebulosum, & frigidum iuxtà signi naturam promittit. Quòd si à Saturno discedens, soli per omnes aspectus, præter trigonum se copulauerit: fiet valuarum apertio; presertim si superiores planetæ per quadratum, oppositum, aut etiam sextilem aspectum, testimonia sua concesserint. Lunæ insuper synodus cum Ioue in domibus Martis albas nubes toto cælo spargit. Cui si testimonium Mars dederit, puta per omnes aspectus, præter trigonum; tonitrua, & corruscationes portenduntur. Quòd si post coniunctionem cum Ioue ad Mercurium accesserit: apertio valuarum ventorum erit. Idem eueniet, si Iouis quadratus, vel oppositus aspectus cum Luna aderit; nempè ventorum flatus. Quòd si abfuerint planetarum testimonia, qui motu tardiores se ostendent: talis quippè coniunctio serenitatem efficiet. Lunæ insuper coniunctio, quadratura, & cum Marte opposito in signis humidis, pluuiam ciet. Quòd si Luna à Marte separetur, & ad Venerem applicuerit: valuæ apertio est super Venerem; & è regione, si a Venere segregata ad Martem decurrerit; erit quidem tunc apertio portæ super Martem. Verum in signis igneis, croceas nubes, rubeasquè toto cælo sparget: quæ aliquando pluuias emittent; præsertim si planetarũ testimonia aderunt: maximè illorum, qui pluuiosi sunt natura. Luna insuper per omnes aspectus cum sole præter trigonũ, pluuias inducit in signis humidis. Quæ si post coniunctionem ad Saturnum per sextilem, tetragonum, vel oppositum aspectum peruenerit: valuarum apertio fiet. Amplius

Valuarum apertio.

Lunæ coitus, tetragonus, & oppositus cum Venere in signis humidis, niues, leuesquè pluuias cum frigore excitat. Quæ si à Venere discedens, Marti per omnes aspectus præter trigonum, se applicuerit: apertio valuarum erit. Cum Mercurio autem se coniungens, vel tetragona irradiatione, aut diametrali in signis humidis illum respiciens: imbres generat. Quòd si Luna à Ioue separetur, & ad Mercurium venerit: porta ventorum erit; præsertim si Saturni, & Martis testimonia illi coniunctioni aderint per quadratum, vel oppositum aspectum. Quid autem sit portarum, vel valuarum apertio, aut quid sit dictu, quòd scilicet erit apertio portæ, vel valuæ super talem, vel talem planetam; paulò inferius dicetur: quàm certè rem in peculiari etiam capitulo non segniter examinabimus. Sed prius quid Stoephlerinus insignis mathematicus de temporum mutationibus scripserit, quiduè obseruauerit: diligenter expendemus.

Sito-

Stoephlerini præcepta circa mutationes temporum, aerisquè qualitates. CAP. X.

PROFVNDIVS cælorum naturas, syderum aspectus, stellarumquè influxus speculatus Ioannes Stoephlerinus, nonnulla nobis reliquit præcepta, cum aliena, tum propria obseruatione diligenter animaduersa: ac à nobis diligentius animaduertenda. Quæ rectè animaduersa, temporum mutationes, aerisquè qualitates certius nobis ostendent: ac prudens mathematicus certior erit in pronunciando; quæ iuncta à nobis iam explicantur. Obseruandum est itaquè in primis, quis sit coniunctionis, tetragoni, & oppositionis duorum luminum dominus: per illum namquè certius ex cælesti schemate aeris mutationes prædicet. Itaquè erigenda est ante omnia cæli figura pro tempore æquato supradictorum aspectuum, nempè synodi, quadrati, & oppositi: & inspiciendum est, in quod signum, & in quem cælestis figuræ locum aspectus illi cadant. Subinde animaduertendum est signum, & illius gradus horoscopans, qualis sit. Amplius signa angulorum memoriæ mandanda sunt: & videndum, quæ sint. Quandoquidem qui planeta in omnibus his locis, plura habuerit dominia, testimoniaquè is dubio procul figuræ illius, & temporis præcipuus dominus iudicabitur. Qui autem pauciora particeps erit in dominio. Nam cum ille hunc præcellat: ille isti præponi debet. Vide igitur cuius naturæ sit planeta in figura prædominans, quia talis erit temporis dispositio generalis: qualis erit natura planetæ, & qualitas. Porrò si dominus temporis synodi, quadrati, aut oppositi fuerit Saturnus, huiusmodi tempus dubio procul erit frigidum, & siccum: nam talis naturæ est Saturnus. Si Venus, humidum: quia Venus humida est. Si Mars, calidum, & siccum: sicquè de reliquis iudicandum, & proferendum est, præter duo lumina: Nam in huiusmodi re duo cæli lumina non eligi possunt in temporum dominos iuxtà insignium virorum sententiam: quia generales temporum gubernatores esse, asseuerant. Cæterum in coniunctione à loco coniunctionis eligunt dominum: in oppositione ab huius luminaris loco, quod est supra terram, vel præcisè in parte, cæli orientali: cum eo in loco maior adsit virtus. De tetragono idem ferè arbitrantur, cuius locum, si alterum luminare est subtus terram: à loco luminaris supra horizontem existentis, accipiunt. Quòd si vtrumquè fuerit supra, vel sub terra (quod plerumquè euenit) tunc locus illius luminaris, qui in figura fortior, ac fortunatior existet, in locum tetragoni assumi debet. Vt si vnum luminare in angulo fuerit, aut succedente: tanquam fortior in locum tetragoni poni debet. Planetarum verò testimonia, atque dominia, in tabula propria pro huiusmodi rebus indagandis, inspici debent. Ad tẽpus itaquè coniunctionis, quadrati, & diametri, duorum luminum, delecto domino, nota primò naturam eius, & affectionem: plerumq; enim tempus eandem imitabitur. Secundò vide signum quod delectus dominus obtinet, ad cuius naturam, & qualitatem accedit: ad illam namquè tempus disponetur, nempè ad terream, aqueam, aeream, aut igneam. Tertiò diligenter considera signum horoscopans, eius affectionem, & cuius lunaris mansionis existat: dominumquè signi horoscopantis etiam attende. Quartò animaduerte, planetarum qui sunt in angulis? Qui certè decimum locum, aut primum possident: fortiores sunt illis, qui septimum, aut quartum occupant. Quintò, inspice, cum quo planeta, luna

Stoephlerini obseruationes.

Planetæ qualitas, & natura indicat temporis dispositionem.

Luminaria generales temporum gubernatores.

Obseruatio in tetragonis.

Obseruationes generales in aspectibus.

luna post coniunctionem, tetragonum, aut oppositionem, aspectu se applicet. Sextò videndum est, quibus stellis siue errantibus, vel inerrantibus, figuræ dominus iungitur, aut ab eis aspectu afficitur. Ex quibus omnibus diligenter perspectis, prudens mathematicus elliciet iudicium non longè à vero: quod erit tale. Si coniunctionis dominus, vel tetragoni, aut oppositionis, natura, affectioneque fuerit humidus, & loca principalia iam enarrata, & planetæ in illis humidi: & cum hoc ipse dominus quoquè stellis tàm erraticis, quàm fixis humidis coniunctus fuerit, aut earum radijs illustratus: lunaquè post separationem coierit, vel se aspexerit cum planeta humido, ac in his omnibus temporis natura concordauerit: si (inquam) omnia hæc, & similia, aut potior pars ad humiditatem declinauerint: eueniet humiditas. Si ad siccitatem, siccitas: si ad caliditatem, calor: si ad frigiditatem, frigus. Si verò testimonia, dominiaquè fuerint æqualia; tempus indifferens existimabitur. Quòd si post habitam temporis generalem dispositionem, lunæ applicationes ad planetas, & planetarum inter se (quas in ephemeridibus perspicies) cum generali dispositione ipsius temporis commiscueris, particularium rerum certior iudex eris: ac propterea certius temporum mutationes, aerisquè qualitates vaticinaberis. Tempus autem mutationis aeris ex duobus habebis; primò, cum luna post synodum, tetragonam irradiationem, & oppositum aspectum, aut corpore, aut aspectu efficaci, significatori iungetur: tunc quidem temporis significatio maximè mouebitur. Secundò cum luna ad signum horoscopans synodi, tetragoni, aut oppositi peruenerit: tunc iuxtà naturam, & ipsius signi affectionem, mutabitur quoq; tempus. Hæc sunt, quæ ex Stoephlerino pro eliciendis temporum mutationibus, aerisquè qualitatibus, manifestauimus: reliquum verò est, vt de valuarum, seu portarum apertione dicamus.

Indicii mutationis temporum ex luminarium aspectibus.

De valuarum, seu portarum apertione pro tempore mutationibus sciendis. CAP. XI.

VALVARVM, seu portarum apertio in planetis dicitur, cum ex eorum coniunctionibus, & aspectibus maximè fiūt inundationes, seu particularia diluuia: vel grandis ventorum pugna iuxtà planetarum naturas. Ad similitudinem dicta de portis, quia si in loco, vbi aquarum multitudo recluditur, fieret porta, subito aquæ in immensum decurrerent: ita de cælo, ex planetarum coniunctionibus, atquè aspectibus aquæ sic in immensum quandoquè prodeunt, quod cæli portæ videntur aperiri: iuxtà illud Genesis septimo; cataractæ cæli apertæ sunt, innuens diluuij inundationem super terram. Duplex igitur in vniuersum est valuarum apertio, altera pro pluuijs antecedentibus, & consequentibus: altera autem pro ventis. Hæ verò duæ vniuersales in decem particulares resoluuntur, iuxtà decem aspectus, & planetarum coniunctiones. Fitquè quidem in illis, quorum domus adinuicem aduersantur: vt in Saturno, & Sole. Nam Saturni domus diurna est Aquarius: Solis autem Leo. In Saturno, & Luna, cum Saturni domus nocturna sit Capricornus; lunæ verò Cancer. In Ioue, & Mercurio cum huius domus sit Gemini: illius autem Sagittarius domus diurna. In Marte tandem & Venere, nam illius quidem domus diurna est Aries: huius verò est libra. Quotiescumquè igitur coniungentur simul Saturnus, & Sol, vel tetragonica irradiatione se respexerint, aut diametro se percusserint: toties quidem fiet ex

Portarū seu valuarū apertio quid.

Valuarum apertio quo tuplex.

ex huiusmodi aspectibus valuarum, seu portarum apertio. Idem quoquè fiet ex coniunctione, quadrato, & oppositione Saturnj cum Luna, Iouis cum Mercurio: Martis cum Venere:semper etenim erit valuarum apertio. Habemus itaquè quatuor valuarum apertiones. Amplius si Luna ab aspectu, seu solis coniunctione ad Saturnum transfertur, vel à Saturni synodo, seu aspectu ad Solem: fit similiter apertio portarum. Rursus si Luna à Ioue ad Mercurium per synodum, vel aspectum transfertur, & à Mercurio ad Iouem: accidet etiam valuarum apertio. Demum Lunæ progressus per aspectum, seu coniunctionem à Marte ad Venerem, & à Venere ad Martem; semper portarum apertionem efficiet. Igitur habemus decem planetarum modos, quibus fit valuarum apertio, quatuor quidem respectu omnium planetarum adinuicem: sex verò respectu lunæ ad sex planetas. Ex his ergò valuarum, seu portarum apertionibus fiunt maximæ aeris mutationes iuxtà planetarum naturas: inter quos fit translatio. Sanè dominus, & rei significator erit ille, qui coniunctionem seu aspectum recipit: vt si Luna transferatur à solis coniunctione, vel aspectu ad Saturnum, Saturnus erit rei significator, quia recipit: ac propterea pronuntiato ea, quæ ad Saturnum pertinent, puta niues intensum frigus, & similia pro temporum natura. A Saturno ad Solem eadem erit prorsus significatio. Discessio insuper Lunæ à Ioue ad Mercurium, vt supra dictum est, rei significatorem, & dominum Mercurium denotat, vel è conuerso, Iouem. Quarè erit validissima ventorum apertio. Egressio tandem Lunæ vel synodum, vt dictum est, vel per aspectum à Marte ad Venerem, innuit certè Venerem esse rei significatricem: & è conuerso, Martem. Quarè multas pluuias, & tonitrua efficiet. At non solum Lunæ translatio per coitum, vel per aspectum ad supradictas stellas (vt iam prærecitatum est) temporum mutationes, quæ apertiones portarum dicuntur, efficit: verum solus illorum congressus magnas quidem in cœlo faciunt mutationes, temporumquè constitutiones. Qui est triplex; nempè Saturni cum Sole, & Luna: Iouis cum Mercurio: & Martis cum Venere. Primus niues, pruinam, frigus, tempus turbulentum causat: in æstate calorem noxium, aridum, non tamen magnum. Secundus ventos, caloris incrementum, aeris conturbationem, & particulares pluuias. Tertius corruscationes, fulgura, tonitrua, & vniuersales pluuias.

Valuarum apertionis modi.

Effectus apertionis valuarum.

Subinde adnotatu dignum est: planetam, cui primò luna iungitur, vel aspectu valido sociatur, dici, portam aperire super illum cui secundò iungitur, vel sociatur. Quod in idem quasi redundat: quod de receptione dictum est. Quarè valuarum apertio Veneris super Martem pro temporis conditione, signi, & loci natura: pluuias cit, fulgura, tonitrua, & quandoq; niues. Martis supra Venerem, ventos Australes: Mercurij super Iouem, ventorum pugnam, præsertim boreales: Solis super Saturnum, tenebrosum aerem, nubes densissimas, aquarum inundationes magnas, excitantes. Sed memor esto hospitis (vt iam dictum est) signi planetæ vincentis, & liberi. Quòd si Mercurius fuerit planetam ventis portas aperientem aspiciens: vel vnus fuerit, vel duo luctantes ventos; tempestatesq. horrendas ciet.

Sententia miſcellaneæ circa temporum mutationes.

CAP, XII.

Teucri Babylonij ſententia de trium ſuperiorũ ſynodo i aquea triplicitate.

TEUCRUS Babylonius dixit,quod trium ſuperiorum ſynodus in aquea triplicitate,puta Cancri, Scorpij, & piſcium: aquarum defectum decernit; & ſi magnas marium turbulentias cum nonnullis conſequentibus, ſignificare autumauerit. At quomodo hoc ſit verum, alijs decidendum relinquimus: cum plerique ex ſimili ſynodo diluuia portendi,arbitrentur. Nihilominus tamen verum eſt, quòd ſuperiorum dumtaxat coniunctionem ponunt in Cancro pro pluuiarum abundantia;quemadmodum in alijs quoq; ſignis aqueis dempto Marte:quia Mars impedit,cum caliditate maxima vigeat; quamuis ſi in aqueis reperiretur ſignis cum duobus ſuperioribus iunctis:tonitrua, coruſcationes, & fulgura excitare, haud dubium eſt. Sic igitur poteſt dici, quòd Mars duobus iunctus ſuperioribus, influxus ad maria tranſmittit: aquas commouendo.

Ptolemaicæ præpoſitiones circa téporum mutationes præſertim in méſe.

De dignoſcendis futuris temporum mutationibus, præſertim in menſe, extant tres Ptolemaicæ ſententiæ. Prima Aphoriſmo trigeſimo quarto ſui centiloquij: ſcilicet,quod hoſpitator,ſeu dominator interlunij ſi cardinalis fuerit quæcumquè illo menſe futura ſunt,ſignificat. Altera numero trigeſima quinta eſt. Sol cum in alicuius ſtellæ locum deuenerit,vim eius excitat,quam in aere habet. Tertia verò quam affert propoſitione ſexageſima ſecunda ita ſe habet.Cum minutum coniunctionis principium facies, potes de mutatione aeris in menſe illo iudicare. Erit namquè iudicium iuxta dominatorem anguli figuræ cuiuſquè. Vincit enim hic aeris naturam,aſſumens in his etiam præſentis temporis qualitatem. Haſce ſententias à Ioanne Iouiniano Pontano luculentiſſimè expoſitas,habes: ſicuti è Greco in latinum doctiſſimè,atquè ad germanum ſenſum conuerſas,lege eas.

Meſſahalae placitum.

Meſſahalac in libro de ratione circuli,& ſtellarum,& qualiter operantur in hoc ſeculo,capite quarto,de reuolutione annorum conuenit cum alijs circa præſcientiam de temporum mutationibus. Eſt namquè illius opinionis, vt hora introitus ſolis in primum Arietis punctum erigatur figura, conſtituatur aſcendens: inſcribantur planetæ ad eamdem horam ſupputatæ in locis ſuis. Deinde videndus eſt, qui præſit.Qui ſi fuerit fortunatus,aptabitur certè tempus: ſi infortuna, vel impeditus,corrptionem influet.Idem quoq; præcipit faciendum in quartis anni,& eius menſibus. Amplius ſentit; quòd planetæ cum fuerint ſimul iuncti in ſignis aquaticis in anni reuolutione:multitudinem pluuiæ ſignificabunt.In ſignis igneis caloris ſuperfluitatem,vel ſiccitatis,& terræ ſterilitatis:in aereis,ventorum multitudinem:in terreis verò,gelu,atquè niues: quod & in quartis anni ſimiliter obſeruandum eſt. Nam cum fuerint in locis frigidis, frigoris grauitatem ſignificabunt; & caloris minutionem. Deinde dicit, quòd cum fuerit, Mars dominus quartæ æſtiualis, & in aliqua domorum Mercurij, pluuiarum multitudinem, & peſtis periculum ſignificabit. Capite autem ſexto, vbi de temporum mutatione per mutationem planetarum digreditur, hæc inquit. Cum volueris præſcire temporis varietatem ſuper res diuerſas mundi corruptibilis, ſcito vtrum ſigna planetarum ponderoſorum ſint calida, vel frigida:calida certè ſi fuerint, ſignificabunt in æſtate calorem,& in hyeme temperamentum,frigida vero frigus in bruma ſignificabũt:

&in

& in æſtate temperamentum. Similiter cum coniuncti planetæ fuerint in ſignis aqueis, ſuperfluas pluuias denotant, aeriſquè corruptionem per eaſdem pluuias in bruma: ſed in æſtate aeris temperamentum, & roris abundantiam. Rurſus inquit planetæ ponderoſi cum in directo alicuius regionis fuerint, hoc eſt in ſignis ſeptentrionalibus ſiccitatem, terræq. ſterilitatem ſignificabunt. Cum verò ab ea elongati fuerint, hoc eſt cum in ſignis meridionalibus extiterint: pluuiarum abundantiam denotabunt. Amplius ait. Ponderoſi planetæ cum fuerint omnes orientales, ſiccitatem manifeſtabunt: occidentales verò pluuiarum multitudinem in hyeme, & aeris temperamentum in æſtate. Pleraquè alia in eo libello docet ſcitu digna.

Almanſor in ſuis Aphoriſmis ad Saracenorum Regem dedicatis, Aphoriſmo vigeſimo ſecundo hæc ſcribit. Dominus quinti circuli (ſcilicet Venus) ſignificat madefactiones, & pluuias. Rurſus Aphoriſmo vigeſimo nono, dominus quinti circuli (hoc eſt Venus) cum fuerit in prima Cancri parte: faciet pluuias. Subinde Aphoriſmo quinquageſimo quinto hæc ſcribit, Cācer ſignificator eſt ſuper aquas multum mobiles. Scorpius ſuper aquas decurrentes riuorum, piſces ſuper immobiles, vt lacunas, & puteos. Aphoriſmo autem octuageſimo hæc regē docuit. Cum fuerit Mars cum ſole in ſeptentrionalibus ſignis: erit calor maximus. Similiter quùm ſol fuerit ad Saturnū in ſignis meridionalibus: erit frigus maximū, & è cōtra (Almanſoris placitum in temporum mutationib'.)

Hermes in ſuo centiloquio Aphoriſmo trigeſimo quarto hæc de aeris mutatione faſſus eſt. Temperantia aeris ex coniunctione Iouis cum ſole continget: præſertim in ſignis aereis. Ex coitu verò Saturni cum ſole fit frigus. Guaricus autem addit cum Ioue etiam: ſed in textu Hermetis nō adeſt Iuppiter. Ex coniunctione Martis cum Sole in ſigno bicorporeo veris tempore fit tenebroſitas aeris: & infirmitates frequenter contingent. Aphoriſmo autem trigeſimo quinto dixit: quòd æſtiuo tempore, quùm ſol Martis teminos ingreditur, fit æſtus: in hyeme verò ſiccitas, & paucitas pluuiarum. Hermes, Abraham Aueneire, & Ioannes Hiſpalenſis de parte pluuiarum dixerunt: quòd illa accipitur a Sole in Saturnum: & proijcitur a luna. Vnde verſus. (Hermetis ſētentia de aeris mutatione.) (Pluuiarum pars iuxta Hermetem, Abrahamum Aueneire, & Io. Hiſpalenſem.)

A Sole in partes Saturni collige gradus.
Et totidem à Luna numerabis in ordine, pars hæc
Aera vel turbans largos denuntiat imbres.
Aut ventos abigit, tempeſtateſquè ſerenat.

Quarè ſi pluuiarum pars in Saturni domo ceciderit, & Martis: turbat aera. In domo Iouis, & Mercurij ventos excitat: in domo Veneris, & Lunæ pluuias ingerit: præſertim ſi luna ac eius hoſpitator in ſigno, & manſione humida extiterint luna in nono, & vigeſimo primo gradu Tauri, & Scorpij: in vigeſimo primo gradu Leonis, & Aquarij: in quarto, & decimo octauo gradu Virginis, & piſcium: in primo, & decimo tertio gradu libræ, & Arietis, ſemper quodamodò, pluuias facere conſueuit. Ita docet Guaricus. Carellus verò inquit, in vigeſimo primo gradu, in vigeſimo tertio, & vigeſimo quinto libræ. Lucas Guaricus dixit. Luna à tertia leonis parte vſquè ad decimam ſextam, quùm ſub manſione humida, & Cancro octaui orbis progrediatur: ſæpè numero pluuias facere conſueuit. Sua obſeruatio eſt. (Guaricus. Carellus.)

Hermes trigeſimo tertio Aphoriſmo habet, quod Saturno ab vno ſigno in aliud tranſeunte, fieri in cœlo Diachohontes: quod Arabes vocant Aſſub, vel quædam alia de natura ignis: ſed libet, & noſtras quoquè obſeruationes afferre, quæcumquè ſint illæ. Quarum etſi quædam à nonnullis obſeruatæ ſunt: à nobis quoquè ſunt obſeruatæ, & verificatæ. (Hermetis pronunciatum de Aſſub.)

D Sole

Sole igitur à vigesimo quinto gradu cuiuscumquè signi completo, & aliquando paulò ante,& quandoquè paulò post, vsquè ad trigesimum inclusiuè progredien-te: semper quodamodo mutari tempus vel in pluuias, vel in ventos, vel a bono in malum,vel a malo in peius, pro temporum natura, & stellarum constitutione animaduertimus. Luna in Virgine, & Sagittario sæpè numero aereis qualitates turbare consueuit iuxtà temporis naturam, sed in Sagittario plus. Luna, quarta, vel quinta die post Solis coitum, si tempus mutauerit: talem certè efficiet sequentis mutationem temporis, saltem vsquè ad quintam decimam, idquè duplici ratione prima, quia tunc nouo lumine lucet: secunda est, quia tunc bis distat a sole in decem horis,aut paulò plus,parte integra totius circuli, scilicet quadraginta gradibus, deinde quadraginta quinque. Hoc item obseruatur quarta, vel quinta die post quartam decimam: vel quarta die,donec soli iterum copuletur. Quamuis id postremum non sit tam constans,vt primum. Antiquorum fuit hæc obseruatio: & nos quoquè obseruauimus,& verificauimus.Quarè a quibusdam barbarè canitur.

Authoris obseruationes.

Quarta, quinta Luna,qualis; semper erit dies talis.

Sed lege Plinium libro secundo, capite quadragesimo sexto. Huius quoquè meminit Ptolomæus libro secundo sui quadripartiti cap. 12. quem locum Cardanus egregie explicat.

Plinius. Ptolomæus. Cardanus.

Luna ad eundem locum regrediens, vbi soli prius coniuncta fuit: sæpè tempus mutat,iuxtà temporis qualitates,& cęli statum.

Luna cum ad ascendens interlunij,seu plenilunij peruenerit:sæpè mutari aerem obseruauimus; quinimò ad ascendens tetragonicę irradiationis plerumquè:quod planè intelligendum est iuxtà illorum aspectuum decreta.Sed nolumus hoc in loco aliquas Cardani, & Verneri obseruationes omittere cum quia hic sit propriè earum locus: tum etiam cum sint a nobis quoquè verificatæ,ac propterea de statu temporum nos certiores reddent. Ascendens cum ad planetam loci interlunij, aut plenilunij dominum peruenerit directione; dando partes tredecim, & minuta vndecim pro diebus singulis,tunc vtiquè mutabitur tempus. Plurium planetarum coitus adinuicem & præsertim cum fixis similis naturæ,aut contrariæ, mutat tempora:sed certius cum Luna corpore, vel aspectu ad illos peruenerit. Quod si similes coniunctiones in interlunia, aut plenilunia inciderint: validiores vtiquè erunt. Sol, Mars, & Venus si æquinoctij hora, occidentalis cardinis partem ingrediantur:pro suæ naturæ qualitate maximas aeris mutationes afferent. Luna similiter quoties planetæ occiduum æquinoctij cardinem peragranti occurrerit: toties aerem mutabit. At id minus firmum Cardanus pronuntiat, sed Vernerus cum sæpè obseruauerit: verum plerumquè inuenit. Interlunia æstiua calidiora sunt, ob lunæ proximitatem ad nos: ideo tempora calidiora erunt; plenilunia autem frigidiora. Sol namquè in æstate cum nobis sit proximus, sequitur, vt lun in plenilunio illi opposita sit a nobis remota. In bruma verò est oppositum: Inte[r]lunia namquè frigidiora sunt ob lunæ remotionem a nobis: plenilunia verò tepidiores faciunt noctes, quia luna tunc nobis proxima est. Idem quoquè obseruabitur de Ioue, Marte, qui sunt calidi planetæ, quamuis inæqualiter: contrarium verò erit de Saturno,planeta frigido, & de Mercurio, quùm Saturniæ qualitati copulabitur. Multa similia afferri possent: Verum ex dictis, & ex dicendis, manifestiora erunt.

Verneri, & Cardani obseruationes.

Interlunia æstiua calidiora,plenilunia frigidiora hyemalia è contra.

Quid

Quid sit planetam super alium eleuari. CAP. XIII.

ANTEQVAM ad stellarum erraticarum positum, vt inde temporum qualitates eruantur, accedamus: quid sit planetam eleuari super planetam, explicare opære pretium est. Oportet namque hosce terminos dilucidare: vt possit prudens mathematicus se in his, & consimilibus dirigere. Sciat itaquè quòd planeta eleuari dicitur super planetam, vel cum se respiciunt, vel cum simul iunguntur, vel cum sunt in intuentibus se signis: vel alter in imperante signo, alter verò in obediente. Intuentia signa sunt illa quæ per antiscium se respiciunt. Et vocantur antiscia, seu se intuentia, vel eiusdem potentiæ, quoniam vtraquè signa ab ijsdem Orizontis partibus oriuntur, & occidunt: quia in eisdem sunt paralellis, cum æquali spàtio à punctis tropicis distent: atq. dū per illas partes sese intuentes sol discurrit: dies diebus, noctes noctibus, & horis horas æquales efficit. Cancer igitur intuetur Geminos, & Gemini Cancrum, Leo mittit antiscium ad Taurum, & Taurus ad leonem. Virgo intuetur Arietem: Aries Virginem: libra pisces, & pisces libram: Scorpius Aquarium, & Aquarius Scorpium: Sagittarius Capricornum, & Capricornus Sagittarium. Ita vt si planeta fuerit in prima signi parte, tunc intuebitur certè 29. partem alterius planetæ, qui in tali signo moratur, si in secunda, tunc mittet antiscium ad 28. & sic augendo, & minuendo, manifestus erit antiscij locus. Eadem fermè erit operatio circa scrupula, nimirum si planeta fuerit in primo signi scrupulo: tunc intuebitur alterum ad quem mittet antiscium in scrupulis 59. & si in secundo, tunt mittet ad 58. sicquè de reliquis. Verum si expeditius id operari voluerit prudens mathematicus, subducat partes quarum antiscia queruntur, a gradibus triginta, qui integrum conficiunt signum, & resultans erit antiscij locus. Vt si Iuppiter sit in vigesimo gradu, & triginta nouem scrupulis leonis, cum leo ad Taurum suum mittat antiscium: subductis vigintis gradibus, & 39. scrupulis ab integro signo residuum erit antiscij locus. Ita igitur fiet, vt Iuppiter per antiscium reperiatur in partibus nouem, & viginti, & vno scrupulis Tauri. Modus hic diuersus est à primo, ita vt vna parte tantum ille hunc superet.

Intuentia signa, & antiscia idem.

Signa se intuentia.

Primus modus inueniēdi partes & minuta antisciorum.

Secūdus modus.

Nos verò tabulas subijciemus, ostendentes intuentia signa cum gradibut, & scrupulis, quæ per antiscium planetæ adinuicem trāsmittunt: ex Lucæ Guarici illustris Astrologi, & Episeopi supputatione, a Materni apotelesmatibus excerptas; Quarum prima erit graduum, secunda verò scrupulorum primorum.

Lucas Guaricus.
Iulius Maternus.

TABVLA ANTISCIORVM PRIMA.

contra vmbrationes partium | contra vmbrationes partium.

♊	in	♋
♉	in	♌
♈	in	♍
1	in	29
2	in	28
3	in	27
4	in	26
5	in	25
6	in	24
7	in	23
8	in	22
9	in	21
10	in	20
11	in	19
12	in	18
13	in	17
14	in	16
15	in	15
♓	in	♎
♒	in	♏
♑	in	♐

TABVLA ANTISCIORVM SECVNDA.

contra vmbrationes partium | contra vmbrationes partium.

1	in	59	16	in	44
2	in	58	17	in	43
3	in	57	18	in	42
4	in	56	19	in	41
5	in	55	20	in	40
6	in	54	21	in	39
7	in	53	22	in	38
8	in	52	23	in	37
9	in	51	24	in	36
10	in	50	25	in	35
11	in	49	26	in	34
12	in	48	27	in	33
13	in	47	28	in	32
14	in	46	29	in	31
15	in	45	30	in	30

Vt

Vt autem memoriæ mandentur, menteque retineantur intuentia signa: ipsius Lucæ Guarici Poetæ etiam clarissimi tetrastichon pulcherimum adducendum fore iudicauimus. Lucas Guaricus.

In Cancrum Gemini, in Geminos Antiscia Cancer,
Mittit, in Erigonemque Ariei, Taurusq. Leonem,
Scorpion ardenti cauda videt Amphora tetrum,
In Caprum Arcitenens, in Pisces libra gemellos.

Antisciorum rationes non sunt chimericæ, aut imaginariæ, sed reales: quinimò nil in cœlo realius ipsis. Comprobauimus nos ipsa ex vmbrarum discriminibus, diuerso tempore solis motu obortis. Nam qualis est solis vmbra in primo Cancri gradu existentis: talis certè est in 29. Geminorum, & è conuerso. Sed nihil sensibilitatis perspicitur ob signum tropicum: sicuti & in Capricorno, respectu Sagittarij in bruma. Sed qualis est in vigesimo Aquarij gradu: talis est in decimo Scorpij, & è conuerso. Igitur qualis est solis vmbra die nona Februarij (nam communiter eo die vigesimam Aquarij partem sol occupare solet) talis quidem est vmbra illius die tertia Nouembris: cum illo die decimam Scorpij partem sol replere soleat. Et qualis est vmbra solis die prima Septembris, cum sol octauam virginis partem obtinere solet: talis certè est illius vmbra die decima tertia Aprilis, quo die vigesimam secundam Arietis partem replere solet, sicque de cæteris. Quæ omnia proportionabiliter intelligenda sunt: adhibitis etiam minutorum rationibus. Vt igitur hæc quæ diximus, veritate comprobentur, statuatur circulus sphæricus Zodiaci signis, circum circa insignitus: quorum vnumquodq; triginta sit distinctum partibus, ea quippè ratione, vt à decem ad viginti, & ab his ad triginta terminetur. Non enim fieri potest: vt in tam angusto paginæ loco, vniuersus orbis omnium 360. graduum numero sigillatim describeretur: sed ea quidem ratione, vt illa spatij capacitate intercipiatur: quod à primo ad decem, decē numerentur gradus, à decem vsq; ad viginti alij decem, qui sunt numero viginti: & à viginti vsq. ad triginta, alij decem, qui sunt omnes numero triginta. Qui numeri sub quolibet signo in peripheria circuli signato, proportione analoga circumscribantur. Deinde producatur linea tamquam Axis, ab Artico polo, vsq; ad Antarticum: ita vt in duas Orbis secernatur partes. Porrò Cancri signum vti tropicum in dextra orbis parte inscribatur; Geminorum verò à sinistra; & post Cancrum sequatur leo iuxta signorum seriem: producanturque parallelæ lineæ à gradibus signi vsque ad partes alterius; quæ omnes certè erunt triginta quinque: manifestè tunc videbitur, quæ signa mittant antiscia adinuicem & quas partes, ad partes.

Non imaginariæ sed reales antisciorum rationes

Antiscia ex vmbris comprobantur.

Antisciorum praxis.

ANTISCIORVM APODIXIS.



Sed planetarum eleuationem adinuicem expendere necessum est : antisciorum ratione relicta. Itaquè dicitur tandem planetam super alium eleuari, si alter fuerit in imperante signo, alter in obediente iuxta quantitatem graduum luminis, quod est in eo, qui eleuatur, partium decem: & eum hoc ille super quem alter eleuari debet, non sit in proprijs dignitatibus : tunc quidem eleuari dicetur planeta quadrupliciter, puta Iuppiter super Martem : primo si Iuppiter dominetur loco Martis, & eò magis, si in proprijs dignitatibus reperiatur: secundo ratione motus primi, vt sit in eminenti loco: vt in nono, decimo, & vndecimo, vel in angulo: Mars verò in cadenti, & humili: tertio ratione solis, nimirum vt sit orientalis. Quarto ratione suorum orbium, quòd scilicet sit iuxta absidem eccentrici, vel auctus lumine, & motu: ita vt sint quatuor modi: priores tamen duo, validiores, & duæ necessariæ conditiones. At cum paulò superius dictum sit, planetam vno modo super alium eleuari, cum alter sit in imperante signo, alter verò in obediente: sciendum est, signa imperantia esse sex prima, Arietem scilicet, Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, & Virginem: obedientia autem sex reliqua, nimirum libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, & Pisces. Ita vt Aries dominetur piscibus. Taurus, Aquario: Gemini, Capricorno: Cancer, Sagittario: Leo Scorpioni: Virgo tandem libræ. Horum verò quæ tetragonica irradiatione se aspiciunt, odiose imperantia, & obedientia dicuntur: vt Taurus, & Aquarius: Leo, & Scorpius: quemadmodum etiam in intuentibus. Odiose namquè se respiciunt Leo, & Taurus: Scorpius, & Aquarius. Sanè partes imperantes, & obedientes cum minutis eadem quoquè methodo inueniuntur, qua intuentes, seu antisciorum partes. Sed minimè duo alij modi aspernandi sunt, quibus potest dici planeta superior alio: nimirum, cum alter sit in boreali latitudine, alter vero in australi: tunc dubio procul borealis superior

Postremus modus eleuationis.

Signa imperantia, & obedientia.

Planetã alio superiorem dupliciter intelligi potest

superior dicetur australi. Rursus motu velocior superior est tardiore, tardior stante: stans verò retrocedente. Et quamuis hoc discrimen parui videatur momenti in synodis trium superiorum inter se: in coniunctionibus tamen trium superiorum cum tribus inferioribus, & inferiorum inter se; est magni ponderis. Sed vide Ptolomæum libro secundo apotelesmatum.

De temporum qualitatibus ex planetarum positu in signis, ac ex vnius eleuatione super alterum, & primo de Luna.
C A P. X I V.

TEMPORVM mutationes ex planetarum positu in signis, & ad solis motum relatorum iuxtà illustrium virorum obseruationes, præsertim veterum, explicare nunc opus est. Ita enim abundantiorem doctrinam prudens Astrologus assequetur, certiorq. erit in iudicando: nam hæc scientia ab obseruatione pēdet. In primis digrediemur in vniuersum, deinde de luna: & de vnoquoquè sigillatim. Luna in generalibus constitutionibus calorem non significat, nisi cum eleuata fuerit super Mercurium in leone, quod quidem per accidens est, non per se: veluti de Saturno potest dici. Qui cum sit frigidus, super Martem tamen in Ariete, vel Geminis, aut Leone, vel Sagittario, aut Aquario eleuatus significat ventos calidos, caloremquè magnum: sed in piscibus calorem sine ventis. Idem quoquè efficiet eleuata super solem in Geminis, & Scorpio: sed suo tempore; & super Venerem in Cancro. Similiter Iuppiter super Martem, calorem, & siccitatem efficit: super Mercurium in Geminis ventos calidos, vt supra eundem Mars si fuerit in Virgine, vel etiam Capricorno, tempore suo tamen. Porrò Mars in Cancro, & Aquario supra solem, longe maiorem calorem, quàm in Ariete, vel Libra efficit. Idem quoquè supra Venerem eleuatus in toto trigono terreo, & in Cancro, magnos calores influit: sed in Tauro, & Capricorno suo tempore: hoc est in æstate, & in initio Autumni, in Cancro autem, & Virgine, dum ibi fuerit præsens. At Mars in Ariete, & Leone calorem magnum tempore suo significat: in Cancro autem dum ibi præsens fuerit. In Ariete Sol, vel in libra supra Martem eleuatus: magnum calorem tempore suo auget; veluti & supra Mercurium in Cancro, vel Leone; quamuis eleuationis tempus ab æstate parum differat. In Geminis verò multitudinem ventorum calidorum. Venus autem super Martem in Virgine eleuata, calorem magnum auget: super solem in leone, ventos efficit calidos: & super Mercurium in Cancro calorem magnum in æstate; Quod etiam significat in Leone, & Scorpio. Mercurius super Solem in Cancro eleuatus, caloris vehementiam: in leone ventos calidos; At si ibidem fuerit, validum calorem tempore suo significat. Proueniunt itaquè ista vel propter stellas, quæ ibi sunt: vel ob mixtionis naturam, sed non est perpetuum ob quandam antiparistasim, sicuti cum comparatur Saturnus Marti, vel soli præsertim: sed Veneri, & Mercurio per accidens contingit. Incipiamus nunc à luna, dicamusquè de ea particulariter. Luna in Ariete cum sola dominatrix fuerit, in aere multas pluuias, & humiditates denotat: & in aquis plerasquè inundationes. Verum commiscetur eius significatio cum signo Arietis æquidistans fuerit. Quæ si Tauro æquidistans fuerit multas pluuias, & frigoris vehementiam significat, Geminis verò pluuiarum superfluitatem. Porrò Cancri signo siccitatem, cum pluuiarum paucitate, leoni aeris inæqua-

Scientia ab obseruatione pen[det]

Lunæ dominium in temporum mutationibus.

inæqualitatem: Virgini pluuiarum multitudinem: libræ, aeris inæqualitatem: Scorpio, paucitatem aquæ fontium: Sagittario ſiccitatem, & quandoquè ſubitas pluuias: Capricorno, ſiccitatem: Aquario, pluuias: piſcibus autem pluuiarum exuberantiam. Quò verò ad eius eleuationem ſuper planetas in ſignis, hæc habentur. Luna ſi ſuper Saturnum in Ariete eleuetur, paucam pluuiam innuit: in Tauro, multas pluuias, in Geminis pluuiarum ſuperfluitatem: in Cancro idem cum multa humiditate: in leone, pluuiam multam cum humiditate, & ventis: in Virgine pluuiarum, & humiditatum ſuperfluitatem; idem in libra efficit. In Scorpio multas humiditates: in Sagittario, pluuiam ſuperfluam: in Capricorno, multam humiditatem, aquarumquè exuberantiam: in Aquario humiditatem cum aquis: in piſcibus tandem ſuperfluam pluuiam, & humiditates multas.

Lunæ eleuationes ſuper Saturnum, & effectus.

At in Ariete ſi eleuetur ſuper Iouem, erunt venti cum pluuia temperata: In Tauro, ſiccitatem minatur, deinde aquas multas: in Geminis humiditatem multam: in Cancro multi denotantur rores: in leone ſimiliter: In Virgine, pluuia abundans multæ aquæ, & aliquando ſiccitates: In libra, ſuperfluæ humiditates: idem in Scorpio cum aquis multis: Quòd in Sagittario quoquè, & Capricorno fore, maximè conſentaneum eſt. In Aquario autem humiditas multa erit: In piſcibus aquarum, pluuiarumquè ſuperfluitas.

Lunæ eleuationes ſuper Iouem.

Si verò ſuper Martem in Ariete Luna eleuetur, humiditatem multam ſignificat: in Tauro humiditatem, & frigiditatem intenſam: in Geminis, ſuperfluam pluuiã, & humiditatẽ: in Cancro pluuiam multã In leone aeris diuerſitatẽ, altercationemq; In Virgine multã humiditatẽ: In libra aquas multas, & humiditates: In Scorpio tonitrua, corruſcationes, & fulmina: in Sagittario aquas, & multas humiditates: in Capricorno, multitudinẽ, & inundãtiam aquarũ: In Aquario, ſuperfluam humiditatẽ: in piſcibus deniq. humiditatẽ multã.

Lunæ eleuationes ſuper Martem.

Porrò ſi Luna ſuper ſolem eleuetur in Arietis ſigno: pluuiæ erunt, tonitrua, & fulgura. In Tauro pauca pluuia: in Geminis, & Cancro pauca humiditas: In Leone humiditatem ſuperfluam, & aquarum abundantiam innuit; quòd in Virgine quoquè expectandum eſt: In Libra, & Scorpio, pluuiam ſuperfluam, & aquarum paucitatem: in Sagittario, & Capricorno idem cum ſuperflua humiditate: In Aquario corruſcationes, & tonitrua: in piſcibus deniquè corruſcationes, & multam humiditatem.

Lunę eleuationes ſuper Solem.

Verùm enimuero ſi Luna ſuper Venerem in Ariete eleuetur, ventum meridionalem inceſſantem impellit, & humiditatem multam influit: præſertim in quarta æſtiuali, ideſt ab initio Cancri, vſquè ad libræ initium; menſibus quippè Iulij, & Augusti, & parte Iunij, & Septembris. In Tauro autem tonitrua, & corruſcationes excitat: in Geminis, ventorum flatus: in Cancro multam humiditatem: In leone pluuiam, humiditatemquè: In Virgine humiditatem multam, & aquarum paucitatem: In libra multam humiditatem cum pluuiarum proſperitate: In Scorpio, & Sagittario ſuperfluam pluuiam cum humiditate multa: In Capricorno ſiccitatem: In Aquario pluuiam ſuperfluam, & pleraſquè corruſcationes: in piſcibus verò pluuiam, & humiditatis abundantiam.

Lunę eleuationes ſuper Venerem.

Luna tandem ſi ſuper Mercurium in Ariete eleuetur, pluuia multa erit, & ventus inceſſans. In Tauro pluuiarum mediocritas: In Geminis ventorum flatus, & temperata pluuia: in Cancro mediocris fluminum ſiccitas, & ventus inceſſans: In leone, humiditas pauca, ventus inceſſans, & vehemens calor: In Virgine pluuia, & mediocris humiditas: In libra humiditates pleræquè, & inundationes: In Scorpio pluuia ſuperflua multæ inundationes, & in horizonte ſtellarum communiũ apparitio. In Sagittario humiditates: In Capricorno pauca pluuia, & Horizontis ſiccitas. In Aquario, ventus inceſſans: in piſcibus ſuperflua pluuia, & fluminum inundationes. Alia verò quæ circa Lunam accidunt, ad temporum mutationes vaticinandas neceſſaria inferius manifeſtabuntur.

Lunę eleuationes ſuper Mercurium.

De

De Mercurij positu in signis, deque eius eleuatione super planetas pro temporum mutationibus eliciendis.
CAP. XV.

POST Lunam sequitur Mercurius ascendendo, dicemusq; primo constitutiones eius generales, deinde tẽporum mutationes ex eius in signis progressione, & ad solis motum relata: postremo eleuationes super cęteros planetas. Mercurius itaquè in Ariete, Cancro, Leone, & Virgine calorem adauget, sed non valdè nisi Marti misceatur: aut sit combustus; & in Aquario vespertinus idem facit. In Cancro cum boreali latitudine ventos indicat validos. Et si non sit cum Marte, & fuerit in radijs eius: puta quod Mars fuerit in decima leonis parte, & Mercurius in duodecima Aquarij, quod est signum oppositum: & si non in loco imperante, & similibus: velut etiam in eius dignitatibus: & Mercurius proprius cum per se fuerit: est siccitas. Si autem fuerit æquidistans in Ariete, multitudinem ventorum fortium, siccorumquè, multas nebulas cum caloris vehementia, & aquarum abundantia portendit: præsertim in parte occidentali. Septentrionalis verò aeris corruptionem: meridionalis, illius commixtionem denotat. Haly scribit Mercurium sub radijs tempestuosum esse, vespertinum benè complexionatum: matutinum, mundum aerem efficere. In Tauro æquidistans, caloris vehementiam cum incessanti flatu ventorum, bonam aeris commixtionem cum multis aquis, indicat: Septentrionalis mediocrem aeris commixtionem, meridionalis illius permixtionem significat. Sub radijs tempestuosus, & vmbrosus est, vespertinus bonæ complexionis: matutinus roridus, & mundus; retrogradus bonam aeris complexionem indicat: In Geminis æquidistãs similiter bonam aeris complexionem efficit, septentrionalis, ventos calidos: meridionalis, siccitatem aeris procreat. Sub radijs ventos cit in mari, & in terra, vespertinus desiccat: matutinus bonam aeris commixtionem. In Cancro ventorum multitudinem cum aeris frigiditate excitat. Septentrionalis, & meridionalis ventos cit validos: sub radijs eleuationem viarum maris ostendit, vespertinus tranquillitatem facit: matutinus bonam aeris commixtionem. In Leone paucitatem commixtionis aeris, caloris vehementiam: paucitatemq; pluuiarũ indicat. Septentrionalis flatum ventorum, & caliditatem: meridionalis, bonam aeris complexionem. Sub radijs ventum in occidente inducit, vespertinus suffocat. Matutinus serenum indicat. In Virgine ventorum superabundãtiam, calidorum ventorum vehementiam: & fortè bonam aeris commixtionẽ significat. Septentrionalis aeris siccitatem, meridionalis bonam quoq; aeris commixtionem ostendit: sub radijs procellas calidas, vespertinus, siccitatem: Matutinus humidum, & benè complexiotum se ostendit. In Libra multitudinem ventorum, eorumquè fortitudinem: aerisq. humiditatem significat, Septentrionalis humiditatis paucitatem, multasquè nebulas: meridionalis destructionem commixtionis aeris innuit. Sub radijs, fortissimos ventorum flatus, & contrarios, vespertinus bonam aeris commixtionem indicat: matutinus semper est vtilis, sed humidus. In Scorpio niues cũ pluuiarum abundantia promittit, vehemens frigus, & aeris quietem cũ bona illius cõmixtione. Septentrionalis, aeris sicccitatem: meridionalis, bonam commixtionem indicat. Sub radijs tempestuosus est, vespertinus sine pluuia: matutinus pluuiosus. In Sagittario pluuia-

Mercurij constitutiones generales.

Haly sententia de Mercurio sub radijs.

pluuiarum paucitatem,& niues cadere cum bona aeris commixtione compertum eſt. Septentrionalis ventos validos,meridionalis aeris altercationem; atq.bonam illius commixtionem indicat. Sub radijs multam pluuiam, veſpertinus ſine humiditate: matutinus bonam conditionem annuntiat. In Capricorno multas pluuias, deſtructionemq.commixtionis aeris oſtendit:ipſumq.ad ſiccitatē declinare,multoſq.ventos orientales cire,ſatis manifeſtum eſt.Septentrionalis,& meridionalis, bonam aeris commixtionem demonſtrat:ſub radijs tamen pluuioſus eſt ſemper.In Aquario bonam aeris commixtionem cum multo ventorum flatu pronuntiat. Septentrionalis aeris ſiccitatem ſignificat: meridionalis multas nubes ſteriles. Sub radijs niuoſus eſt, veſpertinus, calidus, & turbulentus: matutinus verò pluuioſus. In piſcibus poſtremo multum ventorum flatum cum bona aeris commixtione ſignificat:& fortè ad ſiccitatem declinabit. Septentrionalis inceſſantem ventorum humidorum flatum:Meridionalis mediàm aeris cōmixtionem. At ſub radijs tempeſtuoſus, & pluuioſus eſt: veſpertinus bonā complexionem, matutinus tranquillitatem annuntiat.Quò verò ad eius eleuationem ſuper planetas,hæc quidem obſeruanda ſunt.Mercurius ſuper Saturnum ſi eleuetur in Ariete,boreales ventos,& aſſiduos,multaſq. aquas ſignificabit.In Tauro impreſſiones cum vehementi frigore: in Geminis aeris inæqualitatem:in Cancro paucam pluuiam:in Leone,ſiccitatem nimiam,aquas multas,& ventos:in Virgine vehemens frigus cum inundatione fluminum: in Libra pluuiam ſuperfluam,ventum mediocrem:In Scorpio pluuiarum abundantiam: in Sagittario mediocres pluuiæ, aquæ multæ, & ventus inceſſans denotantur:In Capricorno multa pluuia,ventus inceſſans:In Aquario pluuia ſuperflua, multum gelu, augmentum aquarum fluminum, pauca tonitrua, & corruſcationes: Tandem in piſcibus ventum aſſiduum, ſuperfluam pluuiam, & aquarum detrimentum portendit. Si autem eleuetur ſuper Iouem, & fuerit in Ariete, pluuiarum, & aquarum temperantiam cum inceſſante vento indicat: in Tauro humiditates multas cum ventorum flatu: in Geminis ventos: in Cancro multam pluuiam, & aquarum augmentum: in Leone ventos multos, præſertim orientem verſus:in Virgine pluuiarum ſuperfluitatem,& pleraſq.inundationes:in Libra ſiccitatem cum calidis ventis: in Scorpio ventus inceſſans denotatur. In Sagittario multæ pluuiæ, & inundationes: in Capricorno pluuiarum vehementia, frigus, terremotus, fulmina: in Aquario ſiccitas, deinde multa pluuia, frigus, fluminum ſuperfluitas magna, & terremotus: in Piſcibus deniquè mira terræ ſiccitas cum pluuijs,ventis multis, & inundationibus. Porrò ſi ſupra Martem in Ariete Mercurius eleuetur,pluuias mediocres, nubium paucitatem, vehemētem calorē,aquam paucam fontium portendit. In Tauro ſiccitatem: in Geminis, paucam pluuiam,& vehemens frigus: in Cancro calorem cum vehementi terremotu: in Leone humiditates,pluuiarum ſuperfluitates cum terremotu: in Virgine aquæ fluminum mediocritatem cum temperantia earum:in Libra multa nebula, pluuiarum ſuperfluitates,terremotus,fulmina in temporis initio ei congruentis,paucitas in fine denotur.In Scorpio nebulæ,pluuiæ,& calor vehemens temporibus ſiccis. In Sagittario, pluuiæ,& venti: in Capricorno ſiccitatē cum frigore portēdit: in Aquario,multas humiditates,pluuiarū abundantiā,multos ventos.In Piſcibus poſtremo pluuiā ſuperfluā,& ventorū vehementiā indicat. Verum enimuero ſi ſuper ſolē eleuetur in Ariete fluuiorū temperantiam, cū mediocri aquarū augmento denotat. In Tauro pluuiā cum temperato ventorum flatu:in Geminis,ſiccitatē multam in plurimis regionibus cum pauca pluuia:In Cancro vehemens calor ſignificatur:in Leone venti calidi: In Virgine ventus multus, pluuia multa: in Libra, & Scorpio ventus inceſſans, humiditas ſuperflua: In Sagittario, venti, humiditas multa, & pluuiarum ſuper-

Mercurij eleuationes ſuper Saturnū in ſignis.

Mercurij eleuationes ſuper Iouem.

Mercurij eleuationes ſuper Martem.

Mercurij eleuationes ſuper Solem.

superflultas: in capricorno, & piscibus pluuiarum abundantia, & ventus incessans. At si eleuetur super Venerem, & fuerit in Ariete, multas nubes, & pluuias designat; in Tauro humiditatem multam, ventum incessantem, & fortè temperabitur aer: in Geminis, flumina multa cum aquarum superfluitate: in Cancro, multæ humiditates, & nebulæ erunt: in Leone, aeris prosperitas, & mediocris calor tempore suo: in Virgine venti: in libra fluminum abundantia in pluribus climatibus, pluuia superflua, & aliquando temperata: in Scorpio, ventorum multitudinem, & pluuiarum abundantiam significat: in Sagittario erit pluuia, & ventus temperatus: in Capricorno frigus vehemens, multa nebula, pluuiæ quasi diluuia: in Aquario, pluuiarum multa superfluitas, tonitrua, corruscationes, inundationes: in Piscibus deniquè pluuia superflua, & ventus incessans. Tandem si Mercurius eleuetur super Lunam, & fuerit in Ariete, hæc de temporum mutationibus prædicuntur: nempè quòd multas pluuias influit cum vẽtorum, & aquarum multitudine, In Tauro multas pluuias cum fluminum inundatione: in Geminis multam siccitatem in varijs climatibus cum ventorum flatu: in Cancro humiditatem cum aquarum augmento: in Leone, & Virgine incessantem ventum: in Libra pluuiarum meliorationem: in Scorpio pluuiam superfluam cum multo ventorum flatu: in Sagittario, pluuiarum superfluitatem: in Capricorno humiditas multa, inundationes, & pluuiæ significantur: in Aquario, pluuia pauca, & ventus incessans: in Piscibus postremo, aquarum detrimentum, & humiditatis paucitas denotatur.

Mercurij eleuatio super Venerẽ.

Mercurij eleuationes super Lunã.

Veneris progreßio in signis, eiusquè super planetas eleuatio cum significationibus circa temporum mutationes.

CAP. XVI.

SVPRA Mercurium Venus collocatur. Quod quidem contra Platonem, & nonnullos alios pluribus rationibus demonstrauimus in tractatu de duorum luminum deliquijs, & 2. lib. de cælo cap. 7. Ideo dicendum est, quid eius progressio in signis, ac supra planetas eleuatio portendit circa temporum mutationes. In Arietis igitur signo Venus cum æquidistans fuerit, siccitatem cũ pluuiarum diminutione, & incessantem ventorum flatum, bonamquè aeris commixtionem promittit. Septentrionalis aeris caliditatem, meridionalis frigoris vehementiam indicat: sub radijs iuxtà Haly, vehementiam ventorum, vespertina, ventum: matutina, pluuias, & tonitrua. Retrograda iuxtà Albumasarem, tonitrua multa, corruscationes fortes, grandines, & tempestates. In Tauro nubium multitudinẽ, pluuias, tonitrua, & corruscationes cum siccitate aeris annuntiat. Septentrionalis, & Meridionalis bonam aeris commixtionẽ; sub radijs tonitrua, vespertina, serenum aerem: matutina, bonã eius conditionẽ, retrograda, grandines cũ vehementia tonitruorũ, & corruscationum significat. In Geminis aeris humiditatẽ, sed corruptionẽ minatur. Septẽtrionalis flatũ vẽtorum, meridionalis aeris siccitatẽ: sub radijs nimis desiccat, vespertina ventosa: matutina bonum tempus denuntiat: retrocedens, caliditatẽ, & aeris siccitatem. In Cancro, bonam aeris commixtionem, multũ flatum ventorũ: Septentrionalis, & meridionalis caloris vehementiã: sub radijs tẽperiem absq. vẽto, vespertina bonã aeris cõplexionem: matutina serenũ indicat. In Leone calorẽ aeris

Veneris generales constitutiones, & primo in Ariete.

Haly.

In Tauro.

In Geminis.

In Cancro.

In Leone.

cum pauco venti flatu:ſeptentrionalis ventum,eiuſquè caliditatem, meridionalis bonam aeris complexionem. In virgine aeris commixtionem, & fortè declinabit ad frigus,& ſiccitatem. Septentrionalis,& meridionalis bonam aeris complexionem,ſub radijs,ſiccitatem:veſpertina bonam complexionem,matutina, humiditatem. In libra bonam aeris complexionem ; & frigiditatem ſuperabundantem . Septentrionalis, ventos ſiccos, meridionalis, calidos: ſub radijs humida, veſpertina bonam complexionem:matutina humectans.In ſcorpio frigoris vehementiam, & multum venti flatum : & fortè erit bona aeris complexio . Septentrionalis aeris ſiccitatem,meridionalis, pluuiarum multitudinem: ſub radijs, abſquè pluuia, veſpertina pluuioſa : matutina multitudinem pluuiarum promittit . In ſagittario bonam aeris complexionem, & quandoquè ad humiditatem ſuperfluam declinabit: aliquando ad ſiccitatem.Septentrionalis inceſſantem flatum ventorum,meridionalis, aeris alterationem, humiditatemquè,ſub radijs pluuioſa:veſpertina ventoſa,& frigida : matutina bonam conditionem. In capricorno pluuiarum multitudinem , & fontium abundantiam cum bona aeris commixtione denotat:ſeptentrionalis,multos ventos,meridionalis,multas pluuias:ſub radijs gelida eſt,veſpertina, frigida,matutina,pluuioſa.In Aquario bonam aeris complexionem, multum ventum cum pluuiarum abundantia ; & nebularum multitudine ſignificat . borealis ſiccitatem, & paucitatem pluuiæ: meridionalis, multas aeris anguſtias,ſub radijs fit nebuloſa:quando a ſole elongatur,pleraſquè inundationes,fontium redundantiam,marium incrementa cum periculo ſubmerſionis nauium denotat . Veſpertina,calida,& ventoſa:matutina:caliginoſa,& pluuioſa: retrocedens multam humiditatem influit.In piſcibus tandem ſi Venus æquidiſtans fuerit,caloris vehementiã,cum intenſa humiditate indicat:& fortè bona erit aeris cõplexio. Septentrionalis flatum ventorum inceſſantẽ,meridionalis,multas pluuias: ſub radijs tempus ſerenum anuntiat : Veſpertina aquoſa, & ventoſa eſt,matutina bonam aeris complexionem . Quo autem ãd eius eleuationem ſuper planetas : hæc pronuntiet ſapiens Aſtrologus : Si Venus ſuper Saturnum eleuetur, & in Ariete fuerit : ventos boreales aſſiduos ; & aquarum multitudinem ſignificabit . In Tauro ſiccitatem; quamuis pluuia multa.In geminis,ventos,in Cancro pluuiarum proſperitatem: In leone caliditatem, pluuias cum humiditate: In virgine, pluuiam, & humiditatem; In libra multæ pluuiæ erunt,& humiditates cum vento mediocri.In Scorpio pauca pluuia.In Sagittario,pluuiæ multæ: In capricorno ſiccitas. In Aquario aquæ multæ cum mediocritate fluminum. Tandem in piſcibus,frigoris vehementiam, ſuperfluam pluuiam cum corruſcationibus,& tonitruis multis promittit. Porrò ſi eleuetur ſuper Iouem , & fuerit in Ariete , pluuias multas , & magnorum fluuiorum augmentum deſignat.In Tauro ſiccitatem, in Geminis tenebroſum aerem, & humidum : cum pluuiarum multitudine . In Cancro pluuiam humidam ſuperfluam ; & aquæ maris diminutionem. In Leone ſiccitatem, in virgine pluuiam multam cum paucitate aquarum maris: in Libra , & Scorpio pluuias multas, In Aquario ſiccitatem in quàmplurimis regionibus cum pauca pluuia, & aquarum detrimento : In piſcibus deniquè multas humiditates ſignificat. Super Martem verò ſi eleuetur in Ariete,pluuias multas cum tonitruis portendit. In Tauro aquarum abundantiam, & pluuiarum ſuperfluitatem.In Geminis pluuias multas: In Cancro humiditates, & inundationum ſuperfluitatem : In Leone pluuias multas , tonitrua, & corruſcationes :In Virgine ſuperfluam pluuiam cum vehementi calore. In libra ſuperfluam humiditatem,in Scorpio erunt multi rores,ſuperfluitas aquarum, & pluuiarum. In Capricorno pluuia ſuperflua,in Aquario, pluuia : tandem in piſcibus multa aqua, & ſuperflua pluuia. Verum ſi ſupra ſolem eleuetur in Ariete, tonitrua erunt mira,

corru-

Marginal notes: In Virgine. — In Libra. — In Scorpio — In Sagittario — In Capricorno. — In Aquario — In piſcibus. — Veneris eleuationes ſupra Saturnũ. — Veneris eleuationes ſuper Iouem. — Eleuationes Veneris ſupra Martem. — Eleuationes Veneris ſupra Solem.

coruscationes, & multæ pluuiæ. In Tauro pluuiarum, & uentorum temperantia: in Geminis, aeris humiditas: in Cancro multa pluuia: in leone, aeris rectificatio, & venti calidi: in virgine pluuia superflua: in libra, humiditas multa, & pluuiarum abundantia: in Scorpio pluuia superflua: In Sagittario, humiditas multa: in Capricorno, frigoris vehementia cum multa humiditate: in Aquario denique, & piscibus non modica humiditas. At supra Mercurium si eleuetur in Ariete, nubes, & mediocres ventos ciet: In Tauro, pluuiarum, tonitruorum, & coruscationum paucitatem: in Geminis paucam pluuiam, multa tonitrua, coruscationes, & superfluas inundationes: in Cancro multas pluuias, atque nubes, tonitrua, & coruscationes, ac magnum calorem denuntiat tempore suo. In Leone pluuia pauca erit calor vehemens, tonitrua, & coruscationes tempore suo. In virgine pluuias multas significat, tonitrua, coruscationes, & augmenta fluminum. In libra pluuiarum superfluitatem, aquarum multitudinē, & fluminū inundationes. In Scorpio pluuiarum superfluitatem, tonitrua, coruscationes superfluas, & multam aquarum inundationem. In Sagittario superflua tonitrua: in Capricorno, frigus vehemens tempore suo, pluuiam paucā, sed tonitrua. In Aquario pluuiarum mediocritatem cum tonitruis, & coruscationibus. In piscibus demū salubres pluuias cū ventis. Si verò super lunam in Ariete eleuetur Venus, pluuiam, & multam humiditatem excitabit. In Tauro humiditatem, in Geminis paucam humiditatem: in Cancro pluuias multas, & superfluas humiditates: In Leone, pluuiam cum pauca humiditate. In virgine, pluuiam superfluam, & multam humiditatem: in libra paucam pluuiam, & aeris temperantiam: in Scorpio, humiditatem, & pluuiam: in Sagittario multam humiditatem: in Capricorno paucam: in Aquario humiditatis augmentum: in piscibus denique aeris tranquillitatem, multam pluuiam, tonitrua, coruscationes, & humiditates portendit. In vniuersum verò Venus cum magni orbis domina fuerit, & in Ariete, vel Cancro, vel piscibus, aeris calorem denuntiat: sed in leone sub radijs, aeris æstum ostendit: in Aquario autem vespertina calorem, & ventos decernit: si autem mundo præfuerit, idest anni Domina, aerem clarum, & æqualem cum ventis temperatis, & humidis: serenos, ac iocundos dies, frigidas noctes, aquas fluuiorum claras, & abundantes, pluuias absque tonitribus, fulguribusque aquis abundantes, sed breues, & quas exquisita serenitas subsequatur: significat.

Veneris eleuationes supra Mercurium.

Veneris eleuationes supra Lunam.

Venus magni orbis domina quid portendit.

Significata temporum ex solis eleuatione super planetas. CAP. XVII.

QVae de Veneris loco supra Mercurium diximus, eadem de solis loco supra Venerem dicenda foret. Sed locis iam prærecitatis prudens Astrologus videbit solem medium esse inter planetas, collocarique loco supra Venerem. Ideo post illam de eo à nobis erit tractatio. Itaque circa generalia prænotandum est, quòd sol cum fuerit orbis magni dominus, aut domino orbis magni coniunctus, magnos calores efficiet, præsertim in leonis signo, eius domo, Et quo ad signorum mutationem, cum eius operatio læditur, aut fuerit male dispositus, vel super eum maleficæ eleuentur, vt dicetur paulò inferius, erit nocumentum elementis omnibus, & elementatis omnibus, & elementis; cum aquarum abundantia. Eius præsentia calores significat: absentia, frigora: quadrata, mutationes: planetis, qui ei iunguntur, obest: etsi

Solis generales constitutiones.

induat

induat vires illorum manifeſtè. Cum exeunt eius radios,& nobis apparent: magnas vires habent, ſimiliter & fixæ. Quarè mundum mutant, vel in bonum, vel in malum: ſiue ex Oriente apparent,ſiue in Occidente, occaſu veſpertino,vt Luna ſemper Mercurius,& Venus ſæpè. Ipſe renouat annum, & quatuor anni tempora mutat: ad eius ſimilitudinem,ac per portionem cæterorum planetarum ſignificata ſunt referenda. In Aequinoctijs ob magnum declinationis incrementum, tempus multum variatur:& in ſolſtitijs quoquè ob nimiam dierum, ac noctium longitudinem; certè ob longam in eodem ſitu ſtationem cum qualitate iam potentis poſtremò cuncta quæ à natura proficiſcuntur,ſignificata eius. At de his hactenus.

Solis eleuationes ſuper Saturnum. Dicamus iam de eius eleuatione ſuper planetas. Quæ ſi fuerit ſupra Saturnum in Ariete, pluuias multas ſignificat. In Tauro multam in aere humiditatem: In Cancro aquarum diminutionem, & pluuiarum mediocritatem. In Leone ſuperfluas pluuias, ac humiditates: In Virgine, pluuias mediocres: In Libra pluuiarum abundantiam: In Scorpio multas in horizonte humiditates: In Sagittario,pluuiarum ſuperfluitatem: In Capricorno multas pluuias: In Aquario humiditatem horizontis: in Piſcibus deniquè humiditatem aeris.

Eleuationes Solis ſuper Iouem. Si verò ſuper Iouem Sol eleuetur,& in Ariete fuerit, pluuias paucas pronunciat. In Tauro,& Geminis, aeris humiditatem cum aliquibus ventis: In Cãcro ſimiliter aeris humiditatem,ſed etiam rores eius: In Leone paucam pluuiam pluribus in locis: in Virgine temperatas pluuias: in Libra,ventos cum pluuijs: in Scorpio,aeris humiditatem: in Sagittario ſiccitatem aeris: in Capricorno horizontis humiditatem: in Aquario demum, & Piſcibus,aeris humiditas portenditur.

Solis eleuationes ſuper Martem. At ſi ſupra Martem in Ariete eleuetur,calorem magnum in quarta æſtiuali, nimirum à ſolſtitio æſtiuo vſquè ad æquinoctium autumnale,trium menſium ſpatio, Iulij ſcilicet, Auguſti, cum viginti & vno diebus Septembris, & paulò amplius, & nouem Iunij, & paulò amplius ſignificat: inſuper, & corruſcationes multas,& ventos validos. In Tauro autem, aeris humiditatem: in Geminis ventos cum temperie: in Cancro, multas pluuias: in Leone, paucas: in Virgine multas humiditates: in Libra aeris humiditatem,& vehementem calorem tempore ſuo: in Scorpio aeris humiditatem: in Sagittario, pluuiarum ſuperfluitatem: In Capricorno,horizontis humiditatem: in Aquario aeris humiditatem: poſtremo in Piſcibus ſuperfluas pluuias denotat cum tonitruis, & corruſcationibus.

Solis eleuationes ſupra Venerem. Verum enimuero ſi ſuper Venerem Sol eleuetur,fueritquè in Ariete, vel Tauro, aeris ſiccitatem vaticinatur. In Geminis,erit pauca humiditas: In Cancro aeris ſiccitas: in Leone, multæ pluuiæ: in Virgine, pluuiarum ſuperfluitas: in Libra multa nebula, & pluuiæ: in Scorpio pluuia pauca: in Sagittario,Capricorno,Aquario, & Piſcibus,aeris ſiccitas.

Eleuationes ſolis ſupra Mercurium. Si autem ſupra Mercurium eleuetur, fueritquè Sol in Ariete, multas pluuias cum inceſſante vento deſignat: in Tauro, ventos multos, paucam pluuiam, & fluminum inundationes: in Geminis, multos ventos calidos,& venenoſos; in Cancro pluuiarum ſuperfluitatem, & vehemẽtem calorem tempore ſuo: ſed quandoquè paucas aquas deſignat, & fluminum corruptionem: in Leone calorem vehementem, & diuturnum: in Virgine paucitatem humiditatis: in Libra temporis inæqualitem: in Scorpio, humiditatẽ ſuperfluam: in Sagittario, pluuiam abundantem, multumquè ventum: in Capricorno,mediocres pluuias,& inundationes: in Aquario inceſſantem pluuiam,& fluminum inundationes: poſtremo in piſcibus: fluminum quoquè inundationes,ſed mediocres humiditates efficiet.

Solis eleuationes ſupra Lunam. Verum ſi ſol ſuper Lunam eleuetur, fueritquè in Ariete: corruſcationes,tonitrua,& fulgura deſignat. In Tauro paucam humiditatem: in Geminis, aquarum paucitatem: in Cancro, Leone, & Virgine, humiditatum erit paucitas: in Libra, bona aeris complexio: in Scorpio pluuiarum, & aquarum paucitas:

In

In Sagittario humiditas pauca, quòd idem contingit in Capricorno: In Aquario tonitrua multa, corruſcationes, & humiditatem. Et hæc de Sole.

Martis ſignificata circa temporum mutationes ex eius progreſsione in ſignis, & eleuatione ſuper planetas.

CAP. XVIII.

ALIAS diximus cur natura prouida fuit, vt ſupra Solem Mars conſtitueretur: nunc dicendum remanet primo generalia eius, vt temporum qualitates prænoſcantur, deinde inambulationes per ſigna, & alia ad Solem relata: poſtremo eleuationem ſuper planetas. Mars itaquè magni orbis dominus, & in Geminis, calidũ efficit aerem, & quietum; veſpertinus, calidiſſimum: quia occidentis ſolis calorem retinet, ac ita aerem refrigerari nõ promittit. Et idem de reliquis dici poſſet, puta de Venere, quia pluuias ingerit: de Saturno, quia frigus: de Mercurio, quia ventos excitat. Hanc ob rem dies in æſtate, cum ſic Mars ſe habuerit, calidiſſimi erunt, & noctes æſtuoſæ. Si autem ſteterit in Geminis, caliditatem, & ſiccitatem influet. In Cancro quoquè aut ſtet, aut retrocedat cum boreali latitudine, vehementem calorem ſignificat. Verum in Leone, cum ſub radijs ſolis fuerit, omnino latens, vel iunctus, præſertim ſi coniunctio corporalis, vel centralis fuerit: accendetur calor velut ignis, in quo ſit ferrum candens. Quòd ſi orientalis fuerit propè viſionem, ab aurora calor incipiet. totuſquè dies erit calidiſſimus, nox tamen frigida. At ſi orientalis proximus viſioni, noctes calidæ erunt. Quò verò ad eius inambulationem per ſigna, & ad ſolem relatam, ſciendum eſt, quòd ſi Mars æquidiſtans fuerit in ſigno Arietis, ventos multos, cum pluuiarum paucitate promittit: ſeptentrionalis, ſiccitatem aeris: meridionalis, temperantiam: ſub radijs, ſerenitatem: veſpertinus, & matutinus tem poris turbationem: ſtationarius: fulgura, & tonitrua. In Tauro pluuiarum, tonitruorum, corruſcationum, nebularumquè abundantiam, cum aquarum ſuperfluitate deſignat. Septentrionalis caloris vehementiam; meridionalis, malitiam commixtionis aeris: ſub radijs, tempus abſquè vento, veſpertinus, ventum: matutinus, ventos mouet: ſicuti ſtationarius deſiccat aerem. In Geminis ſi æquidiſtans fuerit tonitrua, corruſcationes, & vehementia frigora excitat: ſeptentrionalis, terremotuum multitudinem, meridionalis veris caliditatem, & quietem generat. Sub radijs iuxtà Haly calidiſſimum reddit aerem, quod etiam efficit veſpertinus: matutinus in calore peſſimus eſt, ſtationarius, calidus, & ſiccus. In Cancro pluuiarum paucitatem, & caloris vehementiam inducit, ſeptentrionalis, & meridionalis caliditatem aeris: ſtationarius, caliditatem, & ſiccitatem; retrocedens, caloris vehementiam cum ventorum venenoſorum flatu decernit. In Leone, pluuiarum paucitatem, ſeptẽtrionalis, flatum ventorũ venenoſorum: meridionalis aeris ſiccitatem, ſub radijs caliditatem: veſpertinus, ardorem, matutinus extinctionem eius prænuntiat. In Virgine, aeris ſiccitatem, & deſtructionem cum terremotu ſignificat, Septentrionalis paucas pluuias, meridionalis, aeris malitiam: ſub radijs, & veſpertinus aeris ſuffocationem, matutinus tonitrua, & corruſcationes: ſtationarius, & retrogradus aeris ſiccitatem. In Libra, pluuiarum paucitatem, nebulas, & ventos promittit, ſeptentrionalis, ventorum multitudinem inceſſanter: meridionalis aeris temperantiam, ſub radijs ſiccum aerem: veſpertinus pluuioſum, matutinus turbu-

Martis generales conſtitutiones.

Martis inambulationes in ſigna, & effectus.

In Ariete.

In Tauro.

In Geminis.

Haly ſententia de Marte ſub radijs.

In Cancro.

In Leone.

In Virgine.

In Libra.

bulentum

In Scorpio. bulentum cum tonitruis:stationarius, aridum, & siccum minatur. In Scorpio vehemens frigus in quarta autumnali, hyemali, & æstiuali denuntiat: nimirum nouem mensium intercapedine, à vigesima scilicet secunda die Iunij, vsquè ad vigesimam primam Martij:verumtamen cum multa aeris siccitate: septentrionalis siccitatem multam,& pluuiarum paucitatem,meridionalis temperantiam: sub radijs tranquillitatem in mari, vespertinus, & matutinus ventos: sed stationarius tranquillitatem significat.

In Sagittario. In Sagittario, in quarta vernali, hoc est à vigesima prima die Martij, vsquè ad vigesimam secundam Iunij, trium scilicet mensium spatio: malus aer, & corrumpens cum pluuiarum paucitate portenditur. In quarta vero hyemali,hoc est à vigesima tertia Decembris vsquè ad vigesimam primam Martij frigus intensum,& perseuerans:septentrionalis multum flatum ventorum cum siccitate, meridionalis, paucam ventorum humiditatem: sub radijs sine humiditate, matutinus caloris vehementiam: vespertinus siccitatem denuntiat.

In Capricorno. In Capricorno paucitatem pluuiæ,& aeris siccitatem decernit,septentrionalis,& meridionalis destructionem commixtionis aeris: sub radijs multum calorem, vespertinus bonam commixtionem: matutinus dies hyemales,stans tranquillitatem, retrocedẽs multas pluuias significat.

In Aquario. In Aquario pluuiarum superabundantiam, & casum niuium: & asperam aeris commixtionem denotat: septentrionalis, & meridionalis aeris siccitatem, sub radijs ariditatem: vespertinus ventorum absentiam, matutinus motionem eorum:stationarius,nocumentum in mari decernit.

In Piscibus. In Piscibus postremo pluuiarum,niuiumquè abundantiam cum bona aeris commixtione significat.Borealis vẽtos multos, Australis pluuias multas:sub radijs aeris turbationem vespertinus ariditatem,matutinus fulgura,& tonitrua:stationarius inæqualitatem promittit:

Martis eleuatio super planetas, & primo super Saturnum. Quò verò ad eius eleuationẽ super planetas, sciat prudens Astrologus, quòd si Mars super Saturnum se eleuauerit, fueritquè in Ariete, ventos multos, designat, pluuias,& bonum æstatis aerem.In Tauro,siccitatem,& terremotum: in Geminis,pluuias,tonitrua,& corruscationes:in Cancro,mediocres pluuias:in Leone siccitatem magnam cum forti vento,& multo puluere:in Virgine,calorem magnum,& intensum frigus temporibus suis:in libra,paucam pluuiam:in Scorpione pluuias, tonitrua, corruscationes: in Sagittario incessantem ventum cum multo puluere:in Capricorno caloris, & frigoris vehementiam congruo tempore, & eorum diuturnitatem: in Aquario, paucas aquas, & si multas pluuias decernat. In Piscibus tandem superfluas pluuias, tonitrua, & corruscationes.

Martis eleuatio super Iouem. Verum si super Iouem,& in Ariete fuerit eleuatio, pluuiam paucam annuntiat. In Tauro, multas pluuias,corruscationes, & tonitrua:in Geminis, ventos cum caliditate: in Cancro pluuias multas,& inundationes tempore suo:in Leone,paucam pluuiam, & aquarum detrimentum in puteis, & alijs locis. In Virgine pluuiam superfluam cum corruscationibus tonitruis, & aquarum fluuiorum augmento: in Libra tonitrua, pluuias,& corruscationes: in Scorpio,paucam pluuiam, & aquarum fluminum detrimenta: in Sagittario, paucam pluuiam: in Capricorno pluuiam quoq; paucam, sed vehemens frigus cum paucitate aquarum, & fluminum. In Aquario aquarum mediocritatem: in Piscibus demum superfluas pluuias, & corruscationes.

Eleuatio Martis super Solem. At Mars super Solem in Ariete,calorem paucum,bonam aeris complexionem denuntiat.In quarta verò æstiuali, multas corruscationes, & ventos. In Tauro multum calorem,& aeris siccitatem:in Geminis caliditatem,& aeris siccitatem:in Cancro similiter aeris siccitatem cum caloris vehementia: in Leone multas corruscationes: in Virgine aeris siccitatem cum pauca humiditate: in Libra aeris temperantia portenditur, ad calorem, & siccitatem declinans, ad frigus intensum deinde, ventorumquè fortitudinem: in Scorpio, aeris siccitas, & caliditas: in Sagittario corru-

corruſcationes multæ erunt. In Capricorno ſiccitas aeris: in Aquario vehementem calorem ſignificat: in Piſcibus poſtremo aeris ſiccitatem. Quòd ſi ſupra Venerem in Ariete Mars eleuetur: aeris ſiccitatem, vnde & peſtem decernit. In Tauro magnum calorem in quarta æſtiuali, hoc eſt à vigeſima ſecunda die Ianuarij vſq; ad vigeſimam ſecundam Septembris. In Geminis, humiditatem paucitatem: in Cancro paucam humiditatem cum vehementi calore: in Leone ariditatem cum pauca pluuia: in Virgine, vehementem calorem: in Libra, paucam pluuiam: in Scorpio humiditatem paucam: in Sagittario pluuiarum ſuperfluitatem: in Capricorno vehementem calorem tempore ſuo: in Aquario ſiccitatem, & paucam pluuiam cum aquarum diminutione: in Piſcibus poſtremo, moderatam aquarum copiam. Super Mercurium vero ſi Mars eleuetur, & in Ariete fuerit: paucitatem pluuiarum, imbriumq; vehementem calorem, & aquæ fontium paucitatem, ſignificat. In Tauro, pluuias multas, & nubes, frigus intenſum: in quarta autumnali, & hyemali: hoc eſt à die vigeſima prima Septembris, vſq; ad vigeſimam primam Martij; nimirum ſex menſium intercapedine, promittit. In Geminis paucam pluuiam: in Cancro calorem vehementem tempore ſuo: in Leone ſimiliter intenſum calorem, ſed cum tonitruis, & ventis: in Virgine tonitrua cum calore: in Libra, paucam pluuiam, nebulas, tonitrua, aquæ fluminum paucitatem: in Scorpio ventum inceſſantem: in Sagittario, nubes multas, & pluuias: in Capricorno, multas niues deſignat, ſed potius in fine. In Aquario paucitatem aquæ, ſed humiditatis abundantiam: in Piſcibus demum, pluuias promittit. Verum enimuero ſi ſuper lunam Mars eleuetur, fueritq; in Ariete, paucam decernit humiditatem: in Tauro aeris inæqualitatem: in Geminis ſiccitatem cum pauca humiditate: in Cancro etiam & Leone paucam humiditatem, ſiccitatemq; aeris: in Virgine ſuperfluam pluuiam cum multis humiditatibus: in Libra, ventos: in Scorpio tonitrua, & corruſcationes: in Sagittario, pluuiarum paucitatem: in Capricorno pluuiarum, & aquarum modicitatem: in Aquario tandem, & Piſcibus, paucas pluuias indicat. Hæc de Marte habentur.

Supra Venerem Martis eleuatio.

Martis eleuatio ſupra Mercurium.

Supra Lunã Marti eleuatio.

Significata temporum ex Iouis natura, & progreſſione in ſignis reſpectu magni orbis.

CAP. XIX.

SVPRA Martem, Iouem collocari, ne dum rationibus, ſed Mathematicis demonſtrationibus, ac inſtrumentis; quinimo ad oculum cum propè, & ſimul fuerint: luce clarius conſtat. Quapropter poſt Martem de eius temperamento in vniuerſum erit in primis tractatio (quo ad temporum qualitates attinet) reſpectu magni orbis, deinde de eius poſitu in ſignis, poſtremo de eius eleuatione ſuper planetas. In vniuerſum igitur ſerenitatis, temperici, & claritatis aeris author exiſtit: & ad nos declinans vel per longitudinis motum, vel latitudinis, vel cum dominatur: aeris ſerenitatem, tranquillitatẽ, puritatemq; deſignat: quinimo, & ventos qui in ea regione temperiem, atq; ſalubritatem huius benigniſſimi ſyderis præſidio procreant.

Iuppiter ſupra Martem collocatur.

Iuppiter ſerenitatis pater.

At turbatur aliquando per accidens relatus ad alterum, vt dicemus. Verum enim vero rerum cælestium doctissimi autumarunt, Iouem cum magni orbis dominus fuerit, & in Ariete extiterit, caloris vehementiam significare: in quartæ autumnalis initio præsertim, si boream versus enituerit. Sed libet id penitius enucleare. Sciendum itaquè est, quòd Iuppiter cum fuerit loci dominus in prima mutatione ex trigono in trigonum, quæ post nongentos, & octoginta nouem annos contingit: ita, vt magnus orbis sit annorum 3958. reditus scilicet mutationis quatuor trigonorum, & totius complementum. Cum itaquè trigonus in 989. annos, seu in quadruplo orbium coniunctio redibit, & Iuppiter in Ariete fuerit, tunc vtiq; vehementem calorem influet (vti dictum est) & si in Tauro augebitur calor in quarta autumnali: & si in Cancro, pari quoq; ratione calor intendetur in illa quarta. Quod si ibidem fuerit cum boreali latitudine, caloris vehementiam, multitudinemq; ventorum calidorum, & venenosorum portendit. Rursus in Virgine caloris intensionem in illa quarta decernit. In Libra vero calorem in fine quartæ hyemalis, quod est prope ver. Item si fuerit in Scorpio cum septentrionali latitudine caloris vehementiam designat: simile erit in Sagittario, Capricorno, & Piscibus nempe caloris intensionem in quarta æstiuali: quamuis minus in Capricorno. Illud præmonentes non esse idem orbium coniunctionem, & coniunctionem maximam. In hac quippe fit mutatio ad trigonū igneum aliquando in alio signo, quàm in Ariete: illa verò dicitur orbium coniunctio, quoniam fit circa idem punctum fermè, & exordium sumit à principio Arietis. Sed de his prudens Astrologus legat doctissimos viros: multa enim inueniet, & congeret. Sed dicamus de orbe magno, illius dispositore seu domino, atq; diuisore: fiet etenim, vt res illustrius assequatur.

Iuppiter magni orbis dominus, quid portendit in aeris mutationibus.

Orbis coniunctio, & maxima coniunctio non sunt idem.

De orbe magno, & illius domino, diuisoreq; quomodo inueniri debet pro temporum qualitatibus dignoscendis.

CAP. XX.

CVM in prærecitatis digressionibus plerumq; tactum sit, planetas cum fuerint magni orbis domini, excitare ventos, calorem influere, decernere pluuias: indicare tonitrua, ac similia pleraquè, quæ ad temporum mutationes attinet, significare; iuxta vniuscuiusquè planetæ crasim, & temperamentum: hanc ob rem, vt nihil quod ad huiusmodi rem pertinet, studioso desit: modum illius inueniendi explicare operæ pretium esse arbitratur. Videat igitur in primis prudens Mathematicus: quot anni sunt Christi labentes: hos addat annis a coniunctione magna cathaclismum significante, interiectis vsq; ad Christum natum, quos nonnulli 3381. fuisse asseuerant: illorum deinde congeriem diuidat per 360. qui sunt vnius magni orbis quantitas: quandoquidem in quotiente magni orbis completi prosilient. Quòd si forte post illam diuisionem aliquid remanserit, erunt certe anni, qui iam effluxerunt de altero orbe magno sequente, sed non dum completo. Hosce completos orbes cum in completo distribuat, postmodum duodecim signis, cuius distributionis initium sumatur à

Dominus magni orbis quomodo inueniendus.

Cancro

Cancro, quippè qui, primum signorum fuit, in quo illa magna coniunctio facta est: tunc perspice in quo cadet signo talis distributio; nam illud certè erit magni orbis signum. Amplius dictos orbes distribuat sigillatim septem erronibus, à Saturno inchoans, numerando: sic enim fiet, vt ille planeta ad quem terminabitur distributio, sit magni orbis dominus, Gradus verò, & minuta ex annorum magni orbis incompleti multiplicatione per triginta facilè habentur: ita vt productum diuidatur per 360. tot namquè partibus constat quilibet cælestis circulus; tunc dubio procul in quotiente, partes signi magni orbis iam fluentis, emergent. Quòd si post diuisionem quidpiam remanserit, illud multiplicandum est per sexaginta: & resultans seu productum diuidatur etiam per 360. & in quotiente emergent minuta. Idem quoquè erit, si eosdem incompletos annos per triginta subtilis mathematicus diuiserit. Verum cum huiusmodi operatio sit laboriosa nimis, tabellam Lucæ Guarici illustris Astrologi subijcimus, quam in suo Isagogico libello constructam, reliquit ad euitandos multiplices suppurationum labores: cum qua mathematum studiosus ad indagandum magni orbis dominum, gubernare se poterit. Directionis autem gradus inueniuntur, si magni orbis incompleti annos diuiserit per triginta: nam in quotiente signa, quæ iam ab Arietis initio præteriere, emergent: & post diuisionem, si qui remanserint: erunt directionis partes, quæ signo immediatè sequenti debentur. Sanè magni orbis diuisor non alia via, quam hac inuenitur: nimirum si tota annorum congeries per septem diuidatur, iuxtà planetarum numerum: & post diuisionem si quid remanserit, planetis à Saturno numerando (vt paulò ante dictum est) distribuatur; ad quem etenim terminabitur numerus, ille profectò erit magni orbis diuisor. Tabella igitur in prima area annos cotinet: in secunda autem partes, & minuta annis correspondentia. Quòd si annorum numerus compleatur, vel non ad amussim se offerat, ad alios iuxtà necessitatem, & vt moris est, similium mathematicæ disciplinæ tabularum, reccurrendum est.

Distributionis initium cur à Cancro sumendum.

Lucas Guaricus.

Gradus directionis magni orbis quomodo inueniendi.

Magni orbis diuisor quomodo inueniendus.

Tabella annorum, Graduum, & minutorum signi magni orbis.

Anni	5	10	20	30	35	40	80	100	125	200	235	300	360
Grad.	0	0	1	2	2	3	6	8	10	16	19	25	30
Minut.	25	50	40	30	55	20	40	20	25	40	35	0	0

Habito itaquè magni orbis signo cum gradibus, & minutis, considerare oportet illius naturam, & dominum: deindè directionis locum eiusquè diuisorem, sic enim temporum mutationes prudens Astrologus pronuntiare poterit pro qualitate signi, & planetæ: nimirum si fuerit Saturnus erunt intensa frigora: si Iuppiter venti ad temperiem, & serenitatem declinantes: si Mars erit intensus calor cum tonitruis, & corruscationibus. Si sol, tempus generale bonum: si Venus, pluuiæ: si Mercurius, venti cum temporis inæqualitate tempestates, & similia: si luna, humiditates. Quæ omnia euenient, si aliunde impedimentum non adfuerit. Quando enim plures causæ naturales non impeditæ ad producendum vnum effectum, simul concurrunt: eueniet certè effectus ille, cum sit res naturæ, & nulla aliarum obstet. At si vna aduer-

Prædictio mutationis temporum ex orbe magno.

aduerſetur, minuetur ex vtraquè parte ſignificatum: ſi Duæ, ſuppoſito quòd ſint quatuor: effectus erit incertus. Si tres, vincent alteram: & eueniet effectus iuxtà illorum naturam; quamuis non ita exquiſite, ac ſi eſſent omnes quatuor. Perpendendæ igitur ſunt, & aliæ cauſæ, quæ tempora mutant: quæ ſimul iunctæ, videat prudens Aſtrologus, qua nam ratione adinuicem ſe habeant, quomodo concurrant, num ſint vincentes, aut deficiant: ſicuti ſupra tactum eſt; & inferius quoquè digrediemur, ſicquè temporum mutationes, aeriſquè qualitates vaticinetur.

Temporum mutationes ex Iouis progreſsione in ſignis, et eius eleuatione ſuper planetas. CAP. XXI.

Planetæ omnes ad ſolem aſſignati, vt funes.

HABET quoquè ſua temporum ſignificata Iuppiter, cum vnumquodquè ſignum inambulauerit, etiam ad ſolem relatus: Nam omnes planetæ ſunt ad ſolem alligati vt funes, ſuoquè motu gubernantur: acciduntquè ob id illis paſſiones aliquæ, vt ſuperius tactum eſt: luciduſquè inferius tangemus. Iuppiter itaquè cum in Ariete æquidiſtans fuerit, caloris vehementiam ſignificat in autumni initio: in fine frigus intenſum: in quarta verò hyemali plauias multas, inundationes, & humiditates. Septentrionalis, caloris vehementiam, multitudinemquè ventorum calidorum venenoſorum: Meridionalis autem vehementem acris frigiditatem decernit. Sub radijs iuxtà Haly facit pluuias, veſpertinus nebulas ſpargit, Matutinus ſerenum aerem, ſtationarius tonitrua: retrocedens aeris nocumentum.

Iuppiter in Ariete ſub radijs iuxta Haly.

In Tauro autem vehemens frigus; & nocens, multas pluuias, & terremotus pronuntiat in initio quartæ hyemalis: in medio autem multas niues. Quarta æſtiualis temperata erit, in autumnali abundabit ſiccitas, & calor, & periculum in mari. Septentrionalis bonam acris commixtionem pronuntiat, Meridionalis illius permixtionem: ſub radijs anni mediocritatem, veſpertinus imbres: matutinus abundantiam fructuum.

In Tauro.

In Geminis.

In Geminis quartę autumnalis temperiem decernit, ſed aſſiduum ventorum flatum occidentalium, cum pluuiarum fortaſſis diminutione: ſed incremento aquæ fontium. Septentrionalis ventorum flatum, eorumquè temperantiam, meridionalis æſtatem valdè calidam ſignificat: aeriſquè ſiccitatem cum multitudine ventorum calidorum, & venenoſorum. Sub radijs bonam commixtionem: quam influit etiam matutinus, & veſpertinus iuxtà Haly. Sanè Albumaſar autumat multas pluuias, & frigoris vehementiam ſignificare.

Haly arabis ſententia, & Albumaſaris

In Cancro.

Porrò in Cancro calorem intenſum, & vehemens frigus: in quarta autumnali, præſertim orientem verſus: in quarta verò hyemali pluuiarum, nebularum, niuiumquè multitudinem deſignat. At ſeptentrionalis, & meridionalis caloris vehementiam cum ventorum venenoſorum multitudine. Sub radijs tranquillum mare, veſpertinus, & matutinus bonam aeris commixtionem.

In Leone.

In Leone autem ventos validos, pluuias multas, & frigus intenſum in quarta autumnali. In æſtiuali verò caloris paucitatem, & frigoris vehementiam in medio eius cum fontium incremento. Septentrionalis multitudinem flatus ventorum, meridionalis aerem humidum: ſub radijs admirabiles ventos. Veſpertinus, & matutinus bonam aeris cõmixtionem.

Iuppiter in Virgine, & portendit in temporum mutationib.

In Virgine, aeris temperantiam in quarta vernali, bonitatem illius in æſtiuali vehementiam in autumno, multas pluuias, & niues, & frigus intenſum in hyemali promittit. Septentrionalis bonam aeris commixtionem, meridionalis pluuiarum tempe-

temperantiam cum vtilitate: retrocedens, pluuiarum paucitatem cum aeris bonitate ostendit. In Libra temperantiam aeris veris, eiusquè declinationem ad frigus, in quarta æstiuali pluuias cum tonitruis, & corruscationibus: multasquè niues in quartæ hyemalis initio, vsquè ad medium eius: sed cum aeris caliditate in fine ipsius. Septentrionalis, assiduum ventorum flatum cum vtilitate portendit; meridionalis nocumentum: sub radijs bonam aeris complexionem, stationarius tempus bonum facit, & firmat: retrocedens pluuiam multam in brumæ initio, ac eius medietatem cum flatu ventorum mixtam, seruata quartæ vernalis temperie: sed in æstiuali aquarum diminutionem denuntiat. In Scorpio pluuias multas, frigusq; intensum in initio quartæ vernalis vsquè ad medietatem eius decernit: deinde superaddet, & condensabitur aer, & nebulæ multiplicabuntur. Septentrionalis, caloris vehementiam, meridionalis humidum aerem: sub radijs pluuiam frigidam vespertinus aeris temperiem: matutinus bonum tempus, stans tranquillitatem, & quietem: retrocedens pluuiarum paucitatem cum multis proficuis vetis designat. In Sagittario multas pluuias in quarta autumnali significat, in brumæ initio frigus mediocre, in medio tamen niues, & frigoris magnitudinem: In quarta æstiuali caloris vehementiam, ventorumquè orientalium perseuerantiam. Septentrionalis flatum ventorum cum iuuamine, meridionalis etiam ventos cum vtilitate promittit: sub radijs bonam aeris complexionem, vespertinus pluuias multas: matutinus serenum. Stans vtilitatem, retrocedens verò aquarum multitudinem, bonamquè aeris æstatis temperantiam decernit. Idem ferè designat Iuppiter cum æquidistans fuerit: in Capricorno, nimirum pluuias multas, vetosquè assiduos in quarta vernali: in æstiuali, caloris paucitatem cum ventorum orientalium multitudine, & humidi copia. Sub radijs humidum aerem, vespertinus, pluuias: matutinus tranquillitatem in mari: stans verò, aquarum multitudinē indicat. In Aquario pluuiarum multitudinem, ac niuium, cum frigoris magnitudine in quarta vernali significat: in æstiuali autem ventorum multitudinem præcipuè orientalium, in autumnali multiplicabuntur pluuiæ, & venti: initiumquè brumæ erit multarum pluuiarum, ventorum, & humidi cum multarum nauium submersionis periculo. Septentrionalis siccitatem aeris ostendit, meridionalis multas nebulas: sub radijs temperiem, vespertinus multam pluuiam, matutinus nocumentum: stans quoquè pluuias. Iuppiter tandem cum æquidistans fuerit in signo piscium, ventos frigidos, assiduosquè in quarta vernali ciet: in æstiuali caloris magnitudinem, in autumnali bonam aeris commixtionem: in hyemali verò pluuiarum, niuiumquè copiam, in medio eius plerosquè ventos, in fine autem niues cum nocumento terræ. Septentrionalis ventorum flatum cum iuuamine ostendit, meridionalis pluuiarum multitudinem, fluminumquè incrementum: sub radijs, tempus pingue in mari, matutinus in mari, & fluminibus tranquillitatem: vespertinus bonam aeris complexionem; stans bonam, & temperatam pluuiam: retrocedens nocumentum. Hæc quo ad eius in signis progressionem, & ad solem relatam. Reliquum est, vt ipsius significata, & eleuationes super planetas recitemus. Itaquè si Iuppiter super Saturnum eleuetur, fueritquè in Ariete, aeris fœcunditatem, ventos temperatos, & proficuos significat. In Tauro pluuiarum paucitatem cum aeris humiditate: in Geminis humidiorem aerem: in Cancro, siccitatem in Armenia, & flatum ventorum humidorum: In Leone aeris, & ventorum bonitatem: In Virgine, maximam aeris siccitatem, & ventum cum profectu: in Libra, pluuiarum siccitatem: in Scorpio pluuiarum superfluitatem; In Sagittario, multas pluuias cum aeris temperantia: in Capricorno, sicciorem aerem, in Aquario, niues, & aquas multas: in Piscibus postremo siccitatem primo, deinde superfluas pluuias indicat. At supra Martem si Iuppiter eleuetur

In Libra.

In Scorpio.

In Sagittario.

In Capricorno.

In Aquario.

Iuppiter æquidistans in piscibus.

Mutationes temporum ex Iouis eleuatione sup Saturnum in signis.

Iouis eleuatio ſuper Martem quomodo tempora mutat.

eleuetur in Ariete: frigoris magnitudinem portendit. In Tauro, niuem multam ſuo tempore: in Geminis ſiccitatem: in Cancro aquas multas cum fluminum augmento: in Leone, vehementiam frigoris: in Virgine, ventos multos temporibus ſuis: in Libra multas nubes: in Scorpio pluuiarum paucitatem: in Sagittario, frigus multum tempore ſuo: in Capricorno multas nebulas, pluuias, & aquas: in Aquario pluuiarum paucitatem, & aquarum: in Piſcibus deniquè caliditatem, & aeris ſiccitatem ſignificat.

Temporum mutationes ex Iouis eleuatione ſupra ſolem.

Verum ſi ſupra ſolem eleuetur in Ariete, abundabunt pluuiæ fecundæ: in Tauro aeris ſiccitas cum plerìſquè calidis ventis: in Geminis ſimiliter ſiccitas aeris: in Cancro fluminum comoditas: in Leone ſalutares pluuiæ: in Virgine aeris ſiccitas cum pluuiarum paucitate: in Libra, nimia ſiccitas: in Scorpio ſimiliter ſiccitas aeris: in Sagittario pluuiæ multæ cum iuuamento: in Capricorno aeris temperantia: in Aquario ſiccitas, aeris obſcuritas, & aquarum exceſſus: in Piſcibus poſtremo aeris etiam ſiccitas decernitur.

Iouis ſupra Venerē eleuatio quid mutationis portendit.

Quòd ſi Iuppiter ſupra Venerem eleuetur, & in Ariete fuerit: terremotum portendit. In Tauro aeris humiditatem: in Geminis pluuias paucas: in Cancro copiam humidi: in Leone terremotum: in Virgine paucam pluuiam: in Libra terremotum: in Scorpio tempus humidum: in Sagittario terremotum: in Gapricorno pluuiarum paucitatem cum terremotu: in Aquario multas aquas cum aeris obſcuritate: in Piſcibus tandem aquarum incrementa decernit.

Iouis eleuatio ſupra Mercurium in ſignis.

Si verò ſuper Mercurium Iuppiter eleuetur in Ariete: pluuias multas, tonitrua, corruſcationes, ventoſquè aſſiduos, & vtiles ciet. In Tauro pluuias multas cum aquarum paucitate: in Geminis ventum calidum: in Cancro, diluuia cum paucis nubibus, & tonitruis: in Leone pluuias multas, ventos, tonitrua, corruſcationes, terremotus: in Virgine aſſiduos ventos cum pluuijs: in Libra ventos: In Scorpio ſuperfluam pluuiam tempore ſuo: in Sagittario, pluuiam, ventum ſuperfluum, tonitrua, multa, corruſcationes, niues vtiles temporibus ſuis, & aliquos terremotus: in Capricorno frigus vehemens, & nocens: ſuperfluam pluuiam: In Aquario terremotus, nubes, pluuias, & frigus: in Piſcibus poſtremo pluuiam multam, & frigus vehemēs ſignificat.

Supra Lunā Iouis eleuatio.

Verum enimuero ſi ſuper Lunam in Ariete Iuppiter eleuetur, pluuias multas deſignat. In Tauro illarum mediocritatem: in Geminis aquarum pluuiarumquè ſuperfluitatem: in Cancro paucam pluuiam, & humiditatem: in Leone aeris proſperitatem: in Virgine pluuiarum abundantiam: in Libra humiditatem paucam, & aeris ſiccitatem: in Scorpio aquarum, & pluuiarum paucitatem: in Sagittario humidam conſtitutionem cum mediocritate: in Capricorno humiditatis magnitudinem ob aquarum abundantiam: in Aquario humidam conſtitutionem: in Piſcibus tandem paucam pluuiam decernit huiuſmodi eleuatio. Hæc de Iouis progreſſione in ſignis etiam ad ſolem relata, dequè eius eleuatione ſuper planetas, ad temporum qualitates dignoſcendas.

Temporum mutationes ex Saturni progreſsione in ſignis, et ad Solem relata, atquè ex eius eleuatione ſuper planetas.

CAP. XXII.

Saturnus vltima ſtellarum errantium nobis.

VLTIMA ſtellarum errantium nobis, & prima, proximaq; octauo orbi Saturnus eſt. Ideo & nos naturali quidem ordine, ab infimis ad ſuprema aſcendentes, enumerauimus illas: & ſi vice verſa in explicandis ſpeciatim eorum progreſſionibus, eleuationibuſquè pro temporum mutationibus eliciendis, à ſupremis ad

infima

infima descendimus. In vniuersum igitur saturnus, si modo quo Prolomeus docet, dominetur, fueritq; in Ariete, & borealis, calorem intensum, & noxium significat: idem quoq; si eodem modo in Scorpio fuerit: verum in Geminis Australis, idem etiā portendit: In Piscibus vero quomodolibet calorem significat, & in Cancro validos ventos. Verum Ad eius particularia descendentes, si æquidistans fuerit in Arietis signo, meridiei tempore, & orientis, multum ventorum flatum cum aspera aeris commixtione excitabit: intensumq; calorem cum aeris corruptione efficiet. Septentrionalis caloris rursus vehementiam, & parum boni, meridionalis frigus intensum, nimirum gelu, multumq; roris: sub radijs pluuias, & nebulas multas: vespertinus ventos frigidissimos, matutinus, bonam commixtionem: stans autem tonitrua, & fulgura significat. In Tauro niues, & pluuias assiduas, frigus intensum, & aeris mutationem à suo calore decernit. Septentrionalis bonam aeris commixtionem, meridionalis modicam temperiem: sub radijs bonum tempus, & bonam aeris commixtionem significat. Vespertinus siccitatem, matutinus, & orientalis bonam conditionem: stans vero vmbrosus, tenebrosusq; efficitur. In Geminorum signo multas niues, & aquæ ductus abundantiam ob assiduum ventorum flatum, & pluuiarum multitudinem denuntiat; Vndq & agriculturæ corruptionem. Septentrionalis, terremotus, ventosq; validos significat meridionalis aeris siccitatem, caloris vehementiam, & pluuiarum paucitatem: sub radijs siccus est prorsus, vespertinus, aridus: matutinus bonæ temperantiæ. In Cancro multas pluuias & gelu significat. Septentrionalis rerum inuolutionem, & in æqualitatem, meridionalis, pluuias multas: sub radijs verò obscuros dies facit, validos ventos, & in mari procellas. Vespertinus mare aptum ad nauigandum, matutinus bonæ temperaturæ. Saturnus in Leone si æquidistans fuerit in parte orientali incessantem ventorum calidorum flatum denuntiat; pluuiarum paucitatem, siccitatemq; vehementem: ex qua interitus hominum continget. Septentrionalis rerum inæqualitatem, meridionalis pluuiarum abundantiam decernit. Sub radijs in aere siccitatem, vespertinus ariditatem: matutinus bonum temperamentum, stans siccitatem: retrocedens aeris corruptionē, & consequenter mortalitatem: & in diebus ventosis vehementiam ventorum calidorū significat. In Virgine, aeris corruptionem, & pluuiarum mediocritatem decernit: septentrionalis, & meridionalis bonam aeris commixtionem. Sub radijs tacet, & infirmitates influit: vespertinus aeris difficultates, matutinus siccitatem indicat. In Libra incessantem ventorum flatum, & bonam aeris commixtionem, septentrionalis multum ventorum flatum, & fortem; Vespertinus aeris inæqualitatem: matutinus frigidos, & siccos ventos denuntiat. In Scorpio frigoris, hyemisq; magnitudinem cum nubibus messes destruentibus significat. Septentrionalis caloris vehementiam. Meridionalis humidi abundantiam, & pluuiarum multitudinem promittit. Sub radijs frigidum facit aerem, vespertinus congelationē: matutinus ventorum frigidorum, & septentrionalium est significator. Stans iuxta Haly obscuros facit dies: iuxta Albumasarem siccitatem aeris. Idem ferme Saturnus facit, cum fuerit æquidistans signo Sagittarij: vnde & bonā aeris commixtionem promittit. Septentrionalis, & meridionalis flatum ventorum, sed plus borealis. Sub radijs pluuias, & nebulas, vespertinus siccitatem: matutinus, frigus intensum, & congelationem efficit. In Capricorno pluuiarum multitudinem cum terremotibus, & agriculturæ corruptionem denuntiat. Septentrionalis, & meridionalis humidi superabundantiam, frigoris vehementiam: multamq; niuem cum nimio gelu portendit. Sub radijs ventos boreales excitat cum aeris obscuritate, vespertinus frigiditatem: matutinus frigidum boream, stans obscu-

Prolomeus ex Saturni dominio in signis quid circa tempo rum mutatio nes docet.

In Ariete.

In Tauro.

In Geminis.

In Cancro.

In Leonis signo.

In Virgine.

In Libra.

In Scorpio

Saturnus stationarius iuxta Haly, & Albumasarē.

In Sagittario.

In Capricorno.

In Aquario. ros dies. In Aquario pluuiarum, & inundationum multitudinem, assiduum ventorum flatum, & terremotus ostendit: meridionalis nubium, & pluuiarum multitudinem, septentrionalis arborum destructionem. Sub radijs brumam facit duram, vespertinus tumorem in mari, & fluminibus: matutinus pluuiam, & hyemalem aerem, stans frigus & glaciem: retrocedens niues, & frigoris magnitudinem.

In Piscibus. In Piscibus postremo caloris, frigorisq; vehementiam temporibus suis decernit. Septentrionalis multitudinem flatus ventorum: meridionalis pluuiarum multitudinem, fluminumq; augumentum. Sub radijs niues significat, vespertinus, pluuias: matutinus bonam aeris commixtionem, stans inæqualitatem. Hæc de Saturni æquidistantia ad singula cæli signa, & de accidentibus eius respectu solis. Reliquum est, vt de eius eleuatione ad errantia sydera, vti de alijs, prosequatur tractatio.

Saturni eleuatio supra Iouem in signis. Saturnus itaq; si supra Iouem eleuetur in Ariete, multam certe siccitatem, pluuiam paucam decernet. In Tauro siccitatem similiter nimiam in aere in pluribus climatibus cum messis augmento. Si in Geminis, pluuiarum, aquarumq; paucitatem: in Cancro etiam paucitatem aquarum: in Leone pluuiarum paucitatem cum siccitate, & aquarum marium superfluitate: in Virgine siccitatem & ventos: in Libra multas pluuias: in Scorpio pluuias paucas cum ventorum multitudine: in Sagittario, siccitatem: in Capricorno, humorum paucitatem, & aquæ fluminum diminutionem: in Aquario fluminum siccitatem: in Piscibus deniq; pluuiarum, aquarum, niuiumq; superfluitatem designat.

Eleuatio Saturni supra Martem. Si verò super Martem Saturnus eleuetur, fueritq; in Ariete ventos calidos cum aeris turbatione, multoq; puluere denuntiat. In Tauro nimiam siccitatem, frigus intensum, & diuturnum: in Geminis, calidos flatus: in Cancro, superfluas pluuias, & diuturnas: in Leone, ventos magnos, & calidos tempore suo: in Virgine vehemens, & durabile frigus, præsertim tempore congruo: in Libra, aeris temperantiam cum paucitate frigoris: in Scorpio, aeris siccitatem: in Sagittario, ventos calidos tempore suo: in Capricorno, vehemens frigus & diuturnum: in Aquario frigorum, & calorum intensiones temporibus suis: in Piscibus postremo vehementem aeris calorem, pluuias multas, tonitrua, & fulgura.

Supra solem Saturni eleuatio in signis. Verum si super solem in Ariete eleuetur, pluuiarum abundantiam cum mediocribus ventis decernit. In Tauro aeris siccitatem: in Geminis, caloris vehementiam: in Cancro aquarum copiam: in Leone pluuias multas, sed non irrationabiles: in Virgine aeris siccitatem: in Libra, pluuiæ abundantiam, & nimiam siccitatem temporibus suis: in Scorpio intensum calorem tempore suo: in Sagittario ventum assiduum: in Capricorno aeris siccitatem: quemadmodum etiam in Aquario, & Piscibus promittit.

Saturni eleuatio supra Venerem. At si super Venerem eleuetur in Ariete, pluuiarum mediocritatem significat. In Tauro illarum paucitatem; in Geminis similiter pluuiarum paucitatem denuntiat. In Cancro aerem æstuosum, squalidum, atq; siccum: in Leone aerē suffocantem: in Virgine pluuiarum, & humiditatum copiam: in Libra pluuiarum paucitatem, in Scorpio, modicam humiditatem: in Sagittario pluuiarum paucitatem: in Capricorno paucas aquas, paucasq; pluuias, mariumq; decrementum: in Aquario etiam humidi paucitatem: in Piscibus tandem pluuiarum abundantiam cum tonitruis multis, magnoq; frigore.

Eleuatio Saturni supra Mercurium. Quòd si super Mercurium Saturnus eleuetur in Ariete, pluuiam certe superfluam, ventumq; mediocrem significat. In Tauro multas inundationes: in Geminis ventorum salubrium mediocritatem: in Cancro pluuiarum paucitatem cum caloris mediocritate: in Leone vehemens frigus tempore suo: in Virgine vero superfluas pluuias, inundationesq; multas cum intenso frigore: in Libra siccitatem multam cum superfluo, assiduoq; ventorum flatu: in Scorpio pluuiarum paucitatem, sed multas aquas: in Sagittario

ventum

ventum multum: in Capricorno pluuias multas, multumq; frigus: in Aquario præter plerasq; pluuias cum frigore, tonitrua quoq; significat: in Piscibus deniq; fluminum inundationes, aerem humidum, atq; tenebrosum. Saturnus postremo si super Lunam in Ariete eleuetur, pluuias superfluas, sed vtiles pronuntiat. In Tauro pluuiarum & aquarum paucitatem: in Geminis pluuiarum dum taxat paucitatem: in Cancro aquarum, & pluuiarum paucitatem: in Leone, aeris suffocationes, cum fœcundis, & abundantibus pluuijs: in Virgine pluuias multas: in Libra, nimiam siccitatem, quamuis bonum aerem, & temperatum innuit: in Scorpio pluuiarum, & aquarum paucitatem: in Sagittario pluuias abundantes, & humidum: in Capricorno humidi, & aquarum paucitatem: in Aquario pluuiarum, & aquarum paucitatem: in Piscibus tandem modicitatem aquarum decernit. Hæc sunt quæ de planetarum progressionibus in signis, de accidentibus eorum ad Solem relatis, deq; omnium eleuatione ad inuicem scribenda duximus: quæ cum ex veterum placitis deprompsimus, Haly præsertim, & Albumasaris, tum quoq; ex Ptolomæi iudicijs, aliquorumq; Neotericorum præcipuè: quos in ijs, & consimilibus sequi semper debemus. Quapropter si quid Ptolomaicæ sententiæ aduersum ab antiquis dictum viderimus, non omnino certè fidendum est illis: si quid minus, obseruandum, conferendum dilluendumq;. Non enim conuenit omnino eos respuere, qui causam nobis dederunt philosophandi. Verum cum mutata sint omnia à temporibus suis, nonnullæ etiam obseruationes mutatæ sunt. Sed inferius rem exactius, subtiliusq; indagabimus, atq; ad Ptolemaicam rationem adducemus.

Saturni supra Lunam eleuatio insignis.

Haly, Albumasar, & Ptolomæus.

De planetarum natura pro temporum mutationibus dignoscendis, & de sympathia, & Antypathia eorundem.
CAP. XXIII.

QVAMQVAM in superioribus vtcumq; à nobis traditum sit planetarum temperamentum, & natura; nihilominus tamen, cum per transennam, ac aliunde id acciderit: operæ prætium esse iudicauimus aliqua ex proprijs de illis digredi. Sic nāq; facilior erit aditus ad aeris qualitates, tēporūq; mutationes prænoscendas: si distinctè, atq; ordinatè pro tyronibus planetarum naturas explicauerimus. Quandoquidem ex horum coniunctione, & aspectibus, omnia maiori ex parte dependent: ideo absolute necessaria est eorum cognitio, tractatioq;. Qui enim fieri poterit, vt temporis naturam iudices, te ignorante planetarum naturas, ex quibus iudicium, & coniectura initium habet, & finem? Ideo post temporum qualitates ex planetarū progressionibus in signis, etiam ad solem relatis, atq; ex vnius eleuatione super alium elicitas, de planetarum naturis primo digrediendum est: deinde de signorū, suo loco. Incipiamus igitur à Luna, cum quia nobis, cæteris proximior est: tū quoq; quia præ cæteris motu velox; ac propterea omnium stellarum virtutes per orbem ipsius ad terram defert: ipsaq; est præcipua mutationis temporum causa: quia singulis mensibus aerem alterat, diuersimodè ad solem relata, & applicata fixis, vel erraticis: Luna itaq; frigidæ, & humidæ est naturæ: stella fœminina, & nocturna. Crescens mediocriter calefacit propter solis lumen, quo lucet: plus tamen humectat. In quadraturis, suas variat qualitates. Porrò vsq; ad oppositionem

Planetarum natura, & tēperamentum attendenda.

Lunæ situs, qualitas, motus, & natura.

calidior est, præsertim in bruma, vbi signa obtinet æstiua. Quo fit, vt gelu mitius reddatur: quod non sic in æstate contingit, vbi signa tenet hyberna, frigidiora, & humidiora; vnde minuitur æstus. At ab oppositione vsq; ad futuram synodum humidior euadit, & corpora quasi flaccida, & torpentia reddit: Cardanus in suo supplemento aliter sentit, quippe qui ait, Lunam esse humidam vehementer, præsertim orientalem, sed calidam paululum, magis autem cum occidentalis fuerit. pluuias multas, & magnas ostendit: & abundantiam aquarum, & morbos plurimos excitat male posita: quia fructus, quibus vescimur, corrumpit: sed fortunata, pluuias multas; & magnas, rerum copiam, corporum sanitatem, & paucas ægritudines indicat, si tamen præcipuo significatori testimonium reddiderit, vel commixta fuerit: non obstante eius generali dominio, nam & Ptolomæus illam à particulari eximit, sicuti & solem. Ex coloribus croceum habere aliqui rentur: nos verò potius argenteum croceo mixtum arbitramur.

Cardani opinio de Luna

Mercurij qualitas, motus, & natura, & effectus.

Mercurius planeta anceps est, & varius, ac naturæ versatilis. Eorum naturam imitatur, cum quibus coniungitur: cum bonis bonus: cum malis malus. Masculus cum masculis, fæmineus cum fœminis. cum calidis, calidus: cum frigidis, frigidus: cum humidis humidus: & cum siccis siccissimus. Ex se tamen siccus est, & aridus. Sed plus occidentalis: orientalis verò modicè calidus: in actiuis tamen temperatus: velocis progressus: sed velocioris permutationis, lucidus est, sed non candidus. Vim habet excitandi flatus noxios, repentinos, turbinosos: cũ occultatur, flumina, & aquas desiccat; sicuti cum emergit, auget. Tandem malè positus, infelicia itinera influit in aquis. Dat grandines, fulmina, terremotus, aliquãdo ingentes pluuias, & similia: sterilitates insuper, & apparitiones igneas: animantibus verò ægritudines graues, & varias, puta tusses, febres quotidianas, tabes, siccos morbos, anhelationes, asmata. Porrò ex coloribus habet omne commixtum, & variũ.

Veneris natura, motus, & qualitas.

Venus est stella feminina, & nocturna, bonæ naturæ: & iuxta aliquos frigida, & humida temperatè. Alij dicunt, quòd sit humida, & mediocriter calida. Verum alij distinguunt, quod venus sit plurimum humida, præsertim orientalis, calida verò paululum: sed occidentalis magis calida, & paululum humida. At Ptolomæus vim leniter calefaciendi, & humectandi ei tribuit. Est candida, clarior, & Ioue splendidior: ita, vt vmbram faciat maiorem vmbra Iouis. Est velocis progressus, significatrix humidorum temporum. Quare leues efficit pluuias, & dat rerum vbertatem, & copiam. Effectus tandem habet similes Iouijs. Anni Domina, ventorum temperiem influit: in aquis fœlicia itinera, à tempestatibus aliena. Hi planetæ dicuntur leues ob citatiorem motum, quo mouentur motu proprio, ad ponderosiores relati: dicuntur inferiores, quia infra solem situm habent.

Ptolomæus.

Solis qualitas, natura, & motus, & dignitas.

Sol medius planetarum, est planeta diurnus, & masculinus: moderate calidus, & siccus. Cardanus autem iudicat solem esse calidum valde: & si in passiuis paululũ declinare ad siccum. Fortuna est, & iuxta nonnullos, bonus per aspectum, & malus per coniunctionem. Verum hoc explicatione indiget: quomodo scilicet per cõiunctionem sol est malus, & infortuna, si Veneri, & Ioui beneficis stellis copuletur, vel etiam Mercurio? si autem Saturno, & Marti, vel Lunæ per tetragonum, vel per diametrum applicetur, quomodo per aspectum bonus erit? At certe per coniunctionem, ac per omnes aspectus bonus erit beneficis: per sextile autem, vel per trigonum, Saturno, Marti, & Lunæ: per coniunctionem, tetragonum, & diametrum, malus omnibus his. Sol insuper est velocis progressus: serenitatem efficit, & vbertatem: bene positus; ac si significatoribus testimoniũ quoquo modo reddiderit. Est tamen vniuersalis temporũ significator: sed vt particularis, malè positus calore noxio, & infectis nubibus aerem conturbat. Ex coloribus croceum rubro, per mixtum colorem tenet. Regit omnes planetas.

Mars

Mars planeta masculinus, nocturnus, immoderatè calidus, & siccus: ac propterea biliosus. Sed sicciorem longè quàm calidum Cardanus docet: occidentalis tamen calorem, orientalis siccitatem auget. Malus, & infortuna minor. Rutilus est, & flammeo colore: vel ex coloribus rubro gaudet. Est progressus mediocris. fulgura, tempestates, incendia, grandines, atq; siccitates ostendit: cometes deinde, iram, & repentinas mortes, & pestilentes. Portò infirmitatum violentarum, & vulnerum, & cõtunsionum proprie est significator: amplius morborum acutorum, & æstuantium, sanguinis eruptionum, & tertianarum febrium. Cum autem fuerit solus anni Dominus (præter prærecitata) ventos occidentales africos, & pestilentes denuntiat: in aquis turbinosos, & exitiales, ex quibus sequi subitò nauium submersionem, par est: in aere ardentem calorem, ac squalidum; ideoq; fructuum corruptionem: in fluminibus, & fontibus aquarum inopiam: in æstate calorem in tensum, & suffocantem, in bruma frigoris remissionem.

Martis natura, qualitas, motus, & significationes.

Iuppiter fortuna maior est. Masculinus, diurnus calidus, & humidus: temperatus, atq; sanguineus. Iuxta verò Cardanum calidior est, quàm humidior. Occidentalis calorem auget: orientalis, humiditatem. Lucidissimus est, ita vt vmbram quoq; gignat ex lumine, sed paulo minorem Veneris vmbra. Ex coloribus citrinum, seu glaucum, & viridem habet: sed suus candidus est. Ventos boreales temperatos, & aliquando pluuias ad æqualitatem affert: & aeris salubritatem procreat. Incolumitatem, quietem, & victus abundantiam multiplicat: fælices quoq; nauigationes promittit: ex quibus ingens rerum copia consurgit. Quòd si impeditus, vel infortunatus fuerit, dabit supradicta confusè, & non sincerè: quinimò aeris intemperiem, ac corruptionem quandoq; inducet.

Iouis qualitas, motus, & natura.

Saturnus humanæ naturæ inimicus, est planeta masculinus, & diurnus: infortuna maior, frigidus, & siccus. Sed orientalis est maxime frigidus, occidentalis maxime siccus. Tardissimi est progressus. Terremotus gelu, glacies niues, & pruinas, pestes, annonæ, penuriam, infirmitates longas ipse generat. Et præter prærecitata, si solus anni dispositor fuerit, & male affectus, aeris tenebrositatem, dãnosas pluuias; ac propterea corruptiones per frigus, & fructuum destructionem efficit: subinde in aquis ob tempestates, nauium submersiones; corpora verò fluxionibus, quartanis febribus, humorum malignitate mirum in modum afficit. Malencholicus est, & phlegmaticus. Ex coloribus nigrum habet, vel pallidum colore plumbeo. Hi tres dicuntur planetæ superiores, quia supra solem collocantur: dicuntur præterea ponderosi ob motum tardissimum. Nam Mars biennio, Iuppiter duodecimo solis anno; Saturnus autem tricesimo fermè suos perficiunt motus.

Saturni natura, qualitas, motus, & cõditiones.

Caput draconis, & cauda, quamuis non sint stellæ, sed interfectiones eccliptice: vim tamen habent stellarum, quinimò maiorem illis. In his namq; interfectionibus accidunt duorum luminum ecclipses, non in stellis. Quare coadiuuant temporum mutationes, quùm planetis fuerint coniunctæ, & alterant aeris qualitates. Sciendum est itaq; Caput Draconis esse naturæ Iouis, & Veneris cum participatione Mercurij: nam in Geminis est eius exaltatio. Ideo amici eius sunt Iuppiter, & Venus, sicuti hostes Saturnus, & Mars. Cauda vero est naturæ Saturniæ, & Martiæ cum Iouis participatione, habet namq; exaltationem in Sagittario in quarta ferè eius parte: quemadmodum caput in quarta parte Geminorum fermè; deprimuntur autem ambæ in oppositis signis. Amici caudæ sunt Saturnus, & Mars: Inimici Iuppiter, Sol, Venus, Luna. Vide igitur cum quibus planetis hæ interfectiones iungantur: Sicq; pronuntiabis. At illud non prætereundum duximus, caput cum bonis, bonum esse, cum malis malum: sequens in hoc Mercurij naturam.

Draconis caput, & cauda non sunt stellæ.

Capitis, & caudæ Draconis natura, & qualitas.

naturam. Porrò caudam è contra bonam esse cum malis: maleficam cum bonis. Nunc verò dicendum est de sympathia, & antypathia planetarum: plurimū etenim conferunt ad dignoscendas aeris mutationes. Lunæ familiares, & amici sunt Iuppiter, Venus, & Saturnus: Hostes Mars, & Mercurius, familiares Mercurij sunt Iuppiter, Venus, & Saturnus: hostes Sol, Luna, Mars. Veneris amici omnes præter Saturnum. Amici Solis Iuppiter, & Venus: inimici, Mars, Mercurius, & Luna. Amica Martis sola Venus: hostes verò omnes, plus tamen Iuppiter, & Sol. Amici Iouis omnes, Marte excepto. Saturni familiares, & amici Iuppiter, Sol, & Luna: hostes, Mars, & Venus: Sed ista magis quàm ille. Cæterum aliæ sympathiæ, & antypathiæ planetarum species sumuntur vel ratione conuenientiæ illorum in domibus, exaltationibusq; vel ratione oppositionis illarum. Nihilominus tamen cum planetæ in natura, substantia, qualitate, & potestate conueniunt, vel dissentiunt: fortior sanè, & robustior est illorum sympathia, & antypathia: ex quibus certiorem sumes coniecturam circa aeris qualitates, temporumq; mutationes vaticinandas. Ad hæc addere ne recuses (nam coniectari, etiam licet aliqua planetarum accidentia, vt securior sis in iudicando temporum mutationes) videlicet si planetæ sint retrogradi, motu veloces, vel tardi, vel mediocres: cadentes, combusti, stationarij, obsessi: si applicent, si congrediantur, si separentur: si sint orientales, si occidentales, si boreales, aut australes: quem locum possident, si aucti, vel diminuti lumine, si ferales: & similia quàm plurima, quorum aliqua perstrinximus: nonnulla vero etiam manifestabimus, vt studioso nihil desit ex nobis. At de motus eorum discrimine, nunc dicendum est. Dicitur planeta motu velox, cuius verus motus in consequentia suum medium motū superat. Tardus, cum suus medius motus suum verum superat in præcedentia. Mediocris, cum vterq; motus sit in consequentia æqualis. Directus, cum eius incessus iuxta signorum ordinem fit: incrementum motus accipiens. Retrogradus, cum eius motus minuitur: in antecedentia progrediens, stationarius, cum moueri non percipitur. Sed libet singulorum planetarum medios afferre motus: ex quibus cæteri manifestiores erunt. Saturni medius motus est scrupulorum primorum duorum. Iouis, quatuor, & secundorum quinquaginta nouem. Martis triginta vnius, secundorum viginti septem: solis quinquaginta nouem, secundorum octo: totidem quoq; Veneris, & Mercurij. Lunæ verò partium duodecim, scrupulorum primorum vndecim, secundorum viginti septem. Cum itaq; planeta minus suo medio motu progreditur: tardus motu dicitur: cum plus, velox cætera verò ex his manifesta fiunt.

Planetarum antypathia, & sympathia.

Planetarum aliæ sympathiæ, & antypathiæ species.

Planetarum accidentia consideranda pro temporibus dignoscendis.

Planeta motu velox tardus, mediocris, directus, retrogradus, stationarius.

Planetarum motus medii

De Temporum mutationibus, ex his, quæ planetis acciidunt iuxta Ptolomæum, Cardanum, & alios. CAP. XXIV.

PLERAQVE quæ afferentur à nobis, iam manifesta sunt pleraq; etiam minime. Cuncta igitur adducemus exacte, vt decet: sed accuratius, quæ nondum tractauimus. Stellarum itaq; errantium inter alia septem quidem sunt eorum accidentia: ex quibus certior haberi poterit cognitio qualitatum aeris: Accidentia sanè loci, latitudinis, absidis, motus, habitudinis ad Solem, situs, & fixæ. Locus primo considerandus est, hoc est, in quo signo sit planeta. Latitudo deinde, hoc est, vtrum boream versus,

Errantium stellarum accidentia septem.

vel Austrum planeta declinet. Absis, puta si est in suprema sui circuli parte, vel in eius opposito; aut si planetæ absis sit in termino suo, vel alieno. Motus, idest si planeta est motu velox, vel tardus, vel retrocedēs, vel stationarius. Habitudo ad Solem, si est auctus, vel diminutus lumine: si est auctus, vel diminutus motus. Situs, si planeta est supra, vel infra terram: in angulo, vel succedenti, aut cadente, & similibus. Fixæ demum, hoc est congressus fixarum cum planetis ad inuicem. Hæc omnia sanè, & singula sigillat, & diligenter examinabimus, atq; expendemus. Quo ad planetarum locum, à Luna inchoabimus, cum sit nobis proximior: deinde à cæteris sigillatim. Luna in Cancro, Scorpio, & Piscibus, & Aquario imbres facit. Superius de trigono Aqueo tantum id explicatum est. Cardanus ex propria obseruatione, & Ptolomaica; & ex rei quoq; ipsius natura, ex parte tamen, Aquarium addit ob aliquas ipsius signi aqueas partes. At in Ariete, Leone, Capricorno, siccitatem: in Tauro, & Sagittario siccitatem cum repentinis mutationibus: in Geminis & Libra, ventos: in Virgine læuas tempestates. De Mercurio autem dictum est satis: nunc quoq; dicemus, quod in omni signo orientalis humectat: occidentalis exsiccat. In Geminis, & Piscibus ventos ciet: at in Virgine, & Libra aerem corrumpit. Venus deinde in Ariete septentrionalis siccitatem: meridionalis lenes pluuias gignit. In Tauro septentrionalis, calefacit, & pluuias prouocat; meridionalis infrigidat, & pluuias auget. In Geminis borealis ventos, & aeris salubritatem generat: Australis dat ventos vberiores. In Cancro, & Scorpione, vel borealis, vel Australis auget pluuias, & aquas fontium. In Leone verò, & Virgine septentrionalis aeris temperiem excitat: sed meridionalis dat tonitrua, fulguraq;. In Libra, cum sit domus sua, quocumq; modo, suauem reddit aerem: Solisq; malignitatem dum in eo signo fuerit, mitigat. In Sagittario, & Capricorno quacumq; latitudine, aerem humectat, minuitq; niues: nisi Saturno corpore coniugatur, vel aspectu copuletur: tunc quidem augmenta niuium promittit. In Aquario, quacunq; latitudine ventos, & pluuias excitat. In Piscibus tandem aerem serenat. Sol cum semper per eclipticam incedat, nec ad Austrum procumbit, neq; ab boream enitet: ac propterea carebit quacumq; latitudine, locus igitur tantum in eo considerandus est. Itaq; cum fuerit in signis Aequinoctialibus, solstitialibus, puta Ariete, Libra, Cancro, & Capricorno: videmus quidem manifeste tempora mutari. At in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario retinere ea. In Geminis; Virgine, Sagittario, & Piscibus ambigua illa reddere. Mars insuper in Ariete septentrionalis calorem auget, & siccitatem Meridionalis tonitrua dat, & fulgura. In Tauro borealis, ventos, tempestatesq; atroces: aut Australis non sic læuas. In Geminis septentrionalis pluuiarum multitudinem confert: sed meridionalis aquarum paucitatem. In Cancro borealis aquarum multitudinem: Australis ventos, & aliquas pluuias. Verum in Leone, quacunq; latitudine, calorem auget, & siccitatem: excitatq; fulgura, & grandines. Similiter in Virgine quacumq; latitudine, aerem corrumpit: & quæ ex terra nutriuntur: facitq; ventos cum siccitate. In Libra borealis aerem obscurat: sed Australis obtenebrat, & fulmina iacit. In Scorpio septentrionalis pluit: meridionalis, dat fulgura, & siccitatem. In Sagittario septentrionalis minuit hyemem, caloremq; auget: meridionalis quandoq; ipsum perturbat. In Capricorno borealis facit niues: Australis aerem obscurat. In Aquario septentrionalis frigora dat, & niues: meridionalis aerem turbulentum. Tandem in Piscibus Mars borealis, aeris bonitatem significat: Australis, paucas, & lenes pluuias.

Temporum mutationes ex luna in signis.

Mercurius in signis quomodo tempora mutat.

Veneris in ambulatio per signa, quas tempo rus mutatio nes affert.

Solis locus in signis quid circa tempo rum mutationes efficit.

Martis progressio in signis quid circa temporũ mutationes portendit.

Iuppiter septentrionalis in Ariete, aeris serenitatem affert: meredionalis ventos

Iouis incessus per singula signiferi loca, quomodo tempora mutat, ex latitudine

tos excitat. In Tauro quacunq; latitudine data semper siccitatem influit præter stellas. In Geminis borealis, ventos cit salubres: australis tonitrua, fulguraq; in Cancro septentrionalis aquas auget, & tonitrua cum fulminibus: meridionalis autem tranquilliorem reddit aerem. In Leone borealis, tonitrua cum fulminibus excitat: Australis aeris siccitatem. In Virgine borealis, aut ventos designat, aut pluuiarum abundantiam: australis verò aeris pulchritudinem. In libra septentrionalis, ventos multos, & lenes pluuias: australis æstum, & aquarum copiam. In Sagittario quacunq; latitudine data, pluuiarum paucitatem, & temperatam hyemem vsq; ad finem eius significat. In Capricorno borealis aerem exsiccat, repentinasq; faciet mutationes: australis vero minuit hyemem, tranquilliòremq; reddit statum. In Aquario septentrionalis aerem obscurat: australis facit tonitrua, & aquas. In Piscibus borealis humidum reddit aerem: australis verò aquas ingerit.

Saturnus in signis cum latitudine quomodo tempora variat.

Saturnus demum borealis si fuerit in Ariete aeris corruptionem indicat: at australis frigoris magnitudinem: In Tauro septentrionalis præter stellas, siccitatē, & aeris tranquillitatem pronuntiat: meridionalis aeris corruptionem significat. In Geminis borealis, terremotus facit, & ventos: australis ad tempus calefacit, aeremq; corrumpit. In Cancro septentrionalis pluuias auget, & aquas: sed meridionalis idem efficit, sed cum aeris calore. In Leone borealis, calorem generat cum vrente siccitate: australis tempestates. In Virgine borealis ventos cum aeris salubritate promittit: australis fontes aquarum exsiccabit. In Libra septentrionalis si fuerit, incolumem statum cum aeris siccitate, & fontium denuntiat: meridionalis verò suaues ventos procreat, & bonam aeris habitudinem demonstrat. In Scorpio borealis multitudinem pluuiarum indicat: australis aquas, & quandam aeris occultam malitiam. In Saggittario, si borealis fuerit, niues facit, & frigus: australis inclinat ad temperamentum. In Capricorno frigus intensum influit cum incolumitate, si septentrionalis fuerit: meridionalis autem frigoris multitudinem, & aeris obscuritatem. In Aquario borealis si extiterit, brumam excitat: at si australis exsiccat flumina. In Piscibus deniq; quacumq; latitudine data, ventorum multitudinem impellit: deterius quoq; si australis.

Duratio significati planetæ in temporum præsagitura.

Sed animaduertere diligenter licet, & prænotare necessum est: quantum vniuscuiusq; planetæ significatum, iudiciumq; duret, ne temporum præsagituræ confundantur. Sciendum itaq; est, iudicium tantum duraturum, quantum singuli in vnoquoq; sunt signo moraturi. Saturnus igitur cum in signo duobus annis, & dimidio fermè perseueret: tantundem profectò illum iudicare, necessarium erit. Iuppiter anno. Mars duobus mensibus, sol cum Venere, & Mercurio vnico mense. Luna verò duobus diebus, & quarta. Ratio autem horum est, quia Saturnus signiferum triginta fermè annorum spatio explet, Iuppiter duodecim, Mars duorum: Sol Venus, & Mercurius anni vnius interuallo: Luna deniq; mensis.

Planetarum periodus.

Hæc autem non obstant schemati æquinoctij vernalis: nam influxus ille est generalis, & reliquorum fundamentum; tametsi in quartis quoq; varietur; hi verò sunt particulares: Nam ascendentia singulorum nouiluniorum saltem pro temporum qualitate, iudicare opus est. Quæ cum superius sint tacta: inferius quoq; explicabimus.

De

De reliquis, quæ planetis accidunt ob aeris qualitates dignoscendas. CAP. XXV.

PLANETARVM locis, latitudinibusq; explicatis, vt perfecta mutationum temporum habeatur cognitio; reliqua expendere opære prætium est. Remanent igitur considerandа suprema planetarum loca, puta absides, & eorum opposita: illorum motus habitudo ad solem, situs, & cum fixis congressus. Planeta cum in suprema sui circuli parte residet, quæ absis vocatur: maiores operatur effectus, sed tardius. Dum est in eius opposito, minores, sed velociores: in medijs autem longitudinibus, mediocres. Mutantur absides planetarum iuxta illorum terminos: in quibus ea certe efficiunt, quæ planetæ alias facerent. Nam si Saturnus natura sua frigiditatem, siccitatem, & tempora significat: absis quoq; eius In Saturni termino siccitatem, & frigiditatem, pestes insuper, frugum paucitatem, animaliumq; mortes significare, par est. Si Iuppiter calorem humiditatem, & ventos, aerem & plantas omnes denotat: Igitur absis eius in suo termino eadem efficiet. Similiter Mars calorem siccitati adiunctam, ignem quoq; & lapides significat; eadem quoq; suæ absidis mutatio in suo termino significabit. Sol quoq; cum calorem, & in humore temperamentum, animaliaq; omnia generet, Venus humidum, & temperatũ calorem, & vim germinandi in cunctis viuentibus significet: Mercurius lenem siccitatem, coagulationem, ac temporum varietatem, Luna deniq; aquas, & humorem omnem, atq; temperatum calorem promittat: absides eorum, eadẽ quoq; significabunt. Quid igitur absides in vnoquoq; loco significent, manifestum est. Propter has rationes Cardanus arbitratur, quòd cum solis absis fuerit in Virgine habitari pars australis incipiet, & septentrionalis fiet inhabitabilis ob incomoda multa: quia cum mutatio fit à signo ad signum, maior sequetur aeris permutatio. Vtrum autem hoc fiet? si mundi duratio tantum protenderetur: fieret vtiq; spatio annorum 5100. Supposito Solis absidem esse hac ætate (vt nõnulli rentur) in nouem gradibus, & scrupulorũ secundorũ quinquaginta sex Cancri. Sed ex Neotericis obseruationibus, & demonstrationibus puta Tychonis Brahe Dani insignis mathematici, Apogeon Solis anno 1591. repertum est in quinto gradu, & minutis triginta sex Cancri, eccentricitas verò eiusdem in duobus gradibus, & minutis nouem: Supposito etiam orbes duos, augem Solis deferentes: tardissime moueri centum ferè annis parte vna; quamuis id Ptolomæus non cognouerit. Existimauit namq; puncta illa, duo puta Apogeon, & Perigeon esse fixa: Apogeon tempore suo reperit in sexta parte Geminorum, qua fuerat Hipparchi tempore, & abesse à solstitiali puncto, partibus viginti quatuor. Quamobrem Soli non tribuit alios orbes mobiles, nisi eccentrotem; verum posteri animaduerterunt Apogei punctũ progredi (vt dictum est) tardissimo motu centum annorum ferè spatio gradu vno. Quarè elicitur peculiarem esse motum duorum orbium auges deferentium: atq; ab octaua ferri sphœra, diuersas insuper esse lineas: lineam solstitij, & lineã Apogei. Fiet igitur spatio annorum antedictorum. Quòd si minores obtinet partes solis Apogeon, maioris quidem temporis spatio perficietur: si maiores, minoris temporis interuallo. Habemus igitur temporis qualitatem ex absidum planeta-

rum

Marginalia: Planetarum accidentia. — Effectus absidum Planetarum in téporum mutationibus. — Saturni. — Iouis. — Martis. — Solis. — Veneris. — Mercurij. — Lunæ. — Auster quando fiet habitabilis, & septentrio inhabitabilis iuxta Cardanum. — Apogeon Solis iuxta Tychonẽ Brahæ 1591. — Apogei, & perigei loca fixa existimauit Ptolomæus.

rum motibus. Sequitur planetarum motus. Planetæ aut sunt directi, & motu veloces, aut tardi, aut stationarij, aut retrogradi. Si directi, & motu veloces, calorem augent: si tardi minuunt, si stationarij, & sunt calidi naturâ, calorem efficiunt grauem: si frigidi, frigus: si humidi, pluuias augent: si sicci exsiccant. Qua re Saturnus frigiditatem faciet, Mars calorem: Iuppiter temperamentum, & serenitatem: Venus pluuias: quæ obseruationes sunt Ioannis Verneri Norici. Id autem prouenit, quia talis est eorum natura. Idem autem efficiunt, dum sunt stantes. At verò si retrogradi fuerint, omnes infrigidant, aut saltem parum calefaciunt, Ioue excepto, in solis diametro existente: cum fuerit auctus lumine. Quantum verò ad habitudinem errantium stellarum ad solem, sciendum est, planetam cum à Coitu, vel ab occultatione solis discedit, vsq; ad diametrum eiusdem, dici auctum esse lumine: ab oppositione, ad occultationem, diminutum esse lumine: à primo trigono cum Sole, ad secundum trigonum diminutum motu: à secundo autem trigono ad primum vocari auctum motu. Ex quibus quatuor habitudinibus totidem modi consurgunt: qui nos vtiq; certiores faciunt de temporum mutationibus dignoscendis. Primus est, quòd auctus lumine, & motu calefacit: serenumq; reddit aerem, & salubrem. Secundus est, quod lumine, & motu diminutus, inconstantem reddit aerem: infrigidando, & humectando. Tertius est, quòd diminutus lumine, & auctus motu, multum exsiccat: & parum infrigidat. Quartus verò, & postremus est, quod auctus lumine, & diminutus motu multũ humectat: parumq; calefacit. At planetarum situs remanet nunc dilucidandus. Plures quidem habet planeta situs. Primus est supra terram, secundus est subtus terram. Supra terram vel erunt anguli puta horoscopus, & Cardo meridiei: vel succedens decimæ, puta vndecimus figuræ locus: vel succedens septimæ, qui est octauus ab ascendente: vel cadens à cæli medio, puta locus duodecimus: vel cadens ab occasu; idest nonus figuræ locus. Quòd si situs erit subtus terram, vel erunt anguli, hoc est occidens, & imum cœli: vel succedens ab horoscopo, hoc est secundus figuræ locus: vel cadens ab horoscopo, qui est tertius figuræ locus: vel cadens ab imo cæli, qui est sextus. Amplius, vel planeta ab anni reuolutione erit in loco forti, vel mediocri, vel debili: aut in loco forti, mediocri, vel debili à coniunctione. Si supra terram planeta fuerit, sanè fortius operabitur: infra terram lenius vbicumq;. Super terram plus calorem, quam frigus augebit, si planeta est calidus, si frigidus, magis gelu, subtus terram non est tantum discrimen. In angulo planeta collocatus, effectus augebit: ac eius naturam, qualitatemq; celeriter indicat: in succedenti minus: in cadenti, aut parum, aut nihil efficiet a qualibet reuolutione. Sol quoq; si in locis quadratis, & oppositis, prima æquinoctiorum puncta attigerit: fortior dubio procul erit inoperando. Si in alterius planetæ locum ceciderit: vtriusq; effectus similis erit. Idem quoq; iudicium erit de Luna in singulis mensibus, cum soli copulatur. Perspice igitur tunc, qui planetæ cũ innerrantibus stellis, aut alijs cocunt: præsertim si angulis extiterint: quandoquidem luna cum ad eas fixas peruenerit, fixæ, ac planetæ opus certè imitabitur: In succedentibus verò, & cadentibus locis, simile erit iudicium, sed obscurius. Notat deinde Cardanus lunæ congressum cum planetis in vnoquoq; mense duplicis esse generis, alterum quidem ad corpus eius: alterum verò ad stellam, quæ nouilunij hora, erat illi proxima. Considerati igitur debet radiorum vtriusq; congressus, quando planeta in anno, quandoq; alteri planetæ iungitur; si namq; in eodem loco, vel tetragono, vel opposito ceciderit: in aeris qualitate à loco congressus accidet permutatio: si verò alibi, nihil notatu dignum euenerit. Postremo considerandus est stellarum errantium congressus cum fixis. Quicunq; planeta

Motus planetarum accidentia, & ex his temporum mutationes.

Ioannes Vernerus Noricus.

Planeta quãdo dicitur auctus, vel diminutus lumine, auctus, vel diminutus motu.

Planetarum situs varij.

Planetarum effectus in situbus varijs

Solis effectus in quadratis fortior.

Lunæ effectus.

Lunæ congressus cum planetis quotuplex iuxta Cardanum.

vel

vel inerranti, vel erranti stellæ in qualitatibus simili, congrediens, aerem certe sub illa qualitate confirmat: dissimili vero mutat. Similes sunt Sol, Iuppiter, & Mars. Iuppiter &, Saturnus. Luna, & Venus. Saturnus, & Mercurius. Sol, & Mercurius. Amplius Sol, & Venus. Sed dissimiles Saturno sunt Sol, & Luna. Ioui Mercurius, & Mars. Marti Venus, & Luna. Soli, Luna, Veneri, Mercurius: Mercurio tandem Luna. Ex his triplex iudicandi via elicitur in ratione dissimilitudinis. Primo si sunt dissimiles in actiuis, secundo, si in passiuis: tertio si tam in actiuis, quàm in passiuis. Si namq; sunt in actiuis dissimiles, excitant sanè pluuias, & temporum varietates in calore, & frigore. Si in passiuis, ventos cient, & aeris turbationes, & turbulentias efficient. Si in vtrisq; tempestates impellunt. Exemplum desideras, exemplum accipito. Luna cum corporaliter applicuerit stellis de natura Mercurij: leues mouebit ventos. Si de natura Martis, tonitrua: si de natura Satuini, frigora: si de natura Iouis ventos salubres, & aeris serenitatem: si de natura Veneris, suaues pluuias, & sic de reliquis. Verum hæc, & similia illustrius tractabuntur, cum de temporum mutationibus ex fixis inferius digrediemur. Illud tamen præmonere volumus, vt pro certo habeas nunquam mutari tempus absq; causa aliqua illud mouente: cum sit res naturæ. Quæ quidem causa duplicis esse generis in vniuersum perspicitur. Prima dependet ex duorum luminum positu, vel coniunctim, vel seorsum, eadem hora, vel momento, in aliquo principali loco effectum illum significante: vel eiusdem rei significatori, præcise per aspectum tetragonicæ irradiationis, vel diametralis connexo: nisi adsit alicuius stellæ impedimentum, illi multum proximæ. Porrò tunc luminare cum attigerit, statim perficiet. Secunda causa ex coniunctione errantis stellæ cum fixa prouenit. Si namq; Lunæ radij ibi iaciantur, non est possibile, vt aeris qualitas statim non permutetur, modo iam explicato: nempe si in angulo fuerit; tempus manifeste permutabitur: si in succedente; permutatio erit minor, si in cadente obscura.

Errantium congressus cũ fixis, vel interse quid circa temporum mutationes portendit.

Tempus nũquam mutari absq; causa.

Temporum mutationes non simpliciter ex Tetragonus in malum vel ex Trigonus in bonum vaticinanda sunt.
CAP. XXVI.

ABERRANT valde Astrologi, dum temporum mutationes, aerisq; qualitates ex simplici stellarum aspectu in signis, puta ex nudis tetragonis (de his etenim erit nobis sermo in præsentiarum) & de trigonis, in malum prognosticantur, & ex trigonis in bonum. Idq; accidit ob signorum naturam, nempe ob illorum ascensiones in ortu, descensionesq; in occasu diuersas. Ad huius igitur intellectum prænotandum fore, arbitramur, tetragonũ aspectum esse distantiam stellarum per quadrantem signiferi, nonaginta partes tantum continentem, quæ quidem tria complent signa. Hic aspectus est odij, & inimicitiæ, pendet enim ex signis, sexu, & natura adinuicem dissidentibus: sed imperfectè. Quandoquidem non tali robore insignitur, vt malefaciat omnino, sed mediocriter, respectu oppositi: qui noxius omnino censetur. Quæ etenim opponuntur adinuicem, maximè distant, ac propterea perfectè aduersatur.

Astrologorum quorundam error.

Tetragonus aspectus qd sit.

Aspectus oppositus. versatur. Quo fit, vt robore cæteros præcellat aspectus: præter congressum vel in bonum, vel in malum. Terminatur autem oppositio medietate signiferi, continens partes centum octuaginta: sicuti congressus eisdem met partibus. Qui duplex quidem est: partilis scilicet, & platicus. Partilis fit, cùm planeta est alteri planetæ in eodem gradu vnitus, vel soli per sex decim scrupula prima, prius, & posterius, tam per longitudinem, quam per latitudinem copulatur: & tuuc dicitur esse in centro stellæ, vel in corde solis: & dicitur aspectus partilis compositus, differens à simplici, qui fit secundum longitudinem tantum. Quando scilicet stellę sunt in vno, vel diuersis circulis, per polos Zodiaci descriptis, per partes eccliptica sese partiliter aspicientes, ductis; quanquam eandem non habeant latitudinem. At in opposito aspectu respicienda est ad equalem, & contrariam latitudinem. Vt si vnus planeta habet latitudinem meridionalem, alter habeat septentrionalem, sed in eisdem partibus. Quod in quadratis aspectibus nullo modo obseruatur. Cum enim partiliter in eccliptica semper incidant, nullam latitudinem habent, ac propterea in illis nulla obseruatur. In trigonis autem contraria exigitur latitudo, & inæqualis: quanta scilicet est latitudinis stellæ medietas. In sextilibus eandem latitudinem, & inæqualem exigunt: quantam scilicet latitudinis stellæ medietas postular. Et sicut hic aspectus per sextam Zodiaci partem expletur, nempe per partes sexaginta; ita illæ, puta trigonus per partes centum viginti, tertiam circuli partem complectens. Hic quidem perfectæ amicitiæ est: ille autem imperfectæ. Sicut congressus est indifferentis naturæ, cum bonis nempe bonus, cum malis malus: Estq; omniũ irradiationum robustissima, vt iam paulo superius tactum est.

Aspectus partilis, & platicus.

Aspectus platicus quid sit. Platicus autem aspectus est, vel cum stellæ stant intra suorum orbium quantitatem: vel cum distantia aspectus non præcise numeratur, sed maior est, vel minor: tunc enim intra stellarum orbes, vt dictum est, aspectus distantia incidit, non autem in corda, seu centra. Vt cum soli copulatur planeta per scrupula prima sexdecim ante, vel retro (sunt qui dicunt 19) ille congressus dicitur profecto partilis: ita ab inde, citra scilicet à gradu vno, ante, vel post platicus dicitur congressus: dum sanè iuxta orbium medietatem, siue radiorum amborum coeuntium, vel minus, vnus alteri adhæret.

Planeta combustus, & sub radijs. Quo fit vt planeta per partes duodecim solem insequens, vel à sole recedens, combustus dicatur: per quindecim verò esse sub radijs: tuncq; raro, vel minimè cælo apparet: nisi fuerit fixa, que per gradus totidem in latitudine à sole elongetur. Porrò matutina, vel vespertina, etiam soli per longitudinem coniuncta, perspici poterit: quod in minori quoq; latitudine in luna, & Venere nonnumquam fieri asseuerat pitatus.

Pitatus. Lux orbium errantium. Quæ autem sit quantitas, seu lux orbium stellarum, & quantum se ipsa extendit: dicendum nunc remanet. Saturni lux ad partes decem vsq; se extendit, Iouis vsq; ad partes duodecim; Martis ad septem cum dimidio: solis ad decem & septem. Veneris ad octo: Mercurij ad septem, lunæ tandem ad partes duodecim cum dimidio.

Aspectus platicus duplex. Verum enimuero platicus aspectus etiam diuiditur in duplicem, quemadmodum, & partilis: nẽpe in applicatiuum, & separatiuum, seu defluxiuum. Applicatio fit, cum leuior planeta accedit ad ponderosiorẽ cũ tanta distantia, quantum ipsorum radij adinuicẽ distant.

Haly scientia, & aliorũ circa planetæ applicationem, et separationẽ. Haly accepit applicationẽ iuxta quãtitatẽ orbiũ planetarũ. Alij dicũt applicationem fieri cum planetæ per sex partes, vel per medietatem radiorum vtriusq; aspiciẽtis, vel corpore coeuntis, alteri adhærent. Separatio, seu defluxus fit, quoties planeta in pluribus partibus, vel saltẽ scrupulis, à ponderoso recedit. Vel iuxta alios, fit, cum planetæ à suis locis, vel corpore, vel aspectu ab vno gradu, vsq; ad sex distinguitur. Haly voluit separationem fieri ab vno gradu, &

ab inde supra: sicuti aspectum non esse plus quàm de tribus gradibus ante. De quibus omnibus vide Maginum Mathematicum nostri temporis clarissimum in prima parte suarum Isagogicarum capite 28. Verum hoc adnotato, applicationem defluxu esse fortiorem, quia planeta dum applicatur, petit conuingi alteri planete saltem per aspectum: dum verò separatur, omnibus modis recedit ab illo; ac propterea quanto planeta proximior corpore fuerit alteri, vel aspectu; tanto fortior erit aspectus: & quanto ab ipso defluit: tanto debilior. Hisce igitur pro fundamento iactis, diligenter animaduertendum est: quòd si planetarum Hexagonus accidat in Leone, & Libra: vel in Cancro, & Virgine: vel in Libra, & Sagittario iuxta planetarum qualitates, & temporum constitutiones, mutabitur tempus in malum: quia ille Hexagonus malus censetur; cum sit in longarũ signis ascensionũ, qui tetragono æquipollet: ac propterea hostilis aspectus erit. Similiter si accidit trigonus In Aquario, & Geminis: in Tauro, & Capricorno, mutabitur quoq; tempus in malum, quia æquiualet tetragono, qui noxius censetur. E contra verò tetragonus in Ariete, & Capricorno, Hexagono æquipollet, quia breuium sunt signa ascensionum. Item tetragonus in Cancro, & in Libra, in Leone, & Scorpio, æquiualet certe trigono, quia sunt signa longioris ascensionis. Ideo caute iudicandum est à prudente mathematico, ne per aspectus beneficos hallucinetur in temporum mutationibus dignoscendis in bonum: & per maleficos idem proferat in malum. Causa autem horum quæ est? Ptolomæus docuit, & alij quoq; obseruarunt. Nempè quòd Hexagonus in signis longarum ascensionum, & Trigonus in signis breuium ascensionum, ideo tetragono æquipollent, & malefici censentur, quia talem in Aequatore aspectum habent respectu scilicet ascensionum rectarum, obliquarumq;. Tetragonus quoq; in signis longarum ascensionum æquiparatur trigono, eadem met scilicet ratione. quia in Aequatore trigonum habet aspectum: quamuis respectu signiferi sit quartus. Verum Maginus locis prærecitatis explicat; videlicet, tunc Hexagonum tetragono æquiparari, cum in medietate cœli orientali in signis longarum ascensionum incidit: vel in occidentali parte in signis longarum descensionum. Item trigonus tunc tetragono æquiualet, cum in signis breuium ascensionum in parte cœli orientali occurrit: seu in oppositis signis in occidentali parte. Similiter tetragonus aspectus in parte orientali in signis breuium ascensionum, seu in occidentali in signis breuium descensionum sicut Hexagonus reputabitur: & etiam in signis longæ descensionis in parte orientali, seu in occidentali in signis longæ descensionis trigono configuratur, ad Aequatorem relatus. Qua de re non sit præceps prudens mathematicus in proferendo, innixus scilicet tetragono aspectui, qui malus censetur: vel exagono, & trigono, qui benefici existimantur. Nam quamuis ad signiferum relati, benefici censentur: ad Aequatorem verò, malefici reputantur. Eadem quoque ratione tetragonus, & si ad signiferum relatus, sit maleficus, ad Aequatorem tamen beneficus iudicatur. Vide igitur vbi contingunt: Sicque pronuntiato, adiunctis quoque conditionibus, circumstantijsq; à Magino obseruatis. Quod si queres, si in tetragonis, Exagonis, & trigonis alterum signorum esset longæ ascensionis, alterum verò breuis, quid erit de tempore iudicandum? verbi gratia: accidat exagonus in Sagittario, & Aquario: quorum vnus est longe ascensionis, alter breuis. Similiter trigonus in Scorpio, quod est signum longe ascensionis, & in Piscibus signum breuis ascensionis. Insuper si tetragonus in Libra, & Capricorno accideret: seu in Ariete, & Cancro: quorum primum, & quartum sunt longæ ascensionis, secundum, & tertium breuis ascensionis, quid erit de tempore pronuntiandum?

Maginus.

Planetæ applicatio defluxu fortior

Aspectus Hexagonus, quando malus in signis in temporũ mutationibus.

Aspectus Trigonus quando malus in signis pro tẽporum mutationibus.

Tetragonus quando bonus in signis pro temporum mutationibus.

Tetragonus quando bonus in signis pro temporum mutationibus.

Hexagonus cur æquipollet Tetragono, & Trigonus.

Tetragonus cur æquipollet trigono.

Magini explicatio.

Trigonus ęquã Tetragono, & tetragonus exagono æquiualet.

Notet Mathematicus.

Dubium.

 Respon-

Respõsio ad dubium. Respondemus, pronuntiandum esse, vel mixtum fore, vel indifferens. Verumtamen consideratis circumstantijs, conditionibusq; cunctis supra recitatis ad temporum mutationes, aerisq; qualitates (vt sæpe dictum est) dignoscendas facilè iudicium non multum longe à vero desumes. Nam Aries, & Cancer, Libra, & Capricornus sunt signa Aequoctialia, & solstitialia, ac propterea tempora, vt plurimum mutant, illa itaq; regula in his minimè tenet: nisi tetragoni illi adiungatur.

De naturis signorum, & accidentibus eorundem.
CAP. XXVII.

Signorum conditiones variæ. CVM sæpesæpius de signis digredientes, ad indagandas temporum mutationes, hoc calidum signum, illud frigidum: hoc masculinum, illud fœmininum: hoc simplex, illud bicorporum: alterum septentrionale seu boreũ: aliud meridionale, seu Australe: hoc longæ ascensionis, illud verò breuis ascensionis significauerimus: operæ pretium esse duximus omnia, & similia pro tyronibus explicare: vt antecedentia concomitantiaq; claritatem habeant; quamuis pleraq; ex his superius manifestata sint.

Numerus signorum Zodiaci. Sciendum itaq; est, quòd signa Zodiaci, qui est octauæ sphoeræ sunt numero duodecim: in tot etenim signifero partes diuisus est; quod Græci dodecatemoria vocitarunt. Scilicet Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Pisces. Vnde versus.

Est Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; Scorpius, arcitenens, caper, Amphora, Pisces,
Quæ signa his designantur caracteribus.

♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓,

Triangularitates quatuor ex signis consurgentes. Ex quibus omnibus quatuor consurgunt triangularitates, quas sapientũ nonnulli triplicitates vocant. Nempe prima ignea, masculina, & diurna, trium signorum: Arietis scilicet, Leonis, & Sagittarij: quibus præsunt Sol, & Iuppiter, sed inæqualiter. Ptolomæus hunc trigonum Borroholybicum appellat libro secundo quadripartiti ex borea, & Aphrico mixtum. Arabes faciunt orientalem. Prima triplicitas ignæa. Ex hoc trigono vaticinare boreales ventos principaliter ob Sagittarium Iouis domum, secundario occidentales ob Arietem Martis domum. Porro Sol generalis est omnium dominus. Hanc ob rem non concurrit cum alijs. Secunda triplicitas est terra, nocturna, & fœminina, tria signa continens: Taurum scilicet, Virginem & Capricornum: quibus præsunt Luna, & Venus. Ptolomæus hunc trigonum Notapelioticum, seu Austrisolanum vocat: mixtum scilicet ex Austro, & subsolano. Arabes faciunt hunc australem. Ex hac triplicitate pronosticari poteris primo ventos australes ob Venerem, quæ Tauro præsidet: secundo orientales mixtos cum australibus ob Capricornum, cui præest Saturnus; Luna autem significationem habet generalem, vt Sol. Tertia triangularitas est aerea, masculina, & diurna, tria continens signa: Geminos scilicet, Libram, & Aquarium, qui bus

(Margin notes: Ptolomæus; Secunda triplicitas terrea; Tertia triplicitas aerea.)

bus dominantur Saturnus, & Mercurius. Hunc trigonum Ptolomæus vocat Boreapelioticum: mixtum scilicet ex borea, & subsolano. Arabes faciunt illum occidentalem. Ex hoc trigono ciuntur venti orientales, primò ob Saturnum, secundo boreales ob Mercurium. Quarta & postrema triplicitas est aquea fœmina, & nocturna, tria signa continens: Cancrum, Scorpium, & Pisces; quæ præcipuum dominatorem Martem habet ob Scorpium: reliqui verò sunt Venus, & Luna. Hunc trigonum Ptolomæus Notolybicum appellat. Arabes septentrionalem faciunt. Iuxta Ptolomæum ventos excitat occidentales ob Martem, & Lunam: at ob Venerem, cum illis flat meridies. Iuxta vero Arabes, primus trigonus ventos cit orientales, secundus australes: tertius occidentales, postremus boreales. Signorum aliqua sunt septentrionalia, Artica, borealia: aliqua meridionalia, antartica, australia. Prima sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo: secunda sunt, Libra, Scorpius, Sagittarius Capricornus, Aquarius, & Pisces. Ex his rursus quædam sunt mobilia, fixa, communia. Prima sunt Aries, Cancer, Libra, Capricornus. Secunda sunt, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius. Vltima sunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Pisces: quæ etiam bicorporea dicuntur. Amplius sex signa sunt longæ ascensionis, & sex breuis ascensionis. Prima sunt Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, & Sagittarius. Secunda sunt his opposita; nempe Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, Gemini. Quæ dicuntur etiam rectè ascendentia, & sunt prima, iam enarrata, & obliquè ascendentia, & sunt sex reliqua. Vnde Lucanus cecinit.

Quarta triplicitas aquea.

Varia signorum acceptio.

Signa lõgioris, & breuioris ascensionis quæ?

Recta meant, obliquè cadunt à sidere Cancri.
Donec finitur chyron, sed cætera signa
Nascuntur prono, descendunt tramite recto.

Lucanus.

Vbi adnotandum, quod singa longioris ascensionis sunt breuioris descensionis: & è contra quæ sunt breuioris ascensionis, sunt longioris descensionis. Horum ratio est, quia illa rectè ascendunt, oblique autem descendunt: ista oblique ascendunt, & rectè descendunt, plures namq; horas consumunt illa ascendendo, ista verò pauciores: illa etiam minores descendendo, ista maiores. Causa autem horum est, quia cum maiori arcu æquatoris, quàm eccliptica exoriuntur, quæ directè ascendunt: suntq; in medietate signiferi descendente. Quæ autem tortuosè, & obliquè ascendunt, ideo breeiori tempore, pauciores numerat horas, quia in eorum ascensione non plus est de Aequatore, quàm de ecclipticæ.

Signa lõgioris ascẽnonis cur sunt breuioris descẽsionis, & è contra.

Hæc signa tam recta, quam obliqua seu tortuosa sese intuentia, eiusdemq; potentiæ signa à Ptolomæo etiam vocantur, quia in eisdem sunt paralellis, æquali spatio à tropicis distantia, & ab ijsdẽ oriyontis partibus orientia, & occidentia. Dumq; Sol per illas partes se se intuentes permeat, dies diebus, noctes noctibus, horasq; horis æquales efficit. Reliqua verò similia, si qua desunt, in diarijs seu in in elementis astrologicis illustria inuenies.

Signa recta, & obliqua, cur se se intuentia, ac eiusdem potentiæ à Ptolomæo vocantur.

De planetarum paſſionibus ad proprios orbes pro temporum mutationibus dignoſcendis. CAP. XXVIII.

Planetarum paſſiones ad proprios orbes ſcitu neceſſariæ pro muntiationibus temporum.

NON parum ad aeris qualitates dignoſcendas proderit in planetis ſuorum Apogeorum, & perigæorum notitia tam in eccentricis, quàm in epycicliis, ſi illorum loca diligenter exquiſita fuerint. Sunt etenim hæ planetarum paſſiones ſcitu neceſſariæ, habentq; habitudinem ad ſuos proprios orbes reſpectu ſolis: mutantq; manifeſte tempora. Ex quibus quoq; cognoſcuntur aliæ iam antedictæ paſſiones: vt puta motus velocitas, tarditas, mediocritas, directio, ſtatio, retroceſſioq;. Et quamuis ſupra de his mentio facta fuerit: dum de illorum abſidibus digreſſi fuimus: nunc accuratius hæc quoq; expendemus. Aſcendit ſanè in eccentrico planeta, dum à perigæo ad apogæum defertur: deſcenditq; dum ab apogæo ad perigæum mouetur. Idq; per aſtronomicas tabulas indagari, maximè conſentaneum eſt: nempe dum eccentrici cẽtrum, à Neotericis anomalia dictum, à ſex ſignis vſq; ad duodecimum augetur: Aſcendens certe eſt planeta in apogæo dum verò eius centrum, ſeu anomalia vſq; ad ſex ſigna excreſcit, deſcendit vtiq; vſq; ad perigæum. Si verò centrum partibus caruerit, tantum abeſt, vt in ſumma abſide, ſeu apogæo non ſit planeta. Quò autem ad medias longitudines, erunt quidem; in prima ſcilicet, cum planetæ centrum tria ſigna habuerit: in ſecunda cum nouem incluſiue obtinuerit. Simili quoq; modo planetarum loca in apogeis, & perigeis Epyciclorum perpenduntur: & quando ſunt aſceedentes, & quando deſcendentes. Luna verò alia via, quàm hac incedit: vt ſciatur, quando eſt in apogeo aſcendens, quando autem ad perigæum deſcendens; & quando etiam eſt in ſumma abſide. Sanè ſingulis quindecim diebus apogæum eius locum immutat: eſt namq; motu velocior cunctis ſideribus. Cum igitur ſoli iungitur iuxta medios motus, in apogæo, ſeu auge præcurrit. In exagona ſolis irradiatione primam eccentrici medietatem obtinet: in tetragona, in perigæo inuenitur, & augis oppoſito: in ſolis trigono, per longitudinam ſecundam diſcurrit: cum deniq; ſoli opponitur, rurſus in apogæo conſpicitur.

Planeta quãdo eſt aſcendens, & deſcendens,

Luna alio modo quam planeta dicitur aſcendens, & deſcendens.

Loca apogeorum, & perigeorum planetarum anno 1587.

Loca apogæorum, & perigeorum in eccentricis, verbi gratia, 1587; vt hunc annum pro radice ſumamus; ſic computata prodeunt iuxta tabulas prutenicas, & à Magino reſolutas. Saturni Apogeon in partibus 29. & ſcrupulis primis 7. ſecundis 46. Sagittarij, Iouis Apogeon in partibus 6. ſcrupulis primis 39. & totidem ſecundis Libræ. Martis apogeon in partibus 28. ſcrupulis primis 23. & ſecundis 17. Leonis. Solis apogeon in partibus 9. ſcrupulis primis 2. ſecundis 52. Cancri. Veneris apogeon in partibus 16. ſcrupulis primis 18. ſecundis 27. Geminorum. Mercurij apogeon conſpicitur in partibus. O. ſcrupulis primis 2. & ſecundis 18. Sagittarij: Loca autem perigeorum ſumuntur in oppoſitis ſignis cum totidem partibus, & ſuis fractionibus. Pro futuris verò annis, vt planetarum apogea, perigeaq; habeantur: ſcias Saturni apogeon ab anno 1587. vſq; ad 1588. progredi vno ſcrupulo primo, ſecundis verò duodecim, Iouis apogeon ſcrupulis ſecundis quadraginta ſeptem, Martis ſcrupulo vno, & ſecundis quatuor: ſolis verò apogeon ſcrupulo primo vno, ſecundis quinquaginta ſex; Veneris, ſcrupulis ſecundis triginta quinquè: Mercurij tandem apogeon ſcrupulo primo

Apogeorum motus & perigeorum ſingulis annis.

primo vno, secundis autem triginta quinq;. Hinc apogæorum perigæorumq; loca pro futuris annis extendere poteris: sane lentissimo incessu progrediuntur. Fit itaq; vt hoc anno 1606. cum apogeon Saturni sit in 29. gradibus, minutis 30. & secundis 26. Sagittarij, vnius cycli lunaris spatio sit progressus Saturnus in suo apogeo gradibus. o. minutis 22. secundis 40. Apogeon Iouis cum sit in gradibus sex, minutis 54. secundis 7. libræ, illorum annorum spatio progressus sit gradibus o. minutis 14. secundis 28. Apogeon Martis cum sit in gradibus 28 minutis 43. secundis 17. leonis, vt progressus fuerit gradibus o. minutis 20. & secundis 10. Apogeon solis cum sit graduum 9. minutorum 39. secundorum 32. Cancri, quod sit progressus gradibus o. minutis 36. secundis 42. Apogeon Veneris cum sit graduum 16. minutorum 29. secundorum 38. Geminorum, quod sit progressus gradibus o. minutis 11. secundo vno. Apogeon tandem Mercurij cum sit graduum o. minutorum 37. secundorum 41. quod spatio annorum 19. progressus fuerit grad. o. minutis 29. secundis 25. Duo itaq; prudentem mathematicum animaduertere decet. Primum est, cum planeta vtrumq; apogæum tam eccentrici, quam epycicli possidet, tunc dubio procul à terra longissime abest: solitoq; minor visui obijcitur, cum vero vtrumq; perigæum perambulat, tunc quidem terræ maximè proximus conspicitur: videturq; vt iubar quodam splendidissimum, atq; iucundissimum, pro stellæ natura. Secundum est planetas quoscumq; dum apogeon perambulant, summamq; ipsius absidem conscendunt, meliores, puriores, fœlicioresq; reddi, quia remotissimi à terra, primoq; orbi, qui omnium perfectissimus extat, proximiores: sed debiles. Dum autem ad perigæum inclinantur, atq; in opposito augis inueniuntur: robustiores quidem existere, sed deteriores, quia terræ proximi, & à primo orbe remoti. Agēs enim naturale quanto proximius est passo, tanto magis in illud agit: quantum vero est magis remotum, tanto minus; physica ratio est. Porrò luna totum oppositum habet. Dum enim in epycicli perigæo versatur, motuq; fit velox, & terræ proximior: tunc purior certè redditur, melior, robustiorq;. Huius causa quidem est elementaris natura, qua gaudet, vt symbola sibi virtualiter. Loca verò apogæorum, & perigæorum planetarum in epyciclis, difficile est stata assignare, aut aliquam certam regulam tradere: sed ex singulis eorum motibus secernenda sunt. Ex his itaq; planetarum passionibus, alijs eorundem accidentibus adiunctis, perspecta etiam vniuscuiusq; natura, adunatisq; cunctis circumstantijs vt supra: facilè temporum mutationes, aerisq; qualitates prudens mathematicus prognosticari poterit. Cæterum nonnulla alia, quæ ad id faciunt: vt puta planetarum domicilia, casus, altitudines, carpenta, deiectiones, detrimenta, aspectuum prohibitiones, receptio planetarum, applicationis species: reditus virtutis, translatio luminis, collectio, reditus luminis, pulsatio, refrenatio, obsessio, contrarietas, luminis abscissio, frustratio: Item planetarum almugea, quādo sunt ferales, peregrini, cursu vacui, & similia pleraq; quæ maxime conducunt ad temporum mutationes pranoscendas, in ephemeridibus inuenies. Non enim omnia hic afferre licet: vbi ad satietatem alibi habes. Duo dumtaxat hic animaduersione digna duximus. Primum est planetarum ingressus in suis domicilijs, casibus, altitudinibus, carpentis, deiectionibus, detrimentis, & similibus cum concomitantibus manifestè tempora mutari, quod etiam in eggressibus quandoquè expertum est. Secundum est, planetam in absidibus plus mutare aerem. Huic secundo se ascribunt Ioannes Eschuidus Anglus, & Linconiensis: dicuntq; esse id de Ptolomæi mente. Verum oppositum arbitramur. Nam in absidibus dictum est, feliciores quidem, sed debiliores reddi planetas, in pe-

Apogeorum planetarum progressio spatio vnius cycli lunaris.

Planeta quādo à terra longissime abest, & sic minor cernitur, & quando proximus & sic maior.

Planeta in apogeo purior, atq; fœlicior, sed debilior, quando perigeo è regione:

Luna in perigeo melior & robustior.

Planetarum accidentia, & passiones variæ.

Io: Aschuidus, Linconiensis.

rigeis

rigeis deteriores, sed robustiores. Ergo magis tempora mutant in perigæis, minus in absidibus; quia in his debiliores, in illis robustiores. Ad illud quod fit de Ptolomæi mente, respondemus Ptolomæum dicere, quod in absidibus mutant tempora, sed non magis. Quod si magis intelligat Ptolomæus, vti etiam, & nos in initio cap. 25. scripsimus, vbi dictum est, maiores operari effectus planetam, sed tardius, cum in suprema sui circuli parte fuerit: minores verò, sed velociores in eius opposito: respondendum arbitramur, & distinguendum primò de planetis: nam & quidam sunt superiores, alij inferiores: si de superioribus, qui sunt Saturnus, Iuppiter, & Mars; sermo fiat: vel considerantur ad eccentricos relati, & sic in Apogeo ob nimiam illorum à Sole remotionem, sunt humidiores, frigidioresq; vel ad minus non tantum frigidi, vel humidi, sed calidi parum: suntq; in illo puriores, potentioresq; at in perigæo sunt calidiores, sicciore sq; quia soli proximi, ac ideo actiones non erunt sinceræ, sed mixtæ, quia imbecilliores. Cæterum si de inferioribus ratiocinandum sit, qui sunt Venus, & Mercurius, erit oppositum trium superiorum. Quandoquidem in suorum eccentricorum, & Epicyclorum auge propter propinquitatem ad solem, calidiores redduntur, atq; sicciores: Ideoq; imbelliores, eorumq; actiones haud sinceræ, sed mixtæ erunt; in perigæo autem, quia à sole remoti: frigidiores, humidioresq; efficiuntur, vnde, & robustiores: ideoq; actiones similes influere, par est. Secundo adnotandum est diligenter, superiores ad solem relatos, & ad motum epicyclorum quintupliciter se haberi. Primò cum sub radijs fuerint, tunc vtiq; quia ad solem propinquiores, & directi, sicciores redduntur: nihilominus tamen qualitates actiuæ imbecilles erunt ob solem, à quo frustrantur; acciditq; dum in apogæis fuerint, in quibus motu mouentur velocissimo. Secundo cum perigæum versus post medium sui epicycli longitudinem se repererint, & tunc quidem humiditate vigebunt: acciditq; dum exoriuntur matutino vsq; ad retrocessionis initium, seu stationem primam. Tertio cum fuerint in oppositione cum sole, & tunc Saturnus magis frigefaciet, quia frigidus, & nobis proximior: at Iuppiter, & Mars quia calidi, & tunc nobis viciniores, magis calefacient; contingit autem hoc à statione prima, vsq; ad medium retrocessionis, dum noctu exoriuntur. Quarto cum diriguntur, sicciores euadunt: idq; contingit à medio retrocessionis ad secundam stationem vsq;. Postremo dum in secunda extiterint statione vsq; ad occultationem matutinam, & tunc quamuis sicci, magis tamen frigidi redduntur.

Dubium.

Responsio.

Tres superiores ad eccentricos relati in Apogeo fortiores, in perigæo è contra.

Duo inferiores in Apogæo imbecilles, in perigæo fortes.

Trium superiorum quintuplex status ad solem, & ad motum epicyclorũ relati.

Aduerte etiam & tertio, planetas in Horizonte, seu in æquinoctiali circulo circa vtrumq; æquinoctium, efficaciores esse: ita, vt si ex calidis quispiam circa tropicum Capricorni extiterit, mitior erit bruma: circa verò Cancri, augebitur per quam maximè æstus. Si ex frigidis, vt Saturnus, mitior erit æstus: gelu verò per quàm maximum in Cancro; dum borealem signiferi mediatem contra maius lumen discurret. Idem quoq; iudicium erit, dum in vertice fuerint, atq; Zenith: & dum sublimiores facti respectu meridiani, vel proprio, vel alieno motu reuoluti; qui etiam magis in recessu à meridiano operantur, quàm ante accessum.

Planetæ in Horizonte, seu in æquinoctiali circulo efficaciores.

Planetæ in Zenith, & in meridiano fortiores.

His sic dispositis, tunc facilè dubio respondetur: quòd si de superioribus sermo est, maiores dubio procul effectus, in supremo absidis loco dum planeta fuerit, operabitur: inferiores verò nequaquam, & causa est iam assignata; si autem vniuersaliter de omnibus loquendum est; tunc dicitur, quòd maiores operantur effectus in supremo loco, sumendo locum illum pro Horizonte, vel pro æquinoctiali circulo, vel pro Zenith. seu vertice, vel dum excelsiores facti, in meridiano se

Resoluta responsio ad dubium.

ao ſe repererint. At cum hæc ſcientia ab obſeruatione pendeat, vt toties dictũ eſt, videndum eſt, num obſeruationes congruant: & ita prudens Mathematicus pronunciet.

De ventis, & eorum conſideratione pro temporum mutationibus dignoſcendis. CAP. XXIX.

CVM temporis mutatio ex ventis præcipuè conſtet, quorum tractatio penes difficiliores reducitur: rerum cœleſtium peritis teſtibus, Ptolomæo præſertim viro in hac parte accuratiſſimo: qui hanc tractationem ideo ſubtiliorem appellauit, quia re vera manca perſpicitur, nec ad vnguem de ea agi poteſt. Hac de re nos quoq; ſicco pede illam perficiemus: quamuis alibi, vt fieri poterit, exquiſitiorem pertractabimus. Sciendum itaq; primo eſt, ventos principales, quos cardinales vocant, eſſe quatuor, iuxta quatuor præcipuas mundi partes. Sunt quippe oriens, occidẽs, Septentrio, & Meridies. Primo correſpondet ſubſolanus, ſecundo Zephyrus: tertio Arpactias, quarto Notus. His deinde octo alios tanquam collaterales adiunxerunt, ſiuntq; duodecim. Nonnulli totidem alios hinc, & inde addiderunt: ſiuntq; viginti quatuor. Cardanus ſexdecim depinxit. Sed opera Gulielmi Caſanati medici, & philoſophi egregij, ſexdecim alios in tabella maxima diligentia depictos, adiunxit: ſuntq; omnes triginta duo, qui ad Hydrographiam maximè conducunt, deſeruiuntq;. Quò factum eſt, vt nautæ pro ſecura nauigatione in mappis, ſeu cartis illos depinxerint: illiſq; ſciunt, qui venti flant, ex qua parte, vbi, quo, & quando deſinunt, ac quanto tempore ſpirare debent. Quatenus vero ad Aſtrologos hæc tractatio ſpectat, adnotandum eſt primo, Saturnum, ventos circ orientales: Martem, occidentales africos, Iouem, boreales: Venerem, meridionales: Mercurium omnes coadiuuare. Nonnulli addunt ſolem quoq; commouere orientales, lunam verò occidentales, quod ex parte verum eſt: ſed Ptolomæus iſta duo lumina generales gubernatores efficit. Secundò obſeruanda ſunt ſigna, illorumq; partes, in quibus planetæ extiterint: Quorum ſignificata ex communibus ipſis, & quo ad ventos ſatis abundè explicata ſunt, capite decimoſexto: nunc autem compendioſe digrediemur. Porrò Aries, Leo, & Saggittarius ventum mouent inter ſeptentrionem, & occaſum, Taurus Virgo, & Capricornus inter ortum, & meridiem. Gemini, Libra, & Aquarius, inter ortum, & ſeptentrionem: Cancer, Scorpius, & Piſces inter occaſum, & meridiem. Sunt quidem hi trigoni medij inter has quatuor mundi plagas, non autẽ ipſemet orbis plagæ. Vnde qui ſecus putãt, dubio procul hallucinantur: ſuntq; pleriq; authores graues, ſed de hoc alibi tractauimus. Tertio numerandi ſunt venti omnes, incipiemuſq; à ſeptentrione verſus ortum: ab ortu verſus meridiem, à meridie occaſum verſus: ab occaſu deniq; verſus ſeptentrionem. Primus ventus eſt ſeptentrio, ſecundus Vpaquilo; tertius Aquilo; quartus, Meſaquilo: quintus Borhapeliotes: ſextus vpocœcias: ſeptimus Cœcias: octauus Meſocœcias: Primus ab oriẽte meridiẽ verſus, ſubſolanus, ſecũdus vpeurus: tertius, Eurus: quartus Meſeurus: quintus Notopeliotes: ſextus vpophoenix: ſeptimus phœnix: octauus Meſophœnix. Primus à meridie occaſũ verſus, Notus, ſecũdus, Meſo

Temporum mutatio ex ventis præcipuè pendet.

Cardinales venti quatuor.

Collaterales octo.

Cardanus. Gughelmus Caſanatus.

Vẽti omnes xxxij.

Quilibet planeta ſuum mouet uentum.

Obſeruanda in uentis.

Quos mouent trigonis uentos.

Ventorum nomina numerus, & diſtinctio.

libanotus: tertius libanotus: quartus vpolibanotus: quintus Notolybicus: ſextus Meſafricus: ſeptimus, Africus: octauus vpafricus. Primus ab occaſu verſus ſeptẽtrionẽ Zephyrus: ſecundus Meſocorus: tertius corus: quartus, vpocorus: quintus Borroholybicus: ſextus vpocircius: ſeptimus Circius: octauus Meſocircius: Qui omnes ſunt numero triginta duo. Sortiuntur venti quidem & alia nomina, ſed in libro quem de ventis edidimus: manifeſtabuntur. Nunc ſufficiat res ipſas conſiderare, potius quàm nomina. Quartò perpendenda eſt ventorum natura, & craſis. Septentrio igitur ventorum Cardinalinm primus, ab axe Horizontis rectus flat, frigidus, & ſiccus, ſiccas nubes excitat: arrida frigora influit: & eſt author ſerenitatis. Idem efficient collaterales, ſed inæqualiter. Efficient vtiq; idem quò ad frigiditatem, & ſiccitatem cum ſeptentrione: non autem quò ad ſerenitatem. Nam circius qui dicitur Traſcias, ad vrſam ſpectantibus: à ſiniſtris ſpirans, fulminoſus, & tonitruoſus eſt: niues, aut grandinum coagulationes generans. Aquilo autem, qui & boreas dicitur, è dextra ſeptentrionis, fulminoſus eſt etiam, & tonitruoſus: gelidus ſpirat, & ſiccus abſq; pluuia: ſtringit namq; nubes, ſed non diſcutit. Quare Cardani ſententia, qui ait, quòd non ſolum ſeptentrio eſt author ſerenitatis, ſed qui prope ſunt ad Borrhapelioten, & Bortholybicum vſq; & cæt. non poteſt intelligi de ſerenitate; hoc eſt, quod non ſolum ſeptentrio eſt author ſerenitatis, ſed qui prope ſunt ad Borrhapelioten, & Bortholybicum vſq; cum hi venti, vt diximus, cauſent niues: & grandines, tonitrua, & fulmina: ſed intelligitur quò ad frigidum, & ſiecum. Ventorum Cardinalium ſecundus eſt ſubſolanus, quaſi ſub ſole natus: ab ortu ſolis ſpirãs, intonat temperatus: humectat, & pluuias facit. Cauſa huius eſt, eius diſtantia à nobis. Eſt namq; ventus calidus & ſiccus, cum ſit ab oriente, vnde & eo loci ſerenitatem parit: nobis autem calorem ingerit, ſed non ſiccitatem ob diſtãtiam: ideo humectat, & pluuias excitat. Collaterales idem habent, ſed inæqualiter: vſq; ad Meſeurum, & Vpocœciam. Cœcias namq; qui & vulturnus ſubſolano ſuperior cuncta diſſoluit, atq; deſiccat. Eurus autem inferior ſubſolano orientem nubibus irrigat. Notus qui eſt ventus Cardinalis tertius, in meridie humilis: humidus, pluuioſus, atq; fulmineus ſpirans, largas nubes, atq; pluuias generat plurimas. Eſt certe ventus grauis, atq; morboſus, pluuioſuſq;. eſt namq; calidus & humidus intemperatè, ſitu multum diſtans à nobis; nec ipſe ſolus, ſed & ſocij eius, quicumq; inter ipſum, & Notapeliotem, & Notolybicum mediant: ſed non æqualiter. Quandoquidem Euronotus, qui & phœnix à dextris Auſtri intonat calidus, & temperatus. Lybanotus verò à ſiniſtris Auſtri, ſiue Noti, flans, calidus quidem eſt, ſed inſalubris. Zephyrus qui & Fauonius ventus Cardinalis quartus, flans, prunas ſoluit: frigora relaxat: floreſq; producit. Sed & collaterales non eandem ſeruant regulam. Nam Africus Zephiro inferior intonat, & pluuias generat, & quandoq; tempeſtatem impellit: efficitq; nubium colliſiones, tonitrua, & fulgura crebreſcentia. Corus verò ex alia parte Fauonio ſuperior flans: in oriente nubila excitat, in India ſerenitatem. Cardanus libro ſecundo Quadripartiti Ptolomæi capite 12. textu 62. ventos diuidit in principales, in eos qui robore præſtant, & qui nobilitate cæteros præcellãt: idq; quò ad ſitũ. Principales ſunt ſeptẽtrio, Notus, ſubſolanus, & Zephirus. Septẽtrioni robore proximiores facit Vpaquilonẽ, & Meſocirciũ: Noto aũt Meſolybanotũ, & Meſophœnicẽ. At nobilitate poſt primos quatuor ponit Ptolomaicos ventos, hoc eſt, Notapeliotẽ, Notolybicũ, Borrhapeliotẽ, & Borrholybicũ. Verũ præſtãtiores, & robuſtiores sũt q̃ Cardinalibus proximiores extant. Nã & illi tãquã p̃cipui, & principales, & q̃ cæteris p̃eminẽt, fortiores ſunt reliq̃s: illiq; ab his fortitudinem,

Venti ſeptẽtrionalis natura, & craſis.

Circij natura in flatu.

Aquilonis natura in flatu.

Cardani ſententia explicatur.

Subſolani natura, & in flatu.

Cœcias, & Eurus quomodo flant.

Noti natura & in flatu.

Euronotus quomodo flat.

Lybanoti flatus.

Zephyri natura, & flatus.

Cori flatus.

Ventorum diuiſio iuxta Cardanum.


Cardani ſententia reijcitur.

dinem, atq; robur accipiunt, tanquam pedisſequi, & collaterales. Qui profeſecto principibus ſunt prope, nobiliores, fortioreſq; ſunt illis, qui à longe ſtant. Præſtantiores igitur erunt, qui Cardinalibus ventis proximi fuerint, quam qui diſtantes. Hanc ob cauſam ſeptentrio cum nobis ferè ſit propinquiſſimus, & ſitu, & natura, vtroq; quidem refrigerabit, exſiccabit, & ſerenitatem maximã pariet: quia apud nos omnium ventorum eſt robuſtiſſimus, quod certe Auſtralibus non erit. Quandoquidem illis nubes pluuiaſq; generat ob diſtantiam: ſicut è contra Auſter Auſtralibus ſerenitatem gignit ob propinquitatem: nobis verò ob diſtantiam pluuias. Idem quoq; iudicium erit fermè de ſubſolano, & Fauonio. Nam etſi non eandem ſeruent regulam, quam ſeptentrio, & Notus, cum primus ſit natura calidus, & ſiccus, atq; ſerenus; ſecundus, frigidus, humidus, & pluuioſus: nihilominus tamen per accidens, nempe quia primus procul à nobis abeſt, humectat, & pluuias facit: ſecundus quia proximus, exſiccat, & ſerenitatem parit. Igitur ex his deſumitur regula ventorum generalis: ſcilicet ventos calidos quoſcunq;, omnes profectò refrigerare, exſiccare, & ſerenitatem gignere: imbecilles calefacere, humectare, & pluuias cire. Cæterum, vt prærecitata clariora reddatur, prudenſq; Mathematicus ex ventorum cognitione ad prædicendas temporum mutationes, ſecurior reddatur: omnium ventorum hucuſq; notorum figuram ſubiecimus.

Septentrionis robur.

Subſolani, & fauonij natura, & flatus.

Regula ventorum generalis.



Modus prædicendi temporis mutationes ex ventis.
CAP. XXX.

QVOMODO autem haberi potest temporis mutatio ex ventorum reuolutione, dicendum nunc remanet. Sciendum itaq; primo est (suppositis quibuscumq; prę recitatarum conditionum, quæ ad temporum mutationes requiruntur, atq; concurrunt) quæ sint planetarum inclinationes in latitudine, num ad septentrionem enitent, vel ad Austrum vergunt: præsertim minoris luminis; nam talis quidem erit ventus: & talis erit temporis mutatio: Deinde videnda est natura loci cardinis, luminarisq; imminente interlunio, seu plenilunio duorum luminum: verum sit mobile, aut fixum, aut commune, aut vernale, seu æstiuum: quale sit signum, qualesq; signi partes, tam in longitudine, quàm in latitudine: nam talis certè erit temporis dispositio circa ventos. Quemadmodum Aries (vt hoc tantum pro exemplo vtamur) cum sit mobile signum, & Aequinoctiale: tonitruosum, grandinosum, imbriferum, & ventosum redditur. At cum de Solis progressione in quibusuis signiferi partibus tractabitur, quod vtiq; paulo inferius erit: cum scilicet de temporum mutationibus respectu inerrantium sermo fiet: tunc dubio procul voti compos eris. Protrahenda igitur est aliqua morula: ne idem bis repetere contingat. Tertio adnotandum est diligenter stellarum dominatus in cardine, vel loco luminaris, vel in signorum trigonis: si præsunt locis, si applicant, vel si ab altero illorum locorum, vel ab alterutro defluāt: afficientur nimirum loca illa à stellis iuxta eorum naturam, talesq; excitabunt ventos. Quarto animaduertere necessum est, genera qualitatum temporum in vniuersum esse quinq; serenum, nubilosum, pluuiosum, imbriferum, & grandinosum cum tempestate. Vnumquodq; eorum in suas quasi species seiungitur. Sanè serenum est sexcuplex. Serenum scilicet cum calore, serenum cum frigore: serenum cum temperamento. Rursus serenum purum calidum, serenum purum frigidum, serenum purum temperatum. Nebulosum deinde in triplicem diuiditur speciem, scilicet in calidum, & in nebulosum frigidum, & in nebulosum temperatum. Pluuiosum quoq; triplicis est speciei, scilicet pluuiosum calidum, pluuiosum frigidum, & pluuiosum temperatum. Amplius imbriferum triplex est imbriferum cum calore, imbriferum cum frigore, imbriferum cum temperamento. Postremum genus quod est grandinosum in triplicem quoq; speciem diuiditur, nempe in grandinosum calidum cum tempestate, in grandinosum frigidū cum tempestate similiter: & in grandinosum temperatum etiam cum tempestate. Sunt itaq; qualitates temporum quasi suæ species, decem, & octo. Ex quibus clare patet, quæcumq; tempora siue ad aeris serenitatem pertinentia, siue ad imbres, nubila, tempestates quocunq; modo, siue ad temperamentum: omnia dubio procul ex ventis prouenire. Quinto consideratione dignum duximus, quòd non solum quinq; erraticæ stellæ ventos suos excitant: verum, & duo lumina, sed luna magis quàm sol. Quare non solum per annum mouent, vt ex figuris interluniorum, & pleniluniorum præcedentium solis ingressus in primum Arietis punctum elicitur, vel in ipsis ingressibus: aut in quatuor cardinalibus pro quartis

[Marginal notes:]
Planetarum inclinationes in latitudine.
In ventis natura loci cardinis, & luminarium attendenda est.
Stellarum dominatus in quibus attendendus est pro ventis vaticinandis.
Genera qualitatum temporum.
Temporum mutationes quæcunque à ventis.
Inter erraticas duo lumina præcipue ventos mouent, sed luna magis.

quarti s anni : aut ex interlunijs plenilunijs, & etiam tetragonis pro menstruis: sed etiam singulis diebus cum cardines attigerint. Sol quippe cum in oriente fuerit, ventos in oriente excitare par est: in occidente, occidentales. At verò, quamuis ita sit, nihilominus tamen ex illa parte mouere, & mutare solet, ad quam luna inclinat. Si etenim fuerit in parte meridionali latitudinis suæ ad ventos meridionales inclinat, Solq; iuxta illos tempus mutat: si autem in parte septentrionali ad ventos septentrionales, iuxta quos etiam sol tempus mutat. Probat id Ptolomæus libro secundo Quadripartiti capite 12. textu 65. argumēto ab æstu maris desumpto. Qui exoriente luna increscit, dumq; illa in meridiano est, augetur maximè. Ita venti ex ea parte augebuntur, ad quam luna inclinauerit. Verum enimuero explicare opus est, quod diximus, quod erit sexto annotatu dignum, scilicet lunam in australi latutudine australes ventos excitare, in septentrionali septentrionales: non debere intelligi solum per septentrionem, aut Notum: sed vel per meridionales omnes, si ad Austrum declinat, vel per boreales omnes, si septentrionem versus circumfertur. Cardanus per meridionales, omnes illos ventos explicat, qui continentur à subsolano ad Zephyrum vsq; in superiori figuræ Hemisphærio vbi venti describuntur: per boreales omnes eos, qui à subsolano continentur vsq; ad Zephyrum in inferiori figuræ Hemicyclo. Ita, vt diuisa ventorum figura per diametrum; superiores dicantur meridionales, inferiores septentrionales. Quando igitur luna dicetur mouere meridionales ventos, intelligantur aliqui ex superioribus: quando septentrionales nonnulli ex inferioribus. Verum dubitatio exurgit non modica, cur scilicet Cardanus id scribere ausus fuerit, cùm miscere ventos omnes simul cogatur? Idq; absq; ratione aliqua. Nam australes cum orientalibus, & occidentalibus miscet: boreales similiter cum vtrisq; vt patet, ac propterea ventos confundere videtur. Quod ne dum contra Ptolomæum militat, verum contra seipsum distinguentem ventos in quadruplices iuxta numerum candinum orbis: deinde in suos collaterales; ita vt omnes sint numero triginta duo. At pro Cardano respondemus, huius esse causam luminare minus: cum nullam habeat latitudinē: nisi vel australem, vel borealem, orientalem autem, & occidentalem nequaquam. Ideo transtulit omnes, vel ad meridionales, vel boreales, quia vi harum latitudinum dicitur luna esse vel borealis, vel australis: idq; iuxta doctrinā Ptolomaicam. Nam loci prærecitatis hæc habet verba. Talem enim ad habitū illorum horariæ remissiones, ac intensiones tempestatum se se conuertunt: sicut secundum lunæ æstus maris, ac redundationes; itemq; mutationes ventorū præcipnè per tales cardinationes fulgorum tales consueuere esse, ad quales luna ipsa, se luna latitudine sua inclinauerit. Hæc Ptolomæus. Vbi insinuat lunam causam esse ventorum iuxta latitudinem suam: at cum careat orientali, & occidentali latitudine, ventos excitabit vel meridionales, vel boreales omnes plus, vel minus iuxta latitudinis amplitudinem, vel paucitatem. At maius cœli lumen, vt dictum est, ex se vice versa ventos mouet orientales in oriente, & occidentales in occasu. Ita vt per orientales intelligantur ij, qui in parte sinistra figuræ degunt: per occidentales, qui in parte dextra. Horum verò praxim, illam adducemus quā pro exemplo Cardanus locis prærecitatis, sed super textum 62. posuit: ad sciendum scilicet ex sydērum positu, qui venti flabunt. Erecta igitur cœli figura, cum hæc sit lux ad prædictiones omnes, supponamus Iouem esse solum temporis significatorem; ipsumq; reperiri in signum Gemitorum cum boreali latitudine ascendentem. Tunc tale erit iudicium, atq; coniectura: Iouē scilicet borealem ventum significare. Si autem esset à sole orientalis, & cum

Probatio Ptolomaica ab æstuma- ris.

Cardani sententia qui per omnes meridionales ventos, & septentrionales intelligitur.

Dubitatio contra Cardanum.

Responsio pro Cardano.

Doctrina Ptolomaica pro ventis.

Luna causa ventorum iuxta latitudinem.

Venti orientales, & occidentales qui.

Iuppiter solus temporis significator cum aliquibus circunstantijs quos ciet ventos.

parua latitudine, tunc significabit Vpaquilonem: & si cum hoc esset descendens, significaret Aquilonem. At si iuxta eclipticam deferretur, descendens cum Saturni radio: significabit Mesaquilonem. Quod si Australis fuerit, pariter descendens cum radio Saturni, vel in Geminorum signum extiterit, vbi suus est casus cum Saturni radio: aut suas vires æquet cum Saturno in Libra, Iuppiterq; sit septentrionalis ascendens, & Saturnus in prima statione orientalis: tūc excitabit ventum Borrhapeliotem: si vero duo fuerint temporis significatores, & domini, Saturnus puta Cardinis sequentis, & Iuppiter loci luminaris, ambo autem validissimi: tunc duo spirabunt venti, Boreas scilicet, & Subsolanus. Pulcherrima certe doctrina, & verissima, in rationibus Ptolomaicis fundata. Hoc exemplum erit tibi via ad alias ventorum species indagandas. Cæterum scias alios particulares, & generales ventos, citra prærecitatos, reperiri: qui cum non vbiq; terrarum spirent, sed quibusdam tantum locis: prouinciales certe dicentur. Horum aliqui statis diebus perflant, & cum quiete: nonnulli repentino insurgunt motu: quidam tortuose incedunt; alij cum fragore, & sonitu irrumpunt: alij vero impetuose vagantur. In hisce igitur prognosticandis ne dū à planetarum positu sumenda est ratio: vel à fixarum qualitate, aut à signorum complexionibus: sed præcipuè à natura locorum, seu regionum vbi perflant: & à stellis quæ vnoquoq; die per illius regionis verticem pertranseunt; quia quibusdam tantum gentibus peculiares sunt. Horum nomina, qualitates, tempora, spirationes, effectus, & similia in libro quem de ventis edidimus, accuratius habebis. Quò verò ad situm, & illorum dispositionem (de duodecim tantum sermo est) Franciscus Barocius libro secundo suæ cosmographiæ capite tertio philosophos omnes, & antiquos nautas reprehendit, tamquam non rectè duodecim sphære circulorum sectiones in horizonte collocasse, quia in debitis suis distantijs illos minime posuerunt. At quam veritatem id contineat, in libro iā prærecitato manifestabitur. Recolligendo itaq; omnia, quæ in superiori capite, & præsenti dicta sunt de ventis; scias in summa, ventorum naturas ex trigonis desumi, ex planetis ex se, & prout tempori dominantur: ex situ in mundo, ex latitudine, & ex applicatione inter se, præsertim Mercurij, & lunæ: & demum ad stellas fixas. Ex trigonis, qui sunt quatuor, igneus, Terreus, Aereus, & Aqueus. Primus est borrolybicus, secundus Notapeliotes, Tertius borropelioticus, quartus Notolybicus; quos autem mouent ventos, in præcedenti dictū est capite; quemamodum, & de planetis ex se consideratis. Vt Saturnus orientales, sed qui ædificia euertunt, Iuppiter boreales, sed qui sunt Fæcundi, sani, sereni, temperati, Mars occidentales, sed africos atq; australes, qui & pestem, & morbos generant: Venus australes quoq; sed non pernitiosos. Porrò Mercurius si ex se consideratur, aut retrogradus, aut stationarius: vel cum de vno exit signo, & in alio intrat, fortes semper parere ventos, par est: hos quoq; producet, cum latitudinem mutat, vel in ipsam descenderit: iuxta verò eius cum planetis congressum, & sicuti se applicat, ita pariter, & ventos mouet. Nam si Saturno, tunc pluuias inducet flante vento forti cum tenebris: si Ioui, ventos serenos: si Marti calidos perniciosos: si soli, calidos corruptiuos: si Veneri, humidos. Cæterum ex dominio, & eorum positu in mundo, & ex latitudine, & declinatione, scias, quòd si erratica in orientali angulo fuerit, vel à sole orientalis, ventos quidem ciet orientales: si verò in occidentali, vel à sole occidentalis, tales etiam ventos mouebit: nempè occidentales. At verò si in cæli medio extiterit, latitudinemq; ac declinationem australem habuerit: tales quoq: ventos excitabit. Si in imo cum latitudine boreali, & declinatione, similiter boreales

Saturnus, & Iupiter tēpus significatores quos mouebunt ventos.

Vētorum diuersitas.

Vētorum rō à nā locorū & à verticalibus stellis sumenda.

Franciscus Barocius.

Ventorū naturæ ex quibus desumūtur.

Erraticæ ex se quos mouent ventos

Mercurij flatus ex se, & iuxta cōgressum cum alijs.

Planetæ quos mouent ventos ex eorū dominio, situ, latitudine, ac declinatione.

les etiam ciet ventos. At si erraticæ imbecilles se habuerint, medios mouebit ventos: de quibus supra satis. Porrò luna, & si suos ciat ventos occidentales, quemadmodum, & sol orientales, nihilominus tamen videndum est, quibus planetis applicat: nam tales erunt flatus. Deinde perpendenda est ipsius ab ecccliptica latitudo, in qam partem inclinet: ab ipsa etenim erit ventus. Hæc igitur generaliter obseruanda proposuimus circa futurorum temporum qualitates, ex ipsius Ptolemaicis, & etiam alienis petita, & eruta fontibus, tam in anni quarta, quàm in mensibus quoq; quinimo in quartis mensium, in diebus, & in dierum horarijs temporibus. Duo tantum animaduertenda remanent, tanquam huic parti propria. Primum est, mensem lunarem quemlibet temporis naturam sequi, quæ ab ipso interlunio, vel plenilunio illum inchoante decernitur. Secundum est, quod ex nouilunio, & plenilunio simile ei à quo totius quartæ natura sumitur, eligere debes. Ita vt si nouilunium solis ingressum in punctum cardinale præcesserit: tunc omnes illius quartæ menses ab interlunio inchoādi erūt. Si autem proximus illum solis ingressum præcesserit plenilunium: tunc ab ipsis plenilunijs sequentibus, cuncti menses illius quartæ anni inchoandi erunt: nulla ratione habita nouiluniorum iuxta mensium rationem. Hæc de ventis ex planetis quatenus ad hanc pertinent tractationem. Porrò inferius in secundo libro rursus de ipsis mentio fiet, vt sunt res meteorologicæ: quia re vera tales sunt. At in libro quem de Anemographia, seu Heolia inscripsimus: fusius hæc tractabuntur: Non enim omnia huc afferre licet; vbi abundantius alibi habes. Nunc verò ex fixis liceat eos vaticinari.

Luna flatus

Duo animaduertenda necessario pro quibuscunq; temporum mutationibus.

Venti sunt res meteorologicæ.

Ventorum præsagia ex fixis. CAP. XXXI.

NE dum Planetæ ex se, & applicatæ, atq; ex eorum situ in mundo, & ex latitudine, & declinatione suos procreāt flatus, sed & fixæ etiam cum erraticis permixtæ: cum duobus præsertim luminibus, suos excitant ventos. Diligenter itaq; videndum est primò, cuius naturæ sit fixa, naturæ (inquàm) quam induit ex erraticis: nimirū, num sit Saturnia, Iouia, Martia, Solaris, Venerea, Mercurialis, aut tandem Lunaris. Rursus sciendum est secundò, fixam quandoq; vnius erraticæ dumtaxat induere naturam: aliquando duarum, cum participatione etiam alterius. Si itaq; cum fixa suæ naturę dumtaxat planeta congreditur, illos quidem mouebit ventos: & augebitur significatum. Vt si Saturnus cum fixa Saturnia congrediatur, suos quidem ciet ventos: & certè orientales aduersus ædificia, & similia. Si Iuppiter cum sua solum, boreales mites. Si Mars cum sua: africos occidentales perniciosos. Si Sol cum sua orientales calidos non bonos. Si Venus suæ fixæ coniungatur etiam meridionales humidos. Si Mercurius suæ, suos quoq; ventos indifferenter flabit. Luna tandem suos etiam ventos producet, si cum sua fixa cōgrediatur, nempè occiduos. Porrò considerare etiam tunc oportet, quam erraticæ habeant latitudinem, atq; declinationem, & quam rursus fixæ: & perpendere, si concordant, nec ne: sicq; de ventis pronuntiabis. At verò si Saturnus cum Iouia fixa congrederetur, vel Iuppiter cum Saturnia, aut Martia cum vtrisq; & tandem si erraticæ fixis coniungantur non suæ naturæ, sed alterius, venti erūt mixti: quippe qui participabunt naturam illorum planetarum, cum quibus iunguntur.

Venti ex fixis quomodo indagandi.

Planetæ cū fixis nō suæ naturę quos mouent ventos.

guntur. Cæterum quò ex fixis cum erraticis permixtis ventorum habeatur notitia, animaduertendum est, quando planetæ, duo præsertim lumina cum illis oriuntur, & occidunt: seu (vt melius dicamus) quando illæ cum erraticis, quibus iunguntur, oriuntur, & occidunt: tunc profectò in earum ortu, & occasu suos cient flatus. Itaq; ad singulos orizontes illarum exortus, & occasus, non segniter obseruandi sunt: quando cum planetis, sole præsertim, & luna exoriũtur, & occidunt (quamuis temporum mutationes, quæ à luna procedunt, non sint diuturnæ, & stabiles: ob motus sui velocitatem.) Ad hæc itaq; videbis inferius ortuum, & occasuum fixarum tabulas ad tres Horizontes confectas: nempè ad polorum altitudines grad. 40. 42. & 45. quæ etiam pro 39. 41. 43. 44. & 46. valebunt: quamuis non præcisè, & exactè; loquendo de fixis, quæ multam habent latitudinem, ac declinationem. Reliquas verò Deo, ter maximo nobis opitulante, aliàs conficiemus. Porrò aliquarum fixarum obseruationes pro indagandis ventis adducemus, quæ à nonnullis viris in hac facultate illustribus cum antiquis, tum Neotericis afferuntur: præsertim à Stadio, & Magino viris clarissimis; tamquam ab ipsis obseruatæ.

Fixarum ortus & occasus cum planetis obseruandi.

Stadius, & Maginus.

Sole itaq: occidente cum regulo, flant Fauonij spatio dierum nouem. Aquila matutino cum Sole occidens etesias excitat. Virgilijs exorientibus, flat subsolanus: quemadmodum illarum cum Sole occasus Hyemalem spirat Aquilonem. Ante ortum caniculæ octo diebus flant septentrionales prodromi, post verò illius ortum duobus diebus flant etesiæ: quadraginta dierum spatio spirantes; quorum etiam dierum spatio Caniculæ vis perdurat. Australes venti flare incipiunt ante Arcturi occasum cum sole. Corus circa æquinoctium autumnale flare incipit. Delphini ortus cum sole ventos procreat. Arcturus, caput Geminorum antecedens, Aurigæ humerus dexter, venter piscis meridionalis, stellæ trianguli, Herculis, & Scorpij, omnes huiusmodi fixæ orientes, vel occidentes cum Sole, aut Saturno, aut Ioue, aut Marte, vel Venere, ventos procul dubio excitant. Orionis cingulus, corona, lances, præsepe, & Aselli cum supra recitatis planetis orientes, vel occidentes: ventos afferunt cum humiditate, & pluuia. Fixæ orionis exorientes quoq; & occidentes cum supradictis erraticis, vel simul, vel seorsum, ventos flabunt cum imbribus, & tempestatibus: maximè si ponderosi cum duobus leuibus fuerint stationarij, vel Retrogradi; Tunc etenim insignes contingere mutationes cum ventis, & tempestatibus, experientia comprobatum est. Et ratio quidem horum est, quia Orionis, Coronæ, & Arcturi sidera, tempestuosa certè sunt: Hædorum. & Capræ, qui sunt in Auriga, ventosa: At verò, & de Mercurio quoq;, cum ventorum ipse sit etiam fons, & origo, obseruationes nonnullæ à Magino adducuntur: dum cum fixis oritur, & occidit. Mercurio itaq; oriente, & occidente cum præcedenti Geminorum Capite, cum ceruice, vel cauda leonis, cum Præuindemiatrice, seu cum lucida trãstri nauis: cũ cruce Pegasi, cũ Aquila: seu Delphino, ventos generare: cõprobatũ est. Item dum oritur, vel occidit, orientibus, vel occidentibus pleiadibus, stellis in fronte scorpij, Crure Aquarij. ventre cæti, lyra, fomahand, lucida Hydræ, aut Sagittarij nebulosa: ventos cum nebulis, & q̃nq; cum frigiditate flat. Cum Arietis cornu, cauda Capricorni, & nexu piscium, asperos flatus cum frigiditate, ac nebulis mouere, expertum est. Verum cum syrio, Procyone, cum stellis orionis, cum præsepe, & Asellis, atq; cum basilisco, terribiles flatus nempe cum tempestate, aut tonitruis, imbribus, vel nebulis cit. Cum spica Virginis, & cingulo cum stellis Aurigæ, Trianguli, imaginis Herculis, Aquarij, aut cum lancibus vẽtos producit cum nubibus, & interdum cum pluuia. Causa supradictorum omnium

Venti ex ortu, & occasu aliquarũ fixarum cũ sole.

Venti ex aliquarum fixarum ortu, & occasu cum planetis.

Signa tempestuosa, & ventosa.

Mercurius cum quibus fixis mouet ventos.

Mercurius cum quibus fixis ventos nebulosos, & frigidos cit.

Flatus asperi frigidi, tẽpestuosi tonitruosi, imbriferi, nebulosi, & pluuiosi quandoque cum quibus fixis à Mercurio mouentur.

nium naturas induant: tales quoq; flatus cire, par est. Vt si Mercurius cum fixa suæ naturæ oriatur, vel occidat: augebitur certè significatum ventorum, quia Mercurius ventosus est: sed cum fixa multiplicis naturæ, varios etiam flabit ventos iuxta erraticarum illarum temperamentum, & qualitates. Quo circa adnotare debet prudens Astrologus, quòd Saturnus cum sit frigidus, & siccus, ac ideo grandinosus, si cum sua saturnia oriatur, vel occidat, ventos suos dubio procul mouebit orientales (vt dictum est) sed grandinosos: quia conduplicatur influxus (nisi adsit impedimentum aliunde.) Si Iuppiter cum sua, similiter ventos suos ciet: sed interdum cum tonitruis. Si Mars cum Martia, suos quoq; occidentales africos flabit: sed cum tonitruis, & procellis subitò, & impetuosè. Si sol rursus cum suis: etiam ventos suos cum æstu spirabit. Venus itidem cum stellis suæ naturæ, suos quoq; meridionales ciet, sed humidos, & frigidos. Porrò Mercurius cum suis auget ventos; cum Venereis australes ventosos, & pestilentes: cum Iouijs tonitruosos, tempestuosósq; (ambo etenim ventis præsunt) cum Martijs impetuosos, procellososq;: cũ Saturnijs egelidos. Quòd si erraticarum aliqua, cum fixa permixtæ naturæ, puta Saturni, & Martis, oriatur, & occidat: tunc venti erumpent pestilentes, & suffocantes. Fixæ verò lunares cum luna orientes, vel occidentes: ventos mouebunt, qui turbidum aerem, tenebrosum, caliginosumq; efficient; At ventos hosce maria commouere, manifestum est omnibus. Verum in hisce, & similibus, etiam attendenda est diligenter ratio signorum, num sint humida & procellosa: & aspectuum, num ex aduersa, aut quadrangula parte aspiciantur: sic namq; prudens Mathematicus certior erit in ventorum enunciatione. Sed de his inferius, cum de fixis, atq; signis tractabitur.

Mercurius ventosus.

Erraticæ cũ fixis suæ naturæ quos mouent ventos.

Mercurius cum suis fixis, & alijs quos ventos cit.

Venti ex erratica cum fixa permixtæ naturæ.

Venti à fixis lunaribus cũ luna.

De inerrantibus stellis pro temporum mutationibus cognoscendis.

CAP. XXXII.

NVLLAM stellam nono orbi affixam esse, sed octauo, luce clarius constat: cum ex antiquorum obseruatione, tum Neotericorum quoq; Ptolomæi præsertim: qui in hac re accuratius præ cæteris suo tempore scripsit; vt in primo & secundo libro sui Quadripartiti clare inspicitur, cum Haly, & incogniti expositoris, sed Cardani præcipue illustribus commentarijs. Inerrantes, & fixæ sunt vocitatæ, non quia nullo mouentur motu, cum lenissimè certo tempore ferantur versus ortum; præter proprium, qui fit à septentrione meridiem versus (vt alibi scripsimus,) sed quia non mouentur vti planetæ in proprijs orbibus, & circulis: ita vt à Solis via recedant; fiantq; motu veloces, mediocres, tardi, retrocedentes, stationales, & similes habeant passiones, quas cæteri errantes obtinent: verum etiam quia inter se semper eandem seruant distantiam, immutabilibus semper spatijs à se inuicem disiunctæ velut in paralellis prouehuntur in suo orbe. Et quamuis earum numerus penè sit infinitus, & nobis incognitus: quia illi soli cognitus est, qui condidit eas; quarè dixit Abrahę, numera stellas cœli, si potes: & Dauid in spiritu. Qui numerat multitudinem stellarum

Stellæ inerrantes octauo orbi affixæ.

Stellæ inerrantes cur fixæ vocitantur.

Gen. c. 15. Psal. 146.

rum, & omnibus eis nomina vocat: nihilominus tamen rerum cœlestium peritis 1022. dumtaxat dignæ consideratione fuerunt. Verumtamen, qui loca australia, occidentaliaque vsq; ad noui orbis machinam adierunt, plures se circa polum maximas, ac lucidissimas conspexisse affirmant:polusq; noster linea Aequatoris transacta amittitur omnino, atq; per alium polum Nautæ nauigant. Hæ stellæ ad nostram orbem pertinentes viris illustribus quamplurimis testibus; Ptolomæo præcipuè libro primo Quadriparriti capite octauo,& eius cōmentatore Cardano pluribus modis adinuicem distinguntur. Magnitudine scilicet, lumine, colore, longitudine, latitudine, declinatione, loco respectu figuræ cœli: Regione,habitudine ad erraticas: ex quibus alij consurgunt modi, quibus etiam differunt: nempe longitudine, antiscio, radijs, ortu, occasu, transitu, ortu cosmico, aut Acronyco, matutino, vespertino, Heliaco, aut vero. Cui si adere velimus illius situm cum planeta in positionis circulo:ab re non erit. Differunt stellæ inerrantes magnitudine octo modis. Primò quia aliquæ sunt primæ magnitudinis, aliæ secundæ: aliæ, tertiæ: nonnullæ, quartæ: aliæ, quinq;: quędam sextę: aliquæ, septimæ: postremæ, octauæ magnitudinis. Quæ sunt primæ magnitudinis, sunt quindecim: secundæ,45. tertiæ, 208. quartæ 474.quintæ, 216. sextæ, 50. septimæ, quæ sunt obscuræ, & tenebrosæ, nouem: octauæ,& postremæ, sunt quinq; & nebulosæ, quæ simul iunctæ: resultant 1022. Quæ sunt primæ magnitudinis, diametrum apparentem habent, scrupulorum octo. Harū tres sunt in septentrione, septem in Austro, quinq; in Zodiaco. Quæ sunt secūdæ magnitudinis: diametrum apparentem habent scrupulorum sex. Harum in boreali medietate sunt decem & octo, totidem in australi: in zodiaco sunt nouē, Stellæ tertiæ magnitudinis habent diametrum apparentem scrupulorum quatuor. In boreali Hemisphærio reperintur 81. in australi 60. in signifero 64.Quartæ magnitudinis sunt 474. nonnulli dicunt esse 477. tres stellas addentes, quarum in septentrionali hemisphetio sunt 177.in meridionali 167.in zodiaco 133. Horum diameter visibilis est scrupulorum trium. Quintæ magnitudinis sunt 216 alij addunt vnam, sicq; erunt 217. Quarum 58. sunt in boreali plaga, in australi 54. in zodiaco 105. Horum visibilis diameter est scrupulorum duorum. Sextæ magnitudinis sunt 50. alij 49. vna minus dicunt: quarum in septentrionali hemisphærio sunt 13. in austrino, nouem: in signifero 27. Harum visibilis diameter est vnius scrupuli. Hisce obscuras, & nebulosas addiderunt, obscuras nouem: nebulosas quinq; sed alij dicunt septem. Hæ quò ad diametros non sunt dignæ consideratione. Omnes prædictæ stellæ in 48. imagines coadunantur: quia ita collocatæ sunt, vt aliquam imaginem exprimant. Ideo Hiparchus, & Ptolomæus vocarunt illas ἀστερισμοὺς, Proclus ζώδια. Plinius signa, & siderа, vuulgus constellationes: Harum partitionem stellarum incertas effigies ex phoenicia primo in Græciam peruenisse:phoenicibus verò à Sāctis Patribus post diluuium traditam fuisse nonnulli autumant, inter quos est Freigius. Porrò stellæ, quæ figuras non exprimunt, à Græcis ἀμόρφωτος, idest informes, & absq; figura appellatæ sunt: suntq; numero quadraginta & octo. Imaginum igitur numero 48. duodecim signiferum componunt: nominaq; eorum superius explicata sunt, Viginti & vna boream versus inclinant: quindecim vero ad Austrum, Illæ sunt Vrsa minor,Vrsa maior, Dgaco,Cepheus,Bootes:Corona,Gnossia,Engonasis, seu Hercules:Lyra,Cignus:alij dicunt Auis, seu Gallina.Cassiopeia,Perseus, Auriga,seu Heniochus:Serpĕtarius,seu Ophiucus:Aquila,Serpens Ophiuchi:Sagitta,seu telum:Delphin,Pegasus,Equi Sectio,Andromeda, & Triangulus. Hæc sunt stellarum inerrantium nomina asterismos componentium in parte arctoa.In

Marginalia: Fixarum numerus Astrologis. — Fixæ quot modis distinguuntur. — Fixarum discrimen ex magnitudine. — Fixarum omnium diametri, numerus & situs. — Stellæ obscuræ, & nebulosæ. — Imagines cœlestes 48. variæ curvo catæ ab Hiparcho, Plinio, Proclo, & vulgo. — Stellæ informes. — Imaginum borealium nomina, & numerus.

parte autem australi sunt, quæ sequuntur. Cætus infestus Andromedæ, orion, eridanus, lepus, canis maior, qui & syrius. Procyon, idest canis minor. Argo, seu Nauis: Hydra, Crater, Coruus, Centaurus, fera, seu bestia quam Centaurus gerit, seu lupus; Ara, seu Thurribulum: corona australis, & piscis austrinus, seu magnus, qui venerem, cum Typhonem fugeret, excepisse dicitur à poetis. Stellarum omnium inerrantium, quæ sunt maiores, potentiores sunt minoribus, paruæ, imbeccilles. Lucidum habentes lumen illustres effectus causant. Plurimū micātes, magnas conturbationes efficiunt. Lumine densiores, efficaces existunt rariores, debiles. Obscuræ, & nebulosæ obscuritatem, & malos pariunt effectus. Distinguuntur rursus inerrantia sydera colore, ac propterea ex coloribus planetarum induunt naturas. Idq; scitu necessarium est, ad prædicendas temporū mutationes: illorum namq; planetarum effectus parturient, quorum colores habēt. Quæ igitur candidum, splendidumq; colorem habent: Iouis vires referunt. Claræ splendidæ valde, & modice rubentes: solares sunt. Splendidissimæ, & buxeæ: Venereæ; candidæ, pallentes, & hebetis luminis, lunares. Igneæ seu rubeæ, fuscæ, splendidæ, Martiæ. Plumbeæ, vel non omnes splendidæ: Saturniæ. Splendidæ cinereæ, aut quasi nutantis coloris Mercuriales. Nubilosæ, & maculosæ: lunares, & Martiæ, obscurę & tenebrosæ: lunares, & Saturniæ. Amplius quæ stellæ secundū lōgitudinē ad zodiacū referuntur, prout sunt in tali, & tali signo: nobiles sunt reliquis. Quæ in signifero incidunt potentiores sunt illis, quæ extra illum degūt. Quæ minimam habent latitudinem efficaciores sunt illis, quæ magnam habent latitudinem, & eo magis si in ecliptica incidant: quia planetis corporaliter iungi possunt, & eorum radijs illustrari. Ideo præ cæteris Basiliscus, seu cor leonis potentior, robustiorq; decernitur: quia ab ecliptica boream versus, minutis tantum decem elongatur. Quod sidus re vera cum sit secundæ magnitudinis, ob efficaces effectus primæ reputatur: cum planetæ, præsertim sol per corpus illi iungi posśunt. Potentissimæ igitur erunt stellæ fixæ, quæ in ecliptica incidunt: saltem vsq; ad secundum latitudinis gradum ab ecliptica. Post has verò, quæ ab ab vtroq; Hemisphærio citra duos latitudinis gradus deflectunt, minus efficaciores erunt: quia omnibus planetis (sole, & Ioue exceptis) iungi possunt: Idq; ob illorum planetarum maximam declinationem, quem habere solent, prouenire, maximè consentaneum est; quod in sole, & Ioue nō contingit. Similiter quæ post quartum latitudinis gradum declinationem habēt, debilioris sunt influxus: quia lunæ solum, Marti, & Veneri, ratione iam enarrata, iungi possunt. At quæ gradum latitudinis quintum excedunt, vsq; ad septimum, cum Venere tantū, & Marte coire possunt, verum in cunctis hisce prærecitatis habenda est quoq; ratio magnitudinis illarum: quamuis extra zodiacum declinationem habeant. Nam & pleræq; insignes extant, & oriuntur, & culminant, & occidunt: ideoq; & illæ etiam mirabiliter influent. Verum hæc omnia in libris accomodata habes. Subinde Boreales fixæ nobiliores sunt australibus: & existentia, & declinatione. Simiter quæ in cuspidibus seu domorum initijs præcise incidunt, potentes sunt: sed potentiores quæ horizontales angulos, & cor cœli perlustrant, & horizontis circumferentiam ambiunt, & verticales existunt. Postremo fixarum robur ex earum habitudine ad planetas omnes elicitur, sed ad solem præcipuè. Idq; multipliciter contingit. Nēpe ex earum coniunctione cū planetis secundū longitudinē, ex earum antiscio cum eisdem præcisè: & planetarum radijs, quando scilicet ab illis illustrantur: ex ortu, & occasu simul in mundo: ex transitu simultaneo per cæli mediū, vel per imū: ex matutinò occasu vero, & ex vespertino exortu vero: hoc est, quando exoriente sole, vel planeta, stella opposita sub occidentali finitore

Imaginum Australium numerus, & nomina.

Fixarum discrimina in effectibus.

Fixarum discrimina à colore.

Fixarum discrimina in longitudine, in zodiaco, & latitudine

Cor leonis cur cæteris fixis potentior.

Fixarum extra zodiacū multæ insignes.

Fixarumque potentiores, & nobiliores

Fixarum robur, ex habitudine ad planetas, præsertim ad solem.

tore demergitur. Vel quando occidente sole, vel planeta, stella è diametro in horizonte orientali eleuatur. Similiter dicendum est, fixas robur trahere ex matutino exortu verò, vel apparenti: & ex matutino occasu apparenti, & ex apparenti exortu vespertino, & vespertino occasu vero, & apparenti. Sic enim fiet, vt variæ sint temporum mutationes: quod inferius explicabitur. Verum, vt omnia claritatem habeant, operę prætium est, ortuũ, & occasuum discrimen inerrantium siderum particulari digressione discutere: quod accomodari quoq; poterit reliquis erronibus, præter solem: licet in Venere, & Mercurio, qui solem sequuntur, & non longe ab eis recedunt, in aliquibus certè deficiet. Non etenim sole exoriente, occasum petere poterit Venus, vel Mercurius, & è contra sole occidente, duo illi inferiores ortum ascendere festinabunt: licet orientales, & occidentales dici poterunt. Itaq; possunt dumtaxat oriri cosmice, & Heliace, & occidi acronyce, & heliace tantũ. Hoc est, possunt supra horizontem attolli simul exoriente Sole: & possunt parum ante solis ortum apparere, qui prius sub solis radijs tegebantur. Amplius possunt certe simul cum occidente sole abscondi: & possunt pedetentim sub occidentis solis radijs occultari: cum parum post solis occasum se conspiciendos protulerint. At luna matutinum nũquam ortum heliacum habebit: quia sole velocior, & interlunio completo recedit à sole in consequentia, vnde post solem oritur. Sed fixarum tres alij habitudinum modi, siue ad solem, siue ad planetas dilucidandi remanent: ex quibus illarum quoq; potentia, & robur desumetur. Primus est, cum sol, vel planeta mediat cœlum: stella oritur, vel occidit; item cum planeta medium imum cœli transit, stella oritur, vel occidit. Secundus est oppositus, cum planeta scilicet oritur, vel occidit, stella culminat, vel imat cœlum. Tertius, & postremus est, cum inerrantia sidera eundem positionis circulum cum planetis obtineat. Horum verò praxis, si opus fuerit, dilucidabitur.

Duo inferiores quemodo possunt oriri, & occidi oriente, vel occidente sole.

Luna matutinum ortum heliacum nõ habet.

Fixarum tres alij habitudinum modi ad planetas.

De vario siderum inerrantium ortu, & occasu respectu planetarum ob temporum mutationes dignoscendas.

CAP. XXXIII.

COELESTES apparentias, quas Græci phoenomenas vocant, nonnulli tempestates certas, statas, & regulares ad differentiam fortuitarum, ex stellarum ortu, & occasu, primi mobilis gyro, & maioris luminis motu originem habere: nullus ex rerum cœlestium peritis est; quin illud affirmet. Ideo de illarum vario ortu, & diuerso occasu accuratius, exactiusq; dicendum est. Stellarum itaq; duplex est ortus, & occasus: alter poeticus, alter verò astronomicus. Astronomicus est ascensus, & descensus signorum, & partium ecclipticæ in vtroq; sphœræ situ. Primus est portio Aequatoris, quæ cum eo signo, vel arcu cooritur, dicta à Ptolomæo αναφορα: secundus est portio æquatoris, quæ cum eo signo, vel arcu vna occidit. At de hisce non erit in præsentiarum nobis sermo: sed de poetico. Poeticus ortus est stellarum inerrantium ascensio, vel descensio supra, vel infra horizontem: quæ fit sole simul aut oriente, aut occidente; vel earundem apparitio, & occultatio, quæ fit sole ad eas propius accedente, vel recedente. Cur autem dicuntur hi ortus poetici, nulla alia ratio est, nisi quia poetæ cum aeris mutationes, & tempestatem describunt, similiter æquinoctiorum, & sol-

Phoenomenarũ origo.

Fixarum ortus, & occasus Astronomicus.

Fixarum ortus poeticus

Cur dicitur ortus poeticis.

stitiorum

ſtitiorum tempora, quemadmodum etiam hiſtorici, & rei ruſticæ ſcriptores arationis, ſationis, meſſis, & ſimilium: his crebro vtuntur. Species ortus, & occaſus poetici duplex eſt: verus, & apparens. Verus in duplicem quoq; diuiditur in matutinum, & veſpertinum.

Ortus, & occaſus poetici ſpecies.

Matutinus ortus eſt, ſtellæ aſcenſus ſupra horizontem vna cum ſole oriente, aut paulo poſt ſolis ortum. At cum ſic ſolis radijs tegatur, ita vt cerni minimè poſſit: hoc orta modo, non conſpicitur. Vocatur hic ortus græcè κοσμικον, latinè coſmicus: hoc eſt mundanus.

Ortus matutinus.

Occaſus matutinus eſt ſtellæ deſcenſus infra horizontem, ſole èregione oriente. Hic occaſus grecè ſimiliter dicitur κοσμικὸν, ideſt mundanus.

Occaſus matutinus.

Ortus veſpertinus eſt veſpertina ſtellæ aſcenſio ſupra horizontem, ſole è contra occidente, quem Græci vocant ἀκρόνυκον, hoc eſt Acronichus, quod latine noctis initium ſignificat: licet ab alijs cronycus dicitur, hoc eſt temporalis, à κρόνος, quod ſignificat tempus:

Ortus veſpertinus.

occaſus autem veſpertinus eſt veſpertina ſtellæ deſcẽſio infra horizontem, ſole ſimul, aut paulo poſt occidenre à græcis ſimiliter dictus ἀκρόνυκον.

Occaſus veſpertinus.

Ortus ſeu occaſus apparens eſt ille, qui alias heliacus dicitur. Ortus heliacus eſt ſtellæ apparitio extra ſolis radios, vt mane conſpici poſſit: nam paulò ante ſolaribus radijs tecta erat. Quod certe fit cum ſol à ſtella recedit, & quaſi eandem detegit; vt mane ante ipſius ortum denuo conſpiciatur. Græci hũc ortum ἐπιτολὴν vocant. Plinius emerſum. Hunc ortum illuſtrem facit Cardanus, & nobiliſſimum.

Ortus heliacus.

Occaſus heliacus eſt ſtellæ occultatio, vt veſperi poſt ſolis occaſum cerni non poſſit ob ſolis propinquitatem, qua ſtellas ad quas peruenit: ſuo fulgore occultat, & tegit. Quę ſtella paulo ante ſolis occaſum ſupra horizõtem occidentalem conſpiciebatur. Hunc occaſum heliacum vocant etiam Gręci κρύψιν, & ἀφανισμον: Plinius verò occultationem. Alij dicunt heliacum dici ab ἥλιος, quod eſt ſol: nam ideo ſolaris dicitur.

Occaſus heliacus.

Sed libet hoc in loco, de his poeticis ortibus carmina quædam afferre: quæ alias Freigius vir doctiſſimus in de phoenomenis libro 13, cum ſint pulcherrima, adnotauit.

Freigius.

Mane vehit ſupra terram tibi coſmicus ortus
Sydera: ſed phoebi lumina tecta latent.
Mane dat Heliacus quædam ſubuecta videre
Aſtra: ſed acronichus nocte videnda trahit.

Verum permutantur adinuicem ortus, & occaſus coſmicus, & Acronichus, ideſt ortus, & occaſus veri: quorum permutationes his verſibus pulchrè deſignantur.

Coſmice deſcendit ſignum, quod acronyce ſurgit
Chronyce deſcendit ſignum, quod coſmice ſurgit.

De his ortibus, & occaſibus vide Virgilium in Georgicis, Ouidium de ponto, & de faſtis, Lucanũ, & alios quoq; poetas: ideo diximus cur poetici vocarentur. Sed & adducere placuit incerti authoris carmina, quæ Franciſcus Bordinus Corrigiẽtis in ſua chiliade tractatu primo, quæſito & reſpõſo 291. affert. Quæ cũ ſint vetuſta (vt remur) & ob pulchritudinem lectoribus facient ſatis.

Virgilius: Ouidius, Lucanus.

Franciſcus Bordinus.

Coſmicus eſt ortus, cum ſol emergere quærit
Ipſius oppoſitum lapſus ad ima gerit.
Chronicus eſt lapſus, cum ſol in veſpere tabet,

Illius oppoſitum chronicus ortus habet.
Heliacus ſigno dat ortus ſole remoto,
Illius occaſum proximitate noto.

Ortuum, & occaſuum ſpecies ad nouem Ptolomæus reduxit.

Ptolomæus libro octauo ſui Almageſti capite quarto, & in quadripartito has ortuum & occaſuum ſpecies σχήματισμὺς vocat: ideſt aſpectus, & configurationes ſtellarum ad ſolem, eorumq; diſcrimina ad nouem reduxit. Quæ & nos ſuperius tetigimus, & ſi in alias tanquam appendices, diuiſimus. Vt autem huius negotij, & abundantior, & exactior habeatur doctrina, ſitq; prudens Mathematicus huius rei ſecutus conſcius: duo tantum adnotare conuenit. Primum eſt,

Fixarum ortus, & occaſus tempore expreſſo.

vt inuento ſolis loco in ecliptica tempore ab authoribus citato, (Nam ſolent authores vel tempore expreſſo, ortum, & occaſum generaliter demonſtrare, & ſpeciem diuinandam relinquere: vel ſpecie ortus, & occaſus expreſſa, tempus diuinandum relinquere: Quod obſeruant etiam poetæ, hiſtorici, rei ruſticæ ſcriptores, & alij, quod certe per ephemerides, aut per aſtrolabica inſtrumenta docetur) ſignari debeat eclipticæ locus cum quo ſtella oritur, vel occidit, conferendus vtiq; cum ſolis loco. Ita vt ſi locus ortus, vel occaſus ſtellę cum ſolis loco

Coſmici ortus, vel occaſus acronyci inuẽtio

congruat, dicetur id fieri vel coſmico ortu, vel acronyco occaſu. Si verò non congruat ſolis loco, ſed è regione opponitur, dicetur, id quidem fieri coſmico

Coſmici occaſus, & acronyci ortus inuentio.

occaſu, & acronyco ortu. Porrò ſi locus ortus, vel occaſus ſtellæ, ſolis ortum præcedit: dicetur tunc fieri ortu heliaco; ſi autem ſequitur, erit occaſus heliacus: & hæc quo ad tempus generaliter expreſſum. De ſpecie vero ortus & occaſus expreſſa, ſic operandum erit. Inuento eclipticæ puncto cum quo ſtella

Ortus, & occaſus Heliacus.

oritur, vel occidit, conferatur ſpecies ortus & occaſus cum eclipticæ puncto, cum quo ſtella oritur: quandoquidem hæc iuncta ſimul oſtendent ſolis locum, & inde tempus. Verum ſtellæ ſunt in duplici differentia. Nam quædam cum locis

Stellarum ortus, & occaſus ſpecie expreſſa.

eclipticæ ſingulis oriuntur, & occidunt, quædam cum longius ab ecliptica recedant; id non efficiunt. Nam vel boream verſus conſiſtunt, vel ad meridiem vergunt (vt ſuperius iam tactum eſt.) Hæ cum punctis eclipticæ, vera loca ſequentibus oriuntur: & cum punctis vera loca antecedentibus occidunt. Illę è

Fixarum diſcrimen in ortu, & occaſu extra eccliptic am.

contra cum punctis eclipticæ vera loca antecedentibus oriuntur, occidunt autem cum punctis eclipticæ vera loca ſequentibus: Vt ſtellæ in ipſa ecliptica conſtitutæ, aut non longe ab illa, cum iiſdem eclipticæ punctis oriuntur, & occidunt: in quibus ſunt. Oritur id certe ex duobus, ab ipſa ſcilicet ecliptica, ad quã

Stellæ in ecliptica non cõſiſtentes cum eiſdẽ eclipticæ punctis nõ oriuntur, & occidunt.

omnes ſtellæ referuntur: & ab eleuatione vtriuſq; poli. Primo ab ecliptica, quoniam non mouetur ſuper axe, & polis proprijs, ſed ſuper axe, & polis mundi, ac Aequatoris, ac propterea partium ſuarum aliquæ artico polo ſunt proximæ: nonnulle antartico. Igitur oriri, & occidere cum ijs punctis, quæ in ecliptica incidunt, impoſſibile eſt. Secundo ab eleuatione vtriuſq; poli: quippe quæ alteram eclipticæ medietatem ad alterutrum polorum aducit, & ab altero longius abducit. Ideo ſtellas extra eclipticam conſtitutas, cum alijs zodiaci ſignis oriri, & occidere, quam ea ſunt, in quibus conſiſtunt: neceſſe eſt. De his omnibus

Eudoxus, Aratus, Hyparchus, Theon, Ptolomeus.

videndi ſunt illuſtres viri, cum veteres, tum quoq; Neoterici: præſertim Eudoxus, Aratus, qui de phoenomenis Græco ſcripſit carmine. Hipparchus libro ſecundo & tertio in Aratum. Theon Alexandrinus, Ptolomæus, & reliqui quã plures. Secundum principale quod adnotatu dignum cenſemus, eſt: ſcire interuallum inter ſolem, & ſtellam, vt emergat, vel occultetur, quantum debet eſſe. Quandoquidem cum ſtellarum magnitudo non ſit æqualis: etiam interuallum erit inæquale. Ideo maiores minus ſpatium requirunt: minores, maius. Dicamus

camus

camus igitur, & siderum inerrantium distantiam à sole, vt conspici possunt: & etiã errantium. Ab his igitur exordientes, scias Saturnum vndecim graduum interuallo à sole distantem conspici posse, Iouem, decem: Martem vndecim, & paulo amplius. Venus quinq; gradibus à sole distans, conspicitur. Mercurius decem. Luna deniq; certum interuallum non habet. Quomodo autem hæc veritatem habeant, alias discutiemus. Sed aliquibus difficultatem duo inferiores inculcant, præsertim Mercurius. Quo autem ad fixas attinet, scias primæ magnitudinis stellas duodecim graduum inteuuallo à sole distantes conspici posse: secundæ, tredecim: tertiæ, quatuordecim: quartæ quindecim: quintæ, sexdecim: sextæ, decem & septem: nebulosas quoq; obscuras, & minutissima quæq; inerrantia sidera decem & octo. Quamobrem Plinius libro 18. capite 25. rectè dixit, dodrantes horarum cum minimum, interualla ea desiderant, ante solis ortum, vel occasum, vt conspici possint. Ex his habemus stellas fixas in parua distantia exoriri à sole, plusquam luna, tribus de causis, vt recte notat Cardanus. vel ob luminis claritatem, & vigorem: & sic difficultati motæ de Mercurio fit satis. Nam & si sit paruus, tamen ob luminis claritatem apparere potest in distantia septem partium à sole, & nos extendimus ad decem. Luna verò partium quatuordecim à sole distans, conspici potest: ratio etenim est citra prædictam; quia omnes stellæ cuiuscunq; generis, & si participatum habent lumen à sole: lucent etiam proprio lumine. At luna lumine alieno scilicet solis; & si aliquid haberet luminis, illud tale valde hebes est; ac propterea occultatur à sole in maiori distantia, quàm reliqua sidera: quia cum propinqua fit soli, cuius lumine lucet, & illo inferior, excipit lumen à superiori parte, & ita nobis occultatur. Secunda causa est magna stellarum altitudo, qua fit, vt earum lumen à sole minus præpediatur; ac propterea fixæ in magna solis propinquitate maximæ conspiciũtur. Tertia, & postrema causa est, quarundam earum latitudo magna, veluti Arcturi, & Caniculæ. Magna itaq; in latitudine distantia efficit, vt plerumq; stella, quamuis valde soli propinqua secundum longitudinem, conspiciendam se nobis præbeat ante solis ortum: idq; tam in ortu matutino, quam vespertino in boreali latitudine nobis contingit; in australi non sic, cum ibi, sit via solis. Verum antequam huic capiti supremam imponamus manum, admonendus est diligenter prudens lector, plures ortus, & occasus species a Ptolomæo locis suprarecitatis assignari, quàm à doctissimis viris scribuntur. Nam & si nouem sint principales: vnaquæquè tamen in alias tres diuiditur, ita vt omnes sint viginti septẽ. Nonnulli rentur esse plures; sed ex lectione Ptolomaica viginti septem eliciuntur. Quæ autem sint illæ, profecto fixarum mediationes etiam subtus terram, vel sole in ortu existente, vel in occasu, vel in imo cęli, vel culminante: & illarum exortus, & occasus similiter sole in medio, vel in imo cœli existente, & reliquæ aliæ: de quibus alias dicemus diuino numine nobis superstite. Porrò viri in hac facultate doctissimi illarum ortus, & occasus dũtaxat tradiderunt, explicueruntq; quæ ad manifestas temporum mutationes faciunt.

Planetarum distantia à sole, vt conspici possint.

Fixarum distantia à sole, vt conspici possint.

Plinius.

Fixæ in minori distantia conspiciuntur, quã luna.

Stellæ omnes præter lumen solis habent lumẽ proprium exceptaluna

Stellæ in magna altitudine, etiam soli propinquę conspiciuntur

Stellæ in magna lat. etiã soli proximę videntur.

Numerus ortuum, & occasuum fixarum.

Praxis

Praxis omnium supradictorum. C A P. XXXIV.

Fixarum ortus, & occasus cum planetis quo modo inueniendus.

INERRANTIVM siderum si quis ortus, & occasus cum planetis assequi voluerit, ante omnia ex directionum tabulis obliquam planetæ ascensionem, vel descensionem eleuationi regionis, quam desiderat, congruentem, elicere necessum est. Quæ profectò ex declinatione, ascensione recta, & differentia ascensionali habentur. Ex quibus, scilicet ex obliqua ascensione videndum est, planeta cum qua parte ad vnguē oritur, siue occidit. Quæ pars cum parte ortus, & occasus stellæ dubio procul conferenda est: vel è regione operari poterit, si quereretur stellæ inerrantis ascensio, vel descensio: quæ conferenda certe esset cum erraticæ ascensione, vel descensione: subitò etenim illius ortus, & occasus anticipatio, vel retardatio occurreret. Verum id prudens mathematicus in tabulis assequetur: nō.n. omnia hic afferre licet, vbi alibi congesta habentur, præsertim ne in immensum volumen augeatur. Cur verò planetæ cum fixis simul non oriuntur, & occidunt, sicuti sol, causa quippe est eorum latitudo ab ecliptica. Ideo non in eisdem longitudinis partibus cum illis orientur, & occident: nisi adfuerit aut nulla, aut parua eorum latitudo. Eadem ferè methodo fixarum locus in cœli culmine, vel imo cœli indagatur: ascensionum scilicet rectarum auxilio cum sole, & planetis. Porrò stellarum apparitionem ad talem regionis eleuationem, vel supra terram perpetuò, vel infra terram occultationem, vel quæ horizontem perstringunt, si quis assequi voluerit: ab eleuatione poli, à quadrantis circulo, à regionis complemento, & à stellæ declinatione dubio procul desumēda est. Quandoquidem à cœli quadrante puta à partibus nonaginta subtrahenda est poli eleuatio, & resultans erit regionis complementum. Deinde adnotāda est inerrantis stellæ declinatio, & videndum num sit borealis, & complemēto maior, vel sit Australis, & similiter complemento maior, aut sit complemento æqualis. Si namq; declinatio est æqualis complemento latitudinis regionis, tunc stella horizontis circumferentiam tantum ambit: similesq; stellæ dicuntur horizontales. Si vero est australis, & regionis complemento maior, infra horizontem, subtusq; terram semper manet: prouenitq; id ex humilitate illius poli. Sanè borealis maior complemento, semper est supra horizontem: & numquam oritur neq; occidit. Sunt tria illustria exempla in poli altitudine Venetiarum, sub qua tabulæ in Italia condi consueuerunt. Primum de humero Vrsæ maioris, quę est stella secundæ magnitudinis, martiæ naturæ: cuius declinatio cum sit maior complemento, & borealis, semper in illo polo est supra terram: quamuis à poli eleuatione graduum 18. vsq; supra semper orta conspiciatur. Nam in antecedentibus oritur quidem, & occidit: quia regionum latitudines sunt minores. Secundum exemplum est de Canobo primæ magnitudinis Iouiæ, & Saturniæ naturæ. Huius declinatio cum sit Australis, & complemento maior, in illo polo semper infra terram latet: quinimo à poli eleuatione graduum 39. & supra, semper latet; nam in antecedentibus latitudinibus oritur quidem, & occidit. Postremū exemplum est de sinistro Aurigæ humero, magnitudinis primæ, naturæ Martis, & Mercurij, cuius declinatio borealis cum sit complemento regionis æqualis, in illa horizontis circumferentiam tantum ambit, estq; horizontalis:

Erraticæ cur non simul cū fixis oriuntur, & occidunt, vti sol.

Stellarū apparitio in regionibus quomodo inuenienda.

Stellæ horizontales.

Stellæ subterraneæ.

Stellæ supra terram semper.

Humerus Vrsæ maioris vbi supra terrā sēper.

Canobus vbi infra terram semper.

Aurigæ humerus sinister vbi horizontalis semper.

rizontalis: neq; oritur, neq; occidit. Quod quidem contingit ab illa poli eleuatione scilicet 45. graduum ferè, & supra. Nam à 44. ad infra semper oritur, & occidit. Et quod de his tribus allatum est exemplum, & de tali regionis altitudine: de alijs quoq; operari poterit prudens Mathematicus, quæ omnia in tabulis perspiciet. De verticalibus autem stellis, nempe quæ singulis diebus per regionis verticem perambulant, & fiunt perpendiculares: illas certe ex regionis altitudine, & ipsarum declinatione assequetur. Si etenim ambæ in idem coeũt, & fiunt æquales: stella dubio procul verticalis erit, & perpendicularis. Exemplum adest superius positum de sinistro Aurigæ humero, qui cum eius declinatio regionis illius altitudini congruat, non solum horizontalis est illi: verum verticalis, & perpendicularis: quia stellæ horizontales illi altitudini, si Borealem habent declinationem, cum idem sit complementum, & altitudo: sunt etiam verticales, & perpendiculares. Quò autem ad stellas inueniendas in eodem positionis circulo cum planetis positas, necesse est directionum tabulas reuoluere, ibiq; positionis circulum inuenire. Videat deinde prudens Mathematicus num stellæ inerrantes, & planetariæ in parte cœli ascendente constituantur: vel in parte cœli descendente. Si namque in parte cœli ascendente, tunc iuxta positionis circulum, illarum ascensiones simul conferat: at si in parte cœli descendente, profectò per descensiones, seu per oppositi loci ascensiones operabitur. Verum enimuerò inter tot assignatos stellarum inerrantium modos, nullus quidem difficilior illo, quo inuenitur, quam scilicet ad solem illarum ortus, & occasus habeant habitudinem. Nam alius quo reperitur, quæ stellæ in tali loci eleuatione oriantur, atque occidant: facilis est. Porrò illæ quarum declinatio vel borealis, vel australis, complemento loci, seu eleuationi regionis minor est, illæ profectò in tali sphœræ loco semper oriuntur, & occidunt: quod supra tetigimus, & nulli dubium esse oportet. Difficultas vero est in cæteris illarum ad solem habitudinibus, nempe in exortibus, & occasibus Heliacis, acronycis, & cosmicis, qui quidem ad solem referuntur. Difficile quippe est scire, quæ stellæ, & quando hos habitus ad solem habebant. Missos itaque faciemus ortus, occasusque heliacos, cum Arcus quo stella è solis radijs emergit, aut intra quos occultatur (quod est interuallum) ex triplici variatur capite; ratione climatis, ratione partium cœli, & ratione magnitudinis stellæ; ac propterea illorum difficillima est tractatio, facilior autem aliorum. Exemplum habetur de exortu, & occasu acronyco, & heliaco Vergiliarum in libello Ptolomæi de ortu sydernm, & in libro magnæ compositionis, seu Almagesti: quod quidem Cardanus affert libro secundo Quadripartiti in explicatione textus 64. cap. 11. egregie explicat; breuiter tamen concludit vespertinos Vergiliorum occasus chronicos tertia die Aprilis fieri: ortus matutinos heliacos septima die Maij: exortus vespertinos chronycos vndecima diẽ Nouembris: occasus verò heliacos seu matutinos duodecima die octobris. Verum & hæc emendatione indigent à Ptolomæi tempore vsq; ad nostra, & præsertim ob anni recogniti rationem. At quò ad cęteras habitudines indagandas, in primis solis locum per singulos anni dies adnotare oportet: quem certè in Ephemeridibus prudens Mathematicus assequetur. Deinde inerrantium siderum ortus, & occasus ad illius poli altitudinem, quam desiderat: diligenter animaduertendo cum quo eclipticæ gradu præcise oriantur, atq; occidant. Hoc autem in ephemeridibus Magini clarissimi Mathematici edocetur, Isagogicarum suarum quarta parte. Vbi duas tabulas ortuũ, atq; occasuum fixarũ miro labore pro studiosis congessit: quœ mirum in modum

[Margin notes: Verticales stellæ quomodo inueniendæ. — Aurigæ humerus sinister verticalis polo 45. — Fixarum locus cum planetis quomodo inuagandus. — Inter exortus, & occasus fixarum qui difficilior ad inueniendum. — Ptolomæus. Cardanus. — Vergiliarum vespertini occasus cronici, matutini ortus heliaci, vespertini exortus chronici, matutini occasus heliaci. — Maginus.]

Modus inueniendi fixarum habitudines ad solem.

nobis in huiusmodi negotio profuere. Hisce postmodum habitis videat, num signum, & solis gradus conueniant cum signo, & gradu fixæ emergentis in horizonte, seu occumbentis in occasu. Si namq; conuenerint in ortu, signum erit, stellam matutino ortu, qui est cosmicus, cum sole coascendere. Si verò gradus, & signum occasus stellæ cum sole conuenerint, tunc vtiq; dicetur, stellam occidi occasu vespertino vero: quia cum sole vna in occidente demergitur; & talis occasus est Acronychus. At si gradus ortus stellæ conuenerint cum solis gradibus, qui tamen signum contra stellam obtinet: tunc stella dicetur exoriri vesper tino, veroq; ortu, qui est acronychus: nam sol in occidente decumbit. Quod si gradus stellæ solis loco congruat, qui tamen stellæ opponitur ipso exoriente, tūc stella sub finitorem immergitur, talisq; occasus vespertinus, & verus est: qui alias cosmicus appellatur. Vt autem res clarior fiat, vnico tantum id absoluemus exēplo: nempe de lucida Eridani, quæ arabicè Arcanar dicitur. Insignis quidem stella, magnitudinis primæ: naturæ Iouiæ, & Venereæ. Hæc sub poli eleuatione partium 45. cum primo gradu leonis exoritur. Ergo cum sol primam leonis partem possederit in oriente: dicetur tunc stella ortu vero, & matutino, seu cosmice oriri, quia cum sole coascendit; idq; occurrit die vigesima quinta Iulij. Die vero octaua Martij occidit cum sole occasu vespertino, & vero, qui est acronychus. Tunc etenim sol decimam septimam piscium partem perambulat cum scrupulis primis quinquaginta tribus. Oritur deinde vespertino, & vero exortu, qui etiam Acronychus dicitur die vigesima prima Ianuarij: tunc enim sol primam Aquarij partem cum sexdecim scrupulis primis obtinet. Matutino deniq; occidit occasu, coascendente Sole cum decem, & septem Virginis partibus, & quinquaginta minutis: qui occasus cosmicus est. Hoc certè exemplo poterit prudens Mathematicus alios siderum inerrantium ortus, & occasus inuestigare pro sua quaquè latitudine.

Exemplum de lucida Eridani quas habitudines ad solem habeat polo 45

Animaduersiones ex Cardano circa inerrantium siderum ortus, & occasus. CAP. XXXV.

Cardanus.

NEGARI minimè potest Cardanum alioqui virum doctissimum præceteris in hac facultate præstantissimis viris, diligentem sua ætate siderum inerrantium fuisse obseruatorem: nam postremus scripsit, quamuis non omnia ad vnguem attigerit ob ipsarum rerum difficultatem. Ideo opere prætium nos facturos arbitrati sumus nonnulla ex ipsius Cardani obseruationibus, & placitis explicare: quæ ad huius tractationis dilucidationem maximè conducunt. Adnotet igitur prudens Mathematicus primò, quòd si plures sint stellæ, quæ exoriuntur, prima visa sufficit ad exortum, nec opus est, vt reliquę oriantur: è contra cum plures occidunt, occasus sumitur: cum prima earum incipit abscondi. Quo fit, vt magis à sole stellæ si sint plures, distent in occasu: quàm in ortu. Exemplum iam allatum est de Virgilijs. Ratio cercè est, quia exortus, & occasus à diuersis sumitur stellis. Exortus à prima quæ apparet, occasus à prima, quæ incipit latere: pars autem finitoris occidua, orientali aduersa est. Adnotet secundo

In exortu plurium stellarum prima visa sufficit ad exortum & in occasu prima quæ incipit abscōdi.

secundò quòd vna, & eadem stella non æqualiter à sole distat oriens, & occidēs.

Stella oriens & occidens non æqualiter distat a sole.

Causa huius est duplex. Altera est signorum rectitudo, & obliquitas: altera est ipsarum latitudo vel borealis, vel australis. Nam borealis efficit, vt matutino, & vespertino ortu celerius oriantur: australis autem ad occasum tantum matutinum, & vespertinum conducit. Quo fit, vt Arcturus cum sit borealis, vtroq; ortu oriatur in minori distantia à sole, quàm occidat. At Canicula cum sit australis contrario modo.

Stellarum ortus, & occasus, si sunt multæ, per multos durant dies.

Adnotet tertiò, quòd stellarum ortus, & occasus, si sunt multæ, per multos vtiq; durant dies: à prima scilicet quæ oritur ad postremam earum durat ortus: occasus itidem à prima earum quæ occidit ad postremam. At effectus non solum toto intermedio tempore perseuerat, sed in ortu quoq; per aliquot dies, postquam scilicet apparere omnes cæperint.

Fixarum diuersitas in occasu.

Verum enimuero aliter se habet in occasu, nam effectus non durat, nisi ab occasu primę ad occasum vltimæ: sed cessat effectus sequenti die, vbi omnes ceciderint. Exemplum adest de Vergilijs, succulis, zona orionis, & similibus quamplurimis. Quòd si in vnius tantum stellæ ortu, vel occasu id considerabitur: totum oppositum accidere, nec cessum est. Quandoquidem illius ortus, si illustris est, (de stellis nimirum primæ, & secundæ magnitudinis sermo est) fit tunc in vna die: verum effectus pluribus durat diebus.

Duratio effectuum Caniculę, & Arcturi.

Exemplum adest de Canicula, & Arcturo. Nam ortus primæ vno tantum absoluitur die, effectus verò pluribus durat diebus: nempe triginta, vel iuxta alios quadraginta. Similiter secundæ ortus vna fit die, effectus octo, vel decem perseuerat diebus. Verum vtriusq; occasus cum effectu eadem die qua incipit, eadem prorsus finitur. Quò verò ad aeris mutationem attinet, illa in prima die ortus contingit, & in prima die occasus: licet stellarum ortus, & effectus per multos perseuerent dies; idq; iuxta mentem Ptolomæi.

Fixarum exortus maiorem temporis mutationem faciunt quam occasus.

Adnotet quartò, quòd circa temporum mutationes ex fixis, illarum exortus primum obtinent locum: & prognosticari debet prudens Mathematicus notabilem aeris qualitatem, quia maiorem faciunt exortus mutationem quàm ocasus: & matutini exortus validiores sunt vespertinis. Itaq; det locum primum matutino ortui, quia est validissimus, secundum ortui vespertino: tertium occasui matutino, vltimum occasui vespertino. Probatur id Ptolomæi doctrina, qui in libello quem edidit de stellarum fixarum ortu, & occasu, & de earundem significationibus, vespertino Vergiliarum occasui nullam aeris mutationem die eadem ascripsit, sed sequenti tanquàm debilissimo, dixit: quòd flaret Africus. Ortui verò quia validissimus, eodem die quo oriebantur, dixit: spirat fauonius.

Ortuum, & occasuum ordo temporis.

Quò verò ad ordinem temporis horum ortuum, & occasuum series sic erit. Vt primus in ordine sit vespertinus occasus, deinde ortus matutinus: quia sibi necessario succedit, tertiò occasus matutinus, quartò ortus vespertinus: inde reuertitur ad primum.

Siderū inerrantium ortus.

Adnotet quintò quòd inerrantia sidera post illarum cum sole coniunctionem, copulationemq; cum ante solis exortum illuxerint, validissima sunt: nā maximos, repentinosq; effectus causant.

Heliacus validissimus, & nobilissimus

Est etenim talis ortus Heliacus: inter cæteros nobilissimus, de quo supra tactum est. At dum ab eis sol longius abest, remittuntur: sicuti cum sub oppositione fuerit, debiliora redduntur: donet ad matutinum rursus redideriat exortum; nam sic occidunt heliacè. Adnotet sextò, & vltimò, quod cum polorum altitudines sint diuersæ, finitoresq; varij, sidera quoq; inerrantia continuo progrediantur, licet lentissimo motu: illorū sane ortus, & occasus nō fient ijsdem tēporibus vbiq: terrarū; ac pro pterea diuersa operabūtur in diuersis regionibus ob illarū diuersū sitū, & diuersā aeris qualitatē, quinimò & diuersis quoq; tēporibus remotis, & propinquis. Nō. n. stellarum situs, qui Ptolomęi tempore erat: nostris temporibus perseuerat: nec

Fixarum ortus, & occasus non idē vbiq; terrarum.

illius poli eleuatio cum alijs conuenit: nec temporis mutatio anni tranſacti, congruet mutationi præſentis anni; quia diuerſa fit aeris natura vtrobiq; propter variam ventorum naturam. Contingit enim, vt idem ventus qui anno præterito (verbi gratia) ſerenitatem ingeſſit, hoc anno plurias ingerat: & cauſa erit, quia priori anno aeris ſiccitas præceſſit, præſenti autem humiditas. Et rurſus cum ſint quidam venti parum flantes: pluuias, & nubes pariunt, multum verò, ſerenitatem. E contra autem alij modicum ſpirantes, ſerenitatem efficiunt: diu, pluuias: vt Coecias, & Corus. Qua de re erigenda eſt ſyderum inerrantium tabula pro ſua cuiq; regione, & ætate; vt rectè conſulit Cardanus: Nam illa Ptolomæi ad methodum dumtaxat eſt vtilis, cum omnia ſidera ab illo tempore vſq; ad hæc noſtra ſua in ſignis mutauerint loca tam in longitudine, quàm in latitudine: & ſphoerarum partes puta nonæ, & octauæ non æque correſpondent. Stellæ etenim quæ Ptolomæi tempore erant à medio Capricorni ad finem eius, ingreſſæ ſunt Aquarium, & ſtellæ Aquarij à medio vſq; in finem ingreſſæ ſunt Piſces: & ſtellæ piſcium ingreſſæ ſunt Arietem, & Arietis, Taurum: & ſic ſingulæ ſingula. Ita vt octauæ ſphoeræ caput non ſit amplius ſub capite nonæ, ſed nonæ initium ſit ſub viginti partibus octauæ, & paulò amplius. Sed & lunæ manſiones viginti octo ab illis partibus initium auſpicantur: nempe ſub noni orbis zodiaco; vel initium Arietis octauæ reperitur in initio 28. graduum Arietis nonæ. Probatur autem id pluribus obſeruationibus. Nam tempore Mettonis Attici, qui Alexandri mortem annis 108. præceſſit, prima Arietis ſtella erat in interſectione verna: quod & nos libro ſecundo de Neomerijs Salomonis ſcripſimus capite 20. dũ Aequinoctiorum anticipationem ex octauæ ſphoeræ motu demonſtrare nitebamur. Poſtea Hypparchi tempore eadem ſtella poſt interſectionem vernam quatuor gradibus conſpecta eſt: Ptolomæi tempore ſex, Ioannes Vuernerus noſtro tempore obſeruauit in viginti ſex gradibus, minutis verò quinquaginta quatuor reperiri: nunc verò in 28. conſpicitur. Hanc ob rem tabula fixarum Ptolomæi ad ſuum polum condita noſtro tempori minimè deſeruiet, nec etiam ſuo polo his temporibus: ſed in Aſtrorum ortu, & occaſu concordabunt obſeruationes noſtræ cum Ptolomaicis, paruo diſcrimine temporis excepto; de ventis verò, & cœli ſtatibus plerumq;. Nos igitur primò fixarum tabulam erigemus, tam in longitudine, quàm in latitudine in zodiaco incidentium iuxta Cardani obſeruationes: deinde aliam paruulam inſigniorum, quæ extra ſigniferum incidunt: Tertiò adducemus illam Ptolomæi cum ſignificationibus ſuis: quæ è Greco in latinum verſa conſpicitur Nicolai Leonici opære, atq; diligentia. Quartò triplices conſtruemus tabulas cum inerrantium ortibus, & occaſus, cæliq; mediationibus inſtar Ptolomaicæ ſub poli altitudinibus 40. 42. 45. ſicq; videbitur omnium diſcrimen. Quintam & poſtremam alibi edemus, pro vna regione cum ſignificationibus, & temporum qualitatibus ad noſtra tempora: cuius inſcriptio erit; De qualitate tempeſtatum ex ſignorum natura, partiumq; illorum; idq; iuxta Cardani præceptum. Porrò ſignificationes vnicuiq; diei correſpondebunt. Quæ tabulæ ſi rectè fiant, promittit Cardanus illas vſq; ad tria ſecula fermè duraturas: paucis in ſingulis centum annis mutatis. Verum ante omnia temporũ mutationes ex ingreſſu ſolis in ſigna zodiaci octauę explicabimus.

Marginalia: Temporum mutationes non eedem vbiq; terrarum. — Fixarum tabula circa temporum mutationes pro ſua cuiq; regione erigenda. — Lunæ manſiones vbi initium ſumãt. — Primæ ſtellę Arietis inambulatio. — Tabula fixarum Ptolomæi nec ſuo nec polo cõuenit, nec noſtro tempori. — Nicolaus Leonicus. — Cardanus.

De aliquorum siderum inerrantium effectibus, De què solis ingressu in signa octaua sphoera, & temporum mutationibus ex eisdem. CAP. XXXVI.

Duorum luminũ dignitas, & robur

INTER stellas omnes nulli dubium est solem primatũ gerere, lumen cunctis impartiri, omnes regere: ac iuxta illarum naturam quibus applicat, generalis constitutiones facere: lunamq; similiter, cum ad illas accesserit: idem efficere, manifestum est omnibus. Primò igitur considerabimus aliquorum inerrantium siderum effectus, quòd erit tanquàm præambulum quodam ad temporum mutationes ex fixis prænoscendas: deinde solis ingressum in signa octauæ: tertio lunæ accessiones ad aliqua inerrantia sidera. Sciendum itaq; est orionis, Arcturi, & Coronæ exortum, tempestatem significare: sunt etenim tempestuosa signa: Hedorum, & Capræ qui sunt in Auriga ventos excitare, sunt quippe vade ventosa: sucularum verò pluuias ingruere; nam ideo Hydas vocarunt, idest pluuias. Manifestè etenim Hydarum ortus, & occasus sunt turbidi, & pluuias fundunt; vnde nomen habent ob ὕειν hoc est pluere. Vnde Virgilius pluuias Hyadas nominat. Plinius sidus vehemens, terra mariq; turbidum. Subinde pleiadum seu Vergiliarum ortus, & occasus humiditates adiuuant. Sed Cardanus scribit Vergiliarum occasum, tempus in ea dispositione relinquere, in qua prius fuit. At verò nonnulli Atlantidum occasum, & pleiadum exortum obseruare præcipiunt. Quandoquidem hæ matutino exorientes, diei qualitatem indicant: ille autem occidentes: noctis dispositionem manifestant. Præsepe etiam cum Asinis humiditates influunt. Syri ortum omnis antiquitas obseruauit, & iudicauit noxios æstus efficere, teste Homero Iliade X. Canis maior est, Minor verò qui & procyon, vulgo canicula maximos quoq; æstus, & morbos multos parit: sed & commouet quoque maria. Quò autem ad ventos attinet, cum Vergiliæ exoriuntur; flat Auster. Cum exoritur orion, flat Aquilo. Cum occidit fidicula, flat fauonius. Cum orionis zona emergit: terra pullulare incipit. Sic & reliquæ suas affectiones habẽt, suosq; parturiunt effectus. Quæ omnia cum supra tacta sint, in edenda à nobis stellarum fixarum tabula, sigillatim enumerabuntur. Obseruare tamen principaliter conuenit solis ingressum in signa octauæ: nam cum per earum initia, media, & fines sol inambulauerit: manifestè videbit prudens Mathematicus mutari tempora, diuersasq; aeris qualitates effici. Ptolomaicam igitur doctrinam quam libro secundo Quadripartiti capite XI. affert: vbi de particulari signorum natura in tempestatibus egregie digre bitur: amplectemur, & explicabimus. Illud præmonentes, quòd & si de solis ingressu in signis octauæ dictum fuerit: intelligendum est de figuris, quæ in orbe octauo per stellas constitutæ sunt. Quæ, vt manifestum est, à signis zodiaci recesserunt, adeò vt maxima pars Arietis octauæ sit in Tauro Nonæ, & maxima pars Tauri sit in Geminis Nonæ: & maxima pars Geminorum sit in Cancro Nonæ, & sic de reliquis, vt iam prærecitatum est. At signa sumi debent pro spacijs signiferi in Nona. Porrò illorum initia, media, & fines in tabula stellarum signiferi paulò inferius ponenda, distincta cernet prudens Mathematicus: ita vt

vnius

Signa tempestuosa, ventosa, & pluuiosa.

Cardani, & aliorum sententia de Vergilijs, & Athlantidibus, seu pleiadibus.

Asinorum, Syrij, & caniculæ vis.

Fixa ventos cientia.

Solis ingressus insigna octauæ obseruandus.

Solis ingressus insignis quomodo intelligendus.

vnius finis ſit alterius initium. Vnde & videbit initium Arietis octauæ, hoc noſtro ſeculo in initio 26. graduũ Arietis Nonæ,& finem in 18. qui eſt finis gradus Tauri Nonæ: cum ibidem initium proximè ſumat ſignum Tauri octauæ, medium verò eſt gradus ſextus Tauri Nonæ. Ad hæc igitur multas fieri mutationes pluribus experimentis comprobatum tenemus. Verum dicamus primò, quò ad temporum mutationes, ſignorum naturam in vniuerſum, deinde ſigillatim eorum partes explicabimus.

Signorum natura in vniuerſum.

Arietis itaq; ſignum vniuerſaliter cum ſit æquinoctiale vernum, tonitruoſum, & grandinoſum eſt. Tauri ſignum præſefert generaliter vtrumq; modum, & eſt ſub calidum. Geminorum ſignum in genere temperationis eſt efficiens. Signum Cancri vniuerſaliter ſerenitatis, & æſtatis effectionem ſortitum eſt. Leonis ſignum generaliter æſtuat, ac ſuffocat. Virginis ſignum in vniuerſum humidum eſt, ac tonitruoſum ob Arietis antiſcium. Chelæ ſignum, quod eſt Libræ, vniuerſaliter varium ac mutabile ſignum eſt: eſt etenim æquinoctiale æſtiuum. Signum Scorpij in vniuerſum eſt tonitruoſum, ac igneum: eſt etenim Martis domus. Signum Sagittarij in genere ventoſum eſt. Signum Capricorni in vniuerſum humidum eſt. Aquarij ſignum in genere eſt frigidum, & Aquoſum. Signum poſtremo piſcium generaliter frigidum eſt, & ventoſum. Quò autem ad ſolis acceſſiones attinet, ad initia ſcilicet, media, & ſignorum fines: ſciendum eſt, cum ad illa ſol accedit, tales fieri mutationes.

Arietis partes priores, mediæ, & extremæ.

Priores Arietis partes imbres, & ventos cient: mediæ, temperatæ: extremæ, eſtuoſæ, peſtilentes: ac mutationem facientes. Borealia ſpatia, æſtuoſa, noxia, & corrumpentia ſunt: Auſtralia, temperatoria; quòd Ptolomæus glacioſum, & frigidiuſculum dixit.

Tauri priora Media, & extrema.

Taurus, priora vbi Vergiliæ viſuntur, turbulenta, ventoſa, & nebuloſa habet: media humectantia, & frigida. Cardanus dixit, media humida, & ſatis temperatè calida: At cur, neſcimus: cum temperatè calidum contrarietur frigido. Extrema autem vbi ſuccula conſpiciuntur: ignea, & fulmina cum tẽpeſtatibus efficientia. Borealia verò tẽperata: Auſtralia inſtabilia, ac incerta.

Geminorum partes primæ mediæ, & vltimæ

Geminorum priora humida, ac noxia: media, temperata: poſteriora mixta, ac incerta. Septentrionalia flatuoſa, & terremotum agentia. Auſtralia, arida, ac æſtuoſa.

Cancri initium, mediũ, & finis.

Cancri initium ſuffocans eſt, caliginoſum, & terras concuriens, ibi eſt præſepe: medium temperatum: finis ventoſus. Borealis pars & Auſtralis, noxia, ignea, & æſtuoſa.

Leonis initiũ medium, & finis.

Leonis initium peſtilens, ac ſuffocans eſt: medium, temperatum: finis ſiccus, noxius, & corrumpens. Borealia ignea, ac inſtabilia: auſtralia verò humida.

Virginis partes priores, mediæ, & poſtrema.

Virginis initium calidiuſculum noxium, ac corrumpens: medium, temperatum: finis verò aquoſum. Septentrionale ſpatium ventoſum eſt: auſtrale, temperatum.

Libræ initiũ medium, & finis.

Libra initium, & medium ſatis temperatum habet: extremum verò aquoſum. Septentrionem verſus ventoſum eſt: ad Auſtrum ſiccum, noxium, ac peſtilens.

Scorpij priora, media, & poſtrema.

Scorpij priora frigida, turbulenta, & niues agentia, media, temperata: poſtrema, turbulenta. Septentrionalia æſtuant: Auſtralia humectant.

Sagittarij initium: mediũ, & finis.

Sagittarij ſignum in principio ſui humidum eſt, medio autem temperatum, fine igneum. Borealia eius ventoſa: Auſtralia, humida, & variabilia.

Capricorni partes anteriores, mediæ, & poſtremæ.

Capricornus anterioribus partibus æſtuat, nocet, atq; corrumpit: medijs temperatior eſt, poſtremus pluuioſus. Septentrionalibus, & Auſtralibus ſimul humidus, noxius, atq; corrumpens eſt.

Aquarij priora, media, & extrema.

Aquarij ſignum priora humida habet, media temperatoria: extrema autem ventoſa. Borealibus æſtum facit: Auſtralibus turbidum tempus, niues, & frigora,

Piſcium partes priores, mediæ, & vltimæ.

Priores partes piſcium temperatæ ſũt, mediæ, humidæ: poſtremæ, æſtuantes exiſtunt. Septentrionales, ventos cient: Auſtrales, aquas. Hæc ſunt, quæ de partibus ſignorum, quò ad temporum mutationes Ptolomæus locis prærecitatis docuit: quæ ſectatores eius amplexi ſunt: ac quæ

ac quæ Cardanus (vt in suo supplemento testatur) ex his plura experimentis firmauit: quæ tandem nos, vt certiores haberemus aeris mutationes, ad studiosorum profectum explicauimus. Illud quoq; præmonentes, quod signum tripliciter sumi potest, quatenus præsenti deseruit negotio: primò in genere, secundò in specie: tertiò quoad indiuidua quasi. Signum in genere vocamus, vt constat triginta gradibus dumtaxat: à quibuscunq; stellis illud præscindendo. Signum in specie dicimus, pro vt in partes diuiditur, puta initium, medium, & finem. Signum autem quasi in indiuiduo dicimus, quatenus pars eius vna est borealis, altera autem Australis. Scimus quidem hoc impropriè sumi: sed ad maiorem rei explicationem id attulimus. Signum primo modo sumptum, simpliciter intelligitur Noni orbis: sicq; à nobis omnia signa considerata sunt, dum eorum naturam in vniuersum iuxta Ptolomæi mentem quò ad temporum mutationes, explicauimus. Ideo dum dictum est Arietis signum esse tonitruosum, & grandinosum, de noni orbis signo intelligitur. Et hæc quidem regula erit generalis, vt semper signum simpliciter prolatum noni orbis intelligatur esse. Porrò quod de Arietis signo explicauimus: de cæteris quoq; intelligendum est. Signum secundo loco positum dubio procul de signo octauæ intelligendum venit: quia qualitates augentur, & minuuntur iuxta stellas, quæ in eo sunt. Constat autem illas non esse in nono orbe: quia nonus orbis stellas non habet. Ac propterea dum ad eas sol accedit, generales facit constitutiones: & ob id tempora mutari necesse est. Ergo signa octauæ dum ipsius stellas sol perlustrat, considerare conuenit. Signum postremo loco acceptum, (idest quasi in indiuiduo) propriæ de signo octauæ intelligendum est: nam ob stellas quæ ad septentrionem enitent, pars ipsius borealis dicitur: ob stellas autem quæ ad Austrum vergunt, Australis redditur. At constat stellas in octauo esse positas. Nihilominus tamen potest etiam intelligi de nono orbe: sed impropria consideratio est. Geminas itaq; fixarum tabulas subijcimus, alteram scilicet stellarum quæ in signifero incidunt, quibus erraticæ per corpus iungi possunt: alteram verò insigniorum extra zodiacum constitutarum. Quæ ambæ iuxta Alphonsinam rationem conditæ sunt.

Cigni acceptio triplex: in genere, in specie, & in indiuiduo.

Signum in genere per quid intelligitur.

Signum in specie.

Signum quasi in indiuiduo.

Tabula fixarum Zodiaci numero 246. quibus Planetæ corporaliter iungi possunt; Anno 1597. iuxta longitudinem recognita.

♈	Aries.							
Naturæ.	Longitudo. G.	M.	Latitudo. P.	G.	M.	Magnitudo.	Signa octauæ sphere.	Nomen.
Sat.P.Mer.	1	10	B	5	45	6	Pisces.	Prima in lino Piscium.
	3	10	B	3	45	6		Secunda in lino Piscium.
	7	20	B	2	51	4		Tertia, quæ est splendida in lino Pisciũ.
	10	20	A	1	10	4		Quarta quæ est splendida in lino Pisciũ.
	12	40	A	2	0	6		Borealior duarum iuxta linum Piscium.
	13	10	A	1	0	4		Quinta quæ est splendida in lino pisciũ.
	13	30	A	5	0	6		Australior duarum paruarum iuxta linum Piscium.
	16	40	A	2	20	4		Præcedens de tribus, quæ sunt post flexum Piscium.

Naturæ.	Lōgit. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magnitudo.	Signa octauæ sphere.	Nomen.
♈	Aries.							
Sat. Iou.	18	30	A	4	40	4		Media de tribus, quæ sunt post flexum Piscium.
	20	20	B	1	45	5		Australis de tribus, quæ sunt post eá, quç in lino Boreali.
	20	40	A	1	40	4		In Boreali lino Piscium.
	20	50	B	5	20	3		Media de tribus, quæ sunt post eam, quæ in lino Boreali.
Mer.P.Sat.	26	40	B	5	30	5	Aries.	Collum Arietis.
Mart.Sat.	26	50	B	7	20	3		Præcedens cornu Arietis. Prima stella omnium.
Sat.	27	30	A	4	10	4		Iuba Ceti.
♉	Taurus.							
Mer.P.Sat.	1	40	B	6	0	5		Australior in rictu Arietis.
Sat.	2	50	A	6	20	4		Capilli Ceti.
Mart.	7	10	A	5	0	4		Extremitas posterioris pedis Arietis.
	7	50	B	6	0	6		Lumbus Arietis
	8	10	A	1	30	5		Poples Arietis.
	9	50	B	1	30	5		Posterior cruris Arietis.
Ven.	11	30	B	4	50	5		Radix caudæ Arietis.
	14	0	B	1	40	4		Præcedens in cauda Arietis.
	15	30	B	2	30	4		Media de tribus in cauda Arietis.

Naturæ.	Lōgitudo. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magnitud.	Sig. oct. sphç.	Nomen.
♉	Taurus.							
Ven.P.Sat.	16	10	A	7	15	4	Taurus.	Sequens in abscissione Tauri.
	16	30	A	6	0	4		Borealior abscissionis Tauri.
Ven.	17	10	B	1	50	4		Vltima cauda Arietis.
*Lun.Mar.	22	20	B	4	30	5		Ex Virgilijs.
	22	30	B	3	40	5		Ex Virgilijs.
	23	50	B	3	20	5		Ex Virgilijs.
	24	10	B	5	0	5		Ex Virgilijs,
Sat.P.Mer.	27	10	B	0	40	5		Præcedens in collo Tauri.
	28	10	B	5	0	5		Australior antecedentium quadrilateri in collo Tauri.
	28	40	B	7	20	5		Borealior antecedentium quadrilateri in collo Tauri.
	29	10	B	1	0	6		Sequens in collo Tauri.
Mart.	29	10	A	5	15	3		Ex Suculis.
♊	Gemini.							
* Mart.	0	30	A	4	15	3		Ex suculis.
Sat.P.Mer.	1	50	B	4	0	5		Australior in aure Boreali Tauri.
	1	50	B	5	0	5		Borealior sequens quadrilateri in collo Tauri.
	2	0	A	3	0	3		Oculus Borealis Tauri.
Mart.	2	0	A	5	50	3		Ex suculis.
Sat.P.Mer.	2	10	B	7	30	5		Borealior duarum, quæ in aure Boreali Tauri.

♊ Gemini

Naturæ.	Lõgit. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magnitudo.	Signa octauæ sphere.	Nomen.
♊ Gemini.								
Mart.	2	10	B	3	0	5		Auſtralior ſequentiũ quadrilareri in collo Tauri.
	2	50	A	5	10	1		Aldebaram, ſiue oculus Tauri Auſtralis.
	5	50	A	4	0	4		Radix cornu Borealis Tauri.
	7	40	A	4	0	4		Radix cornu Auſtralis Tauri.
	10	10	A	3	30	5		Borealior in cornu Auſtralis Tauri.
	10	10	A	2	0	5		Extra formam Tauri.
	11	30	A	5	0	4	Taurus.	Auſtralior in cornu Auſtrali Tauri
	11	10	A	1	45	5		Extra formam Tauri.
	16	0	B	5	0	4		Extremitas cornu Borealis Tauri.
	16	0	A	2	0	5		Extra formam Tauri.
	17	10	B	0	40	5		Prima illarum, quæ ſunt extra formam ſub cornu (Boreali Tauri.
Ma.P.Mc.	17	50	A	2	30	3		Cornu Auſtrale Tauri.
Mart.	19	10	B	1	0	5		Secunda illarũ, quæ ſunt ſub cornu Boreali Tauri.
	19	10	A	6	20	5		Extra formam Tauri.
Hic in 19. gradu incipit via lactea, vel combuſta, & terminatur ad 30. gradus Geminorum.								
	21	10	B	1	20	5		Tertia ſequens ex his, quæ ſunt ſub cornu Borea- (li Tauri. †
Iou. Sat.	21	50	A	3	45	5		Summitas clauis orionis. †
Mart.	22	30	B	3	20	5		Quarta ſequens ex his. †
	23	30	B	1	15	5		Quinta ſequens ex his. †
Sat.	24	20	A	0	40	4		Extra formam Geminorum. †
Mer.P.Ve.	24	50	A	4	15	5		Sequens in pede Geminorum. †
Sat.	26	40	B	5	50	4		Extra formam Geminorum. †
	26	40	A	1	30	4	Gemini.	Poples Gemini præcedentis. †
	27	40	A	1	15	4		Extremitas pedis præcedentis Gemini. †
♋ Cancer.								
	2	10	A	7	30	3		Extremitas ſiniſtri pedis ſequentis Gemini.
Sat.	3	10	B	1	30	3		ſiniſtrum genu præcedentis Gemini.
	5	20	A	2	15	5		Extra formam Geminorum.
Mer.P.Ve.	6	10	A	3	30	4		Extremitas pedis dextri præcedentis.
Sa.	8	25	A	2	30	3		Siniſtrum genu ſequentis Gemini.
Mar.	8	50	B	7	20	4		Brachium ſiniſtrum præcedentis Gemini.
Sat.	11	50	B	2	4	5		Dextrum latus ſequentis Gemini
	11	50	A	0	30	3		Siniſtra Axilla ſequentis Gemini.
	12	10	B	5	30	4		Occiput præcedentis Gemini.
Mart.	14	10	B	4	30	5		Humerus eius dexter.
Sat.	16	20	A	4	30	5		Extra formam Geminorum.
	16	20	B	3	0	5		Siniſtrum latus præcedentis Gemini
	16	30	A	3	20	5		Extra formam Geminorum.
Mart.	16	50	B	2	4	4		Humerus ſiniſter præcedentis Gemini.
	16	50	B	6	15	2		Hercules, ſiue caput ſequentis Geminorum.
Sat.	18	30	A	1	20	5		Extra formam Geminorum.
	20	50	A	2	40	4		Extra formam Geminorum.

Naturæ.	Lõgit. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magnitudo	Signa octauæ sphere.	Nomen.
♋ Cancer.								
Sat. Mart.	22	50	B	1	0	5	Cancer.	Posterior pes Borealis Cancri.
	27	20	A	7	30	4		Posterior pes Australis Cancri.
Lun. Mar.	27	50	B	1	15	4		Borealior præcedentium Quadrilateri.
	82	10	A	1	10	4		Australior præcedentium quadrilateri.
♌ Leo.								
Lun.Mar.	0	30	B	0	20	[illegible]		Nebulosa Præsepe.
Mart .Sol.	1	30	A	[illegible]	10	4		Australior sequentium quadrilateri. (teri
	3	10	B	2	40	4		Asinus, quæ est Borealior sequentium quadrila
Sat. Mar.	4	10	B	4	50	1		Extra formam Cancri.
Sat. Merc.	6	40	A	5	30	4		Australior forficis.
Sat. Mart.	7	10	B	7	15	5		Extra formam Cancri.
	9	20	A	2	20	4		Extra formam Cancri.
	11	20	A	5	40	4		Extra formam Cancri.
	11	20	B	7	30	4		Os Leonis.
Iou. Mart.	14	20	A	3	40	6		Vola dextra Leonis.
	17	30	A	0	0	5		Genu dextum Leonis.
	17	30	A	4	10	4		Vola sinistra Leonis.
Sat. Ven.	20	10	A	0	15	5		Cuspis cordis Leonis.
SatP.Mer.	20	50	B	4	30	3		Collum Leonis.
*Iou.Mart.	22	40	B	0	10	1		Regulus, siue cor Leonis.
	22	40	A	4	15	4		Genu sinistrum Leonis.
Sat. Ven.	23	40	A	1	50	4		Pectus Leonis.
Ve.P.Mer.	27	10	B	4	0	6	Leo.	Prior in ventre Leonis.
Sa. P.Mar.	29	20	A	0	10	4		Maxilla sinistra Leonis.
♍ Virgo.								
Ve.P.Mar.	2	20	B	2	20	6		Australior ventris Leonis.
	3	10	B	5	20	6		Borealior in ventre Leonis.
Sat.Ven.	7	20	A	0	30	5		Extra formam Leonis.
	7	40	B	1	10	4		Extra formam Leonis.
	8	10	A	2	40	5		Extra formam Leonis.
Ven.Merc.	10	30	B	5	50	3		Posterior cruris Leonis.
	11	50	B	1	15	4		Posterior poplitis Leonis.
	14	50	A	0	50	4		Cubitus Leonis.
Mer.P.Mar	15	30	B	4	15	5	Virgo.	Australior capitis Virginis
	17	10	B	5	40	5		Borealior capitis Virginis.
Sat. Ven.	17	40	A	3	12	5		Vola posterior Leonis.
Mer.P.Mar	19	10	B	0	10	3		Extremitas alæ Borealis Virginis.
	20	20	B	5	30	5		Austra lior facies Virginis.
Mer.P.Ve.	28	30	B	1	10	3		Præcedens quatuor alæ sinistræ Virginis.

♎ Libra

Naturæ.	Lõgit. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magnitudo	Signa octauæ sphere.	Nomen.
♎ Libra.								
	3	20	B	2	50	3		Squens quatuor alæ ſiniſtræ Virginis.
Mar. Mer.	4	50	A	3	30	5		Extra formam Virginis.
Mer.P. Ven.	7	20	B	2	50	5		Sequens quatuor alæ ſiniſtræ Virginis.
Mar. Merc.	9	10	A	3	30	5		Extra formam Virginis.
Mer.P.Ven.	11	10	B	1	40	4		Vltima quatuor alæ ſiniſtræ Virginis.
Mart..Merc.	12	25	A	3	20	5		Extra formam Virginis.
Merc. Ven.	16	30	B	3	20	5		Borealis antetecedentium quadrilateri cruris Virginis.
Ve.P. Mar.	16	50	A	2	0	1		Spica Virginis. *
Mar. Merc.	17	20	A	7	10	6		Extra formam Virginis.
Merc. Ven.	17	25	B	0	10	6		Auſtralis antecedentium quadrilateri cruris Virginis.
	18	10	A	3	0	5		Auſtralis ſequētiũ quadrilateri cruris Virginis.
Mer. P. Ve.	20	10	B	1	30	4		Præcedens quadrilateri cruris Virginis.
Merc. Ven.	21	50	A	1	30	5		Genu ſiniſtrum Virginis.
Mer.P.Mar.	26	30	B	7	30	4		Media caudæ veſtis Virginis.
	27	30	B	2	40	4		Auſtralior earum.
♏ Scorpius.								
	0	10	B	0	30	4	Libra.	Pes ſiniſter Virginis.
Mer. Mart.	3	10	A	7	30	3		Extra formam Libræ.
	8	10	B	2	30	5		Borealior lancis meridionalis.
	8	10	B	0	40	2		Luminoſior lancis meridionalis.
	10	25	B	1	40	4		Media lancis auſtralis.
	11	30	B	1	15	4		Præcedens in lance auſtrali.
	18	0	B	3	45	4		Media lancis auſtralis.
	20	30	B	0	20	5		Extra formam libræ.
	21	20	A	1	30	4		Extra formam libræ.
	23	10	B	5	30	4		Borealior lancis Borealis.
	23	40	B	0	30	6		Extra formam libræ.
	23	50	B	6	40	4		Extra formam libræ.
Mar.P. Sat.	25	50	A	1	40	4	Scorpius.	Lucida ſequens frontis Scorpij.
*	25	50	A	5	0	3		Vltima lucidarum frontis Scorpij.
	26	30	B	1	20	3		Lucida in fronte Scorpij.
Sat. Mar.	26	30	B	0	30	4		Auſtralior pedis Scorpij.
Satur.Mer.	27	30	B	1	40	4		Pes Scorpij.
Iou. Mart.	29	30	A	6	30	5		Pes alius Scorpij.
Sat.P.Ven.	30	0	B	1	40	5		Auſtralior de tribus in ſiniſtra tibia Ophiuchi.
♐ Sagittarius.								
Iou. Mart.	0	50	A	3	45	3		Lucida in corde Scorpij.
	0	50	A	6	40	5		Sequens in pede Scorpij.
Sat.P.Ven.	0	50	B	3	10	5		Media de tribus in ſiniſtra tibia Ophiuchi.
	0	50	B	0	45	4		Planta pedis Ophiuchi.
	1	50	B	5	20	5		Borealior de tribus, quæ ſunt in ſiniſtra tibia Ophiuchi.
	2	30	B	0	40	5		Siniſter calcaneus Ophiuchi.

♐ Sagittarius.

Naturæ.	Lõgit. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magnitudo.	Signa octauæ ſphæræ.	Nomen.
* Iou. Mart.	2	50	A	4	0	2	Sagittarius.	Cor Scorpij, ſiue Arietis.
	4	40	A	5	30	3		Sequens trium lucidarum cordis Scorpij.

Hic in quinto gradu incipit via lactea, & terminatur ad 15. gradum ipſius Sagittarij.

Sat.P. Ven.	11	20	B	7	30	3		Genu dextrum Ophiuchi. †
	13	10	B	2	15	4		Præcedens quatuor in dextro pede Ophiuchi. †
	14	30	B	1	30	4		Sequens quatuor in dextro pede Ophiuchi. †
	15	10	B	0	20	4		Sequens tertia pedis ophiuchi. †
Mar.Lun.	15	40	A	1	10	5		Extra formam ſcorpij.
*	15	40	A	6	1c	5		Fxtra formam ſcorpij. †
Sat.P.Ven.	16	0	B	0	45	5		Vltima de quatuor in pede ophiuchi. †
	16	51	B	2	15	3		Tibia dextra ophiuchi.
	17	20	B	1	30	5		Calcaneum ophiuchi

Hic in 23. gradu, incipit iterum lactea via, & terminatur ad 4. gradum Capicrorni.

Iou.Mart.	26	50	B	2	50	4	Sagittarius	Borealior arcus Sagittarij. †
	27	50	A	6	30	3		Capulus enſis Sagittarij. †
*	29	10	A	1	30	3		Auſtralior arcus Saggittarij. †
Mart.Lun.	29	40	A	6	20	3		Ferrum ſagittæ Saggittarij. †

♑ Capricornus.

Iou.Mart.	3	10	A	3	30	4		Haſta ſaggittæ Sagittarij. †
Sol. Mart.	5	20	B	0	45	4		Nebuloſa & lina Sagittarij. †
Iou. Mart.	5	30	A	3	15	3		Humerus ſiniſter Sagittarij. †
Sol. Mart.	5	50	B	2	10	4		Præcedens capitis Sagittarij.
Iou. Sat.o	6	30	A	6	55	3		Vltima quæ eſt ſub axilla Sagittarij.
Sol. Mart.	7	50	B	1	30	4		Media capitis Sagittarij
Iou. Sat.	7	50	A	4	30	4		Media ſcapulæ Sagittarij.
Sol. Mart.	9	20	B	2	0	4		Vltima capitis Sagittarij.
Iou. Sat.	1[illegible]	10	A	2	30	5		Scapula Saggittarij.
Iou.Merc.	11	30	B	2	5	5		Auſtralis ſcapularum Sagittarij.
	12	30	B	4	30	4		Media ſcapularum Sagittarij.
Iou. Sat.	12	50	A	1	5	5		Humeri dextri Sagittarij.
Iou. Merc.	13	0	B	6	30	4		Borealis ſcapularum Sagittarij.
Iou. Sat.	15	0	A	2	50	4		Cubitus dexter Sagittarij.
Ven.Mer	15	30	B	5	30	6		Obſcura in ſcapulis Sagittarij.
Ve.P. Sat.	17	30	A	4	50	6		Precedens Borealis lateris de quatuor in radice caude eius.
Iou.Merc.	17	50	B	2	0	6		Auſtralior duarũ in ſiniſtra ſpatula.
Ve. P.Sat.	19	0	A	4	50	5		Sequen s Borealis lateris iu radice caudæ Sagittarij.

♑ Capricornus.

Naturæ.	Lōgit. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magnitudo.	Signa octauæ sphere.	Nomen.
	19	0	A	5	50	5		Antecedēs australis lateris ī radice caudæ eius.
Iou. Mer.	19	40	B	5	50	5		Borealior de duabus ī sinistra spatula Sagittarij.
Ven.P.Sat.	19	50	A	6	30	5		Sequēs australis lateris ī radice caudę Sagittarij
Mar. Merc.	26	20	B	0	40	5	Capricornus.	Præcedens de tribus quæ sunt sub oculo dextro Capricorni.
Ve.P.Mar.	27	30	B	5	0	3		Australis de tribus quæ in sequenti cornu Ca- (pricorni.
	27	30	B	7	20	3		Borealis de tribus q̄ ī sequēti cornu Capricorni.
	27	50	B	6	40	7		Media de tribus q̄ in sequēti cornu Capricorni.
Sat.P. Ven.	28	50	B	1	45	6		Præcedens reliquarū duarū in rictu Capricorni.
ve.P. Mar.	29	6	B	1	30	6		Sequens earum.
Sat.P.Ven.	29	10	B	0	45	6		Australis de tribus, quæ sūt in rictu Capricorni.
♒	Aquarius.							
Mar. Mer.	1	0	A	6	30	4		Humerus sinister Capricorni.
	1	50	3	3	50	6		Borealior duarum quæ sunt in collo Capricorni.
	2	0	0	0	10	5		Australior earum quæ sunt collo Capricorni.
Sat. Ven.	2	0	A	0	13	3		Antecedens duarū quæ sunt ī cauda Capricorni.
Mar.Merc.	6	50	A	0	0	4		Antecedēs duarū quæ sūt in scapula Capricorni.
	6	50	A	2	50	5		Borealior duarū quæ sunt in corpore Capricorni.
	6	50	A	4	0	5		Australior duarū reliquarū ī corpore Capricorni.
Sat.Merc.	7	50	B	5	30	3		Quæ est in sinistra manu Aquarij.
Mar.Merc.	8	59	A	4	15	5		Sequēs de tribus, q̄ sunt in medio corpore Capri- (corni
	10	30	A	6	0	5		Sequēs duarū cōtiguarū, q̄ sūt sub vētre capricor.
	11	10	A	0	50	4		Sequens duarum, quæ sunt in scapula Capricorni.
	14	0	A	4	45	4		Præcedēs duarū cōtiguarū sub vētre Capricorni.
	15	10	A	4	30	4		Sequens earum, quæ sunt in cauda Capricorni.
	16	10	A	6	50	4		Præcedēs duarū cōtiguarū sub vētre Capricorni.
Sat.Iou.	16	30	A	2	0	3		Sequēs de duabus, q̄ sunt apud caudā Capricorni.
	17	0	B	3	20	4		Antecedēs de quatuor, q̄ sūt in Boreali caudæ Ca (pricor.
	17	30	B	2	50	5		Media ex illis quatuor caudæ Capricorni
Sat.Merc.	17	30	B	6	15	5	Aquarius.	Quæ sub axilla Aquarij.
Sat. Iou.	18	50	B	0	0	5		Australis de illis quatuor caudæ Capricorni.
	18	50	B	4	20	5		Borealis ex illis quatuor caudæ Capricorni.
Sat. Merc.	21	50	A	1	40	4		Australior duarū, q̄ in sinistra vertebra Aquarij.
	23	20	B	0	15	6		Borealior duarū, quæ in sinistra verter Aquarij.
Mer.P.Sat.	24	50	A	5	40	5		Crus Aquarij.

Naturæ.	Lōgit. G.	M.	Latit. P.	G.	M.	Magni.	signa octauæ sphæræ.	Nomen.
♒	Aquarius.							
Sat. Merc.	26	20	B	3	0	4		Dextra vertebra Aquarij.
	27	10	B	3	10	5		Sequens in dextra vertebra Aquarij
	28	50	A	0	50	5		Altera in vertebra dextra Aquarij.
♓	Pisces.							
Mer.P.Sat.	1	30	A	5	0	4		Poples Aquarij.
*	1	50	A	7	30	5		Tibia dextra Aquarij.
Sat. P.Iou.	5	0	B	0	10	4		Prima in aqua Aquarij
	5	10	B	2	0	4		Secunda in aqua Aquarij.
	7	50	A	1	0	4		Tertia in aqua Aquarij.
	9	10	A	3	30	4		Quarta in aqua Aquarij
	10	0	A	4	10	4		Quinta in aqua Aquarij.
	10	10	A	0	30	4		Sexta in aqua Aquarij.
	10	40	A	1	40	4		Septima in aqua Aquarij
Mar.P.Ve.	10	50	B	7	30	4	Pisces.	Dorsum Piscis.
Mer.P. Sa.	14	20	B	7	30	4		Craneum Piscis.
Merc. Iou.	16	10	B	4	30	4		Antecedens duarum, quæ sunt in ventre Piscis.
	19	50	B	3	30	4		Seques duarum, quæ in ventre Piscis.
Io.P.Ven.	20	50	A	5	30	4		Extra formam Piscium.
	21	20	A	2	40	4		Extra formam Piscium.
	2	25	A	2	30	4		Extra formam Piscium.
	22	30	A	5	30	4		Extra formam Piscium.
Sa. P.Mer.	26	10	B	6	20	4		Cauda Piscis antecedentis.

Omnes numero 246.

Tabella fixarum illustrium extra signiferum numero 27. Anno 1597. iuxta longitudinem recognita.

Naturæ.	Lōgitudo. Sig.	G.	M.	Latitudo P.	G.	M.	Mag.	Nomen.
Mart.Merc.	Ar.	2	20	B	12	30	2	Ala Pegasi.
	Ar.	8	0	B	16	0	2	Vmbilicus Pegasi.
Sat.Iou.	Tau.	19	50	B	23	0	2	Caput Algol.
	Tau.	25	0	B	30	0	2	Dextrum latus Persei. †
	Ge.	10	0	A	31	30	1	Pes orionis, seu Rigel.
Mar. Mer.	Ge.	11	30	A	17	30	2	Humerus sinistēr orionis, seu Bellatrix.
	Ge.	15	10	B	22	30	1	Hircus in Auriga. †
Sat. Iou.	Ge.	17	30	A	24	50	2	Tres stellæ 2. magnit. quæ vocantur, cingulus (orionis.

Mart.Merc.

Naturæ.	Lōgitudo. Sig.	G.	M.	Latitudo P.	G.	M.	Mag.	Nomen.
Mart.Merc.	Ge.	22	10	A	17	0	1	Dexter humerus orionis.
	Ge.	23	0	B	20	0	2	Dexter humerus Aurigæ.
Iou.P.Mar.	Can.	7	50	A	39	10	1	Canicula: Canis ardens.
Merc.	Can.	14	30	B	9	30	2	Caput Apollinis: seu Geminorum antecedens.
	Can.	19	40	A	16	10	1	Canis minor ; Procyon.
Sat. Ven.	Leo.	20	10	A	20	30	2	Hydræ; lucida.
Sat.P.Mer.	Leo.	22	20	B	8	30	2	Ceruix Leonis.
Sat. Ven.	Vir.	4	20	B	13	40	2	Dorsum Leonis.
	Vir.	14	40	B	11	50	1	Cauda Leonis.
Iou.	Lib.	17	10	B	31	30	1	Arcturus in Boote.
Ven. Mer.	Scor.	2	50	B	44	30	2	Maior coronæ Borealis.
Sa.P.Mar.	Scor.	12	20	B	8	50	2	Luminosior lancis Borealis.
Mar. Mer.	Sag.	15	0	B	26	0	3	Caput serpentarij.
Ven. Mer.	Cap.	7	30	B	62	0	1	Vultur cadens in lyra.
Iou. Mart.	Cap.	24	0	B	29	10	2	Vultur volans. †
Ven.Merc.	Aq.	20	10	A	23	0	1	Fomahant, in Aquario.
	Aq.	29	20	B	60	0	2	Cauda Cygni. †
Mart.	Pisc.	16	50	B	19	40	2	Dorsum Pegasi
	Pisc.	22	20	B	31	0	1	Crus Pegasi.

Præcedentium Tabularum explicatio, & animaduersiones.

CAP. XXXVII.

TABVLAE profecto explicatione non indigent, cum viris in hac facultate peritis sit res clarissima: nihilominus tamen ob tyrones aliquali dilucidatione enodabuntur. Prima initium habet à prima stella Arietis octauæ non illa, quæ à verna intersectione recessit: nam dubio procul ipsa inter vigesimam sextam, & vigesimam septimam partem, & iuxta aliquos inter vigesimam octauam Arietis partem inuenitur: quæ est cornu Arietis præcedens. Hæc certe est prima omnium stellarum: sed initium habet à prima, quæ est in lino Piscium. Vtimur autem in hac parte Cardani supputatione, quæ licet sit anno 1537. recognita: nihilominus tamen, quia inter cæteras melia videtur esse, ideo hanc amplexi fuimus. At si emendatione indiget, pro singulis quindecim annis addat prudens Mathematicus octo prima scrupula: & ita fixarum

Primæ tabulæ initium, à qua stella desumitur.

21	213		Secunda apud ocul. bore.	1	43	4	15	3	Mi.	
22	214		Tertia apud ocul. austr.	2	13	5	50	3	Mi.	Mart.
23	215		Quarta, oculus boreus.	3	13	3	0	3		
24	216	*	Quinta Pallitium. Aldeb.	4	3	5	10	1		
25	217	♉ Tauri	Inter orig. austr. cornu & aurem	8	33	4	0	4		
26	218		Australior in cornu australi.	11	43	5	0	4		
27	219		In extremo corn. bor. & dext. ped.	17	3	5	B. 0	3	Ma.	Mar. par.
28	220		In orig. cornu. bor. Aurigæ.	17	3	4	M. 0	4		Merc.
29	221		In extremo cornu Australi.	18	33	2	30	3		

Ante-

		Group	Stellarum fixarum Zodiaci nomina.	Longitudo P.	Latit. P.	Magnitudo.	Natura.
30	222		Antecedens summitatem pedis.	25 33	0 40	4	
31	223	♊	Lucens ante genu.	27 53	5 B. 50	4 Ma.	Merc. par.
32	224	Præced.	Pedis. Prior.	27 53	2 M. 30	4	Ven.
33	225		Pedis. Sequens.	0 ♋ 3	1 15	4	
34	226	♊	In extremo pede dextro.	1 33	3 30	4	
35	227	Seq.	In summo pede sinistro.	3 33	7 30	3	
36	228		Sinistrum genu præcedentis.	4 33	1 B. 30	3 Ma.	
37	229	♊	Sub sin. genu sequentis.	9 43	2 M. 30	3	
38	230		Brachius sin. præcedentis.	10 3	7 B. 20	4	
39	231		In poplite dex. sequentis.	12 43	0 M. 40	3	Sat.
40	232	♊	In sinistro bubone sequentis.	13 3	0 30	3	
41	233		In scapulis præcedentis.	13 23	5 B. 30	4	
42	234	♊	Sinistrum latus sequensis.	14 33	3 0	3	
43	235		Dext. humerus præcedentis.	15 23	4 50	4	
44	236	♊	Sinister humerus.	18 3	2 40	4	Sat.
45	237	Seq.	* Caput. Hercules.	18 3	6 15	2	Mart.
46	238		Lucida extra formam. ♊	22 3	2 M. 40	4	Sat.
47	239	Extremum pedis. ♋	Borei.	24 3	1 B. 0	3	Mart. &
48	240		Austrini.	28 33	7 M. 30	4 Ma.	Merc.
49	241	Duarum præcedentium Quadrilateri.	Borea	29 3	1 B. 15	4 Mi.	Mart. &
50	242		Austrina	29 23	1 M. 10	4 Mi.	Lun.
51	243		Præsepe. Pectus Cancri.	1 ♌ 43	0 B. 40	Nebul.	
52	244	Ambo Aselli.	Boreus.	1 43	2 40	4 Ma.	Mart. Sol.
53	245		Austrinus.	2 43	0 M. 10	5 Ma.	
54	246		Brachius Austrinus ♋	7 43	5 30	4	Sat. Merc.
55	247		Informis cica. ♋	11 3	2 40	4 Ma.	
56	248		Os Leonis. ♌	12 33	7 B. 30	4	Sat. Mart.
57	249		Informis circa ♋	13 3	5 M. 40	4 Mi.	
58	250		Dextrum genu	18 43	0 0	5	Ven. P. Me.
59	251		Australium trium colli	22 3	4 B. 30	3	
60	252	♌ Leonis.	* Cor. Regulus. Basiliscus	23 53	0 10	1	Mart. Iou.
61	253		In drace sin. priori.	23 53	4 M. 15	4	Sat. Ven.
62	254		Pectus.	24 53	1 50	4	Sat. Ven.
63	255		Sinistra axilla.	0 ♍ 33	0 10	4	& par. Mer.
64	256		Sinistrum genu, anterior.	0 33	4 10	4	
65	257	♌	Extra formam	7 53	1 B. 10	4 Mi.	Sat. Ven.
66	258	Leonis.	Posterior fœmur.	11 43	5 50	3	
67	259		Poples posterior.	13 3	1 15	4	Ven. part.
68	260		Sub cubitis.	13 3	0 M. 50	4	Merc.
69	261		In extremo alæ sini. austr.	20 23	6 B. 0	3	Me. P. Mar.
70	262		Ex quatuor alæ sinistræ. Prior.	29 33	1 10	3	
71	263		Ex quatuor alæ sinistræ. Secunda.	4 ♎ 33	2 50	3	Merc. par.
72	264		Ex quatuor alæ sinistræ. Vltima.	12 23	1 40	4	Ven.

Virg.

		Inerrantium siderum in signifero incidentium nomina.	Longitudo	P.	Latit.	P.	Magnitudo.	Natura.
73	265	♍ Virgo. * Spica. Arista. Azimech.	18	3	2	M. 0	1	Ve.p. Mar.
74	266	Bor. quad. foem. sinistri.	21	23	1	B. 30	4	Mer.p. Ve.
75	267	Trium caudæ vestis. Media	28	3	7	30	4	Merc. vel
76	268	Austrina.	28	43	2	40	4	Vener. &
77	269	Sinister pes.	1 ♏	23	0	30	4	par. Mar.
78	270	* Luminosior lancis australis.	9	23	0	40	2 Ma.	
79	271	Præcedens australis lancis	12	43	1	15	4	Sa. p.Mar.
80	272	Præc. trium sub austr.chele informis.	14	23	7	M.30	3	
81	273	In medio lancis Austrinæ.	15	23	1	B. 40	4	
82	274	In medio lancis Boreæ.	18	53	3	B. 45	4	
83	275	Informis circa chelas.	21	43	2	0	4	
84	276	Sequens in lance Boreali.	24	23	4	30	4	Iou. Merc.
85	277	Informis circa chelas.	25	3	6	40	4	Sa. p.Mar.
86	278	Trium lucentium frontis. ♏ Media.	27	3	1	M.40	3	Mart.p.
87	279	Austrina.	27	3	5	0	3	Sat.
88	280	Borea.	27	43	1	B. 20	3 Ma.	
89	281	Duarum coniunctarum in ♏ Borea fulgens.	28	23	1	40	4	Sat. Merc.
90	282	Australis.	28	43	0	30	4	
91	283	In cauo sin. pedis Ophiuculi.	2 ♐	3	0	45	4	Sa. p.Ven.
92	184	Lucentium corporis. ♏ Præcedens.	2	3	3	M.45	3	
93	185	*Media, seu cor. Antares.	4	3	4	0	2 Ma.	Mar. par.
94	186	Sequens.	5	53	5	30	3	Iou.
95	287	Ophiuculi. Dextrum genu.	12	33	7	B. 20	3	
96	288	Præcedens pedis dextri.	14	23	2	15	4 Ma.	Sat. par.
97	289	Dextra tibia.	15	3	2	15	3 Ma.	Ven.
98	290	Ex quatuor ped.dexr.Ophiuc. Secũda.	15	43	1	30	4 Ma.	Sat. par.
99	291	Tertia.	16	23	0	20	4 Ma.	Ven.
100	292	♐ Sagittarij. Cuspis sagittæ.	25	53	6	M.30	3	Mar. Lun.
101	293	Bore. extremitatis arcus.	28	3	2	B. 50	4	
102	204	Manubrium, siue manus.	29	3	6	M.30	3	Iou. Mart.
103	295	Australior bor.partis arcus	0 Capr.	23	1	30	3	
104	296	Iaculum.	4	23	3	50	4	
105	297	Nebulosa duplex oculi.	6	33	0	B. 45	Nebul.	Sol. Mart.
106	298	Humerus sinister.	6	43	3	M.10	3	Iou. Mar.
107	299	Antecedens trium capitis.	7	3	2	B. 10	4	Sol. Mar.
108	300	Axilla.	7	43	6	M.45	3	Iou. Sat.
109	301	Trium capitis ♐ Media.	9	3	1	B. 30	4 Ma.	
110	302	Sequens.	10	33	2	0	4	Sol.Mart.
111	303	In scapulis ♐ Media.	13	43	4	30	4 Ma.	Iou. Merc.
112	304	Seq. & Borea.	14	13	6	30	4	
113	305	Cornu. Capr. Borealis præcedens.	28	43	7	30	3	Ven.p.Ma.
114	306	* Australis.	28	43	5	0	3	

		Stellarum inerrantium in signifero incidentium nomina.	Longitudo P.		Latit. P.		Magnitudo.	Natura
115	307	Ex tribus in rictu ♑ Præcedens.	0 ♒	3	1	45	6	Sat. par.
116	308	Media.	0	13	1	30	6	Ven.
117	309	Sequens.	0	23	0	45	6	
118	310	Dextum genu ♒	2	13	6	M. 30	4	Mar. Mer.
119	311	Sub finist. manu ♒	8	3	5	B. 30	3	Sat. Mer.
120	312	In corpore ♒ Austrina.	8	3	4	M. 0	5	
121	313	Borealis.	8	3	2	50	5	
122	314	Prior in dorso ♒	8	3	0	0	4	Mar. Mer.
123	315	Lucens trium in medio corpore ♑	10	3	4	15	5	
124	316	Contiguarum sub ventre ♑ Prior.	11	33	6	50	4	
125	317	Posterior	11	43	6	0	5	
126	318	Sequens in dorso ♒	12	23	0	50	4	
127	319	In australi spina. ♑ Prior.	14	43	4	45	4	
128	320	Posterior.	16	23	4	30	4	Sat. Iou.
129	321	Caudæ Capric. Præcedens.	16	13	2	10	3	
130	322	Sequens.	17	43	2	0	3	
131	323	Præcedens in borea. parte caudæ capric.	18	13	2	20	4	
132	324	Australis in sin. clune ♒	23	3	1	40	4	
133	325	Prior duarum in dext. cotila ♒	27	33	3	B. 0	4	Mer. p. Sa.
134	326	In dext. clune ♒	0 ♓	3	0	M. 50	4	
135	327	Prima fusionis aquæ ♒	1	23	2	B. 0	4	Sat. p. Iou.
136	328	Dextræ tibiæ Aquar. Borea.	2	43	5	M. 0	4	Sat. & plus
137	329	Australis.	3	3	7	30	3	Merc.
138	330	Sequens in fusione aquæ austr.	6	19	0	B. 10	4	
139	331	In drimo flexu aquæ ♒	9	3	1	M. 10	4	
140	332	Sequentium duarum in Flexu aquæ. Aqu. Borealior.	10	33	3	20	4	
141	333	Australior.	10	53	4	10	4	Sat. pa. Io.
142	334	Sequens in primo flexu aquæ ♒	11	23	0	30	4	
143	335	In flexu australi aquæ ♒	11	53	1	40	4	
144	336	Australis in occipite præced. ♓	15	33	7	B. 30	4	Ma. Mer. p. Sat.
145	337	In ventre piscis. Prior.	17	23	4	30	4	
146	338	Posterior	21	3	2	30	4	Iou. Merc.
147	339	Sequens in dorso antecedentis. ♓	22	3	7	30	4	
148	340	Informium circa ♓ Prima.	2	3	5	50	4	
149	341	Secunda.	22	33	2	40	4	Iou. p. Ven.
150	342	Tertia.	23	43	5	20	4	
151	343	Vltima.	23	53	2	30	4	
152	344	Caudæ antecedentis. ♓	27	23	6	B. 20	4	Sat. p. Mer.

Præcedentium Tabularum explicatio, & vsus.

CAP. XXXVIII.

FACILIS est trium præcedentium tabularum explicatio, & vsus; si quæ in aliarum dilucidatione scripsimus, prudens Mathematicus diligenter attenderit. Sanè tres sunt tabulæ, prima est stellarum borealium extra signiferum incidentium numero 108. Secunda est Australium numero 84. Tertia est illarum quæ in signifero incidunt, vel non multum ab eo recedunt: cum quibus erraticæ coniungi corporaliter facilè possunt: sed inæqualiter: continens certè stellas 152. minus Cardano 94. stellæ verò a Magino obseruatæ extra signiferum tam boreales, quàm australes sunt numero 192. plus Cardano 165. Non etenim Cardano fuit curæ nisi 27. dumtaxat extra signiferum tam borealium, quam australium adnotare: sed plures in signifero scilicet 246. vt dictum est, ob maiorem illatum ad zodiacum proximitatem: cum quibus facilè coniungi erraticæ possunt. Omnes à Magino obseruatæ prosunt ad temporum mutationes dignoscendas ex ortu, mediatione, & illarum occasu, vt dicemus. Cardani autem, illæ scilicet quæ in signifero incidunt: iuuant ad temporum qualitates prognosticandas ex solis progressione in illis respectu octauæ sphœræ, modo iam supra recitato. Quod idem etiam erit in obseruatis à Magino in signifero: nisi quòd pauciores enumerat; ac propterea non ita copiosè prognosticabitur, sed minus. Vnaquæquè harum tabularum sex aeris constat, præsupposita tamen prima, quæ australium numerum, & signiferi distinctè continet. Prima itaquè continet indicantes numeros, quæ scilicet stellæ in sequentibus tabulis positæ oriantur, medient, & occidant: vt inquirendi labor euitetur. Secunda inerrantium siderum nomina explicat: in quibus vbi inspicietur stellula hoc asterismo descripta *. Signum erit, stellam illam esse regiam, atquè consideratione dignam. Tertia Area continet fixarum longitudines, quas videlicet partes, & quæ signorum minuta occupant secundum longitudinem. Harum omnium longitudines à nobis recognitæ sunt anno 1595. Nam singulis quindecim annis, octo scrupulis primis continuò promouentur. Quarta continet fixarum latitudines ab ecclíptica quot partibus recedant, & scrupulis: cum nota. M. & B. indicantes boreales esse, vel Meridionales; hoc est declinare versus meridiem, vel versum boream eleuari. Quinta area continet illarum magnitudines, cuius scilicet sint magnitudinis, primæ, vel secundæ, aut tertiæ, vel quartæ, aut quintæ, vel sextæ: aut sint nebulosæ, luminosæ, obscuræ. Sexta, & postrema area explicat quam planetarum naturam indicant, & cuius qualitates possideant: num Saturnias, Martias, Iouias, Solares, Venereas, Mercuriales, Lunares; vel simpliciter, vel mixtim? Nã talis vtiq; vt in pluribus erit significatio tẽporis. Vt si Saturniã, frigus: si Iouiã, temperiem: si Martiam, calorem: si Solarem caloris augumentum: si Veneream, humiditatem: si Mercurialẽ,

Trium Tabularum explicatio.

Stellæ a Magino, & Cardano obseruatę ad quid valent.

Tabularum, & ordo.

Fixarum longitudines recognitæ.

Temporis significatio ex fixarum naturis.

ventos, & tempus inconstans: si lunarem, humiditates; cum omnibus eorum cõsequentibus. Si verò fuerit mixta qualitas, mixta erit temporis significatio: & vincens, dominabitur. Si verò obscuræ fuerint, aeris obscuritatem: si nebulosæ, nebulas cum alijs appendicibus præsignificant; vt supra tactum est. Verum hæc illustrius habebis, cum fixarum ortus, cœli mediationes, & occasus inferius explicabuntur. Postremus harum tabularum vsus erit, si quis fixarum loca pro futuris temporibus emendare voluerit (nam singulis annis propter octaui orbis motum nonnullis secundis scrupulis variant in signifero) sequenti tabella vti, necessum erit. Quippe quæ ad duo sæcula confecta est, quam Maginus vir illustris in suis ephemeridibus initiũ auspicantibus ab anno Domini 1598. vsq; ad 1610. affert. Deseruitq; ne dum pro futuris, verum & pro transactis annis: incipiuntq; ab anno Domini 1500. vsq; ad 1700. inclusiue; hac tamen lege, vt ab 1500. vsq; ad 1580. vbi est radix, scrupula subtrahantur: ab 1584. vsq; ad 1700. addantur; vnde & positæ sunt subtractionis, & additionis notæ. Quarè si fixas pro futuris temporibus prudens Mathematicus corrigere voluerit, loco longitudinis fixæ addat scrupula prima, vel partes, quas certè in tabella inueniet, & sic locus ille emendatus prodibit. Quòd si pro retro annis transactis id efficere voluerit à loco longitudinis fixæ subtrahat scrupula illa, quæ annis correspondentia inspiciet: & tunc dubio procul locus ille æquatus apparebit; hacq; animaduersione emendata prodibunt fixarum loca omnia plerisq; annis, tum ante, tum retro; quod & nos obseruauimus in præcedentium tabularum recognitione, iuxta coperniceam rationem supputatarum. Eadem quoq; erit operatio, si scire voluerit cœlestiũ rerum indagator cum quo eclipticæ gradu stella, vel oritur, vel cœlum mediat, vel occidit: nempe adijciendo, vel auferendo scrupula illa, vel partes, eclipticæ gradui: ita enim fiet, vt omnia æquata prodeant.

Postremus tabularum vsus.

Fixarum loca quomodo emendãda pro futuris, & transactis annis.

AEquationis fixarum Tabula ad duo secula.

Subtr.			Adde.		
Anni	P.	M.			
1500	0	49	1600	0	11
1504	0	46	1604	0	13
1508	0	44	1608	0	16
1512	0	41	1612	0	18
1516	0	39	1616	0	20
1520	0	36	1620	0	23
1524	0	34	1624	0	25
1528	0	32	1628	0	27
1532	0	29	1632	0	30
1536	0	27	1636	0	32
1540	0	24	1640	0	35
1544	0	22	1644	0	37
1548	0	20	1648	0	39
1552	0	17	1652	0	42

1556	0	15	1656	0	44
1560	0	12	1660	0	46
1564	0	10	1664	0	49
1568	0	7	1668	0	51
1572	0	5	1672	0	53
1576	0	2	1676	0	56
1580	Radix		1680	0	58
1584	0 A.	1	1684	1	0
1588	0	3	1688	1	3
1588	0	5	1692	1	5
1592	0	7	1696	1	7
1596	0	9	1700	1	9

A reliquum eſt, Ptolomaicas fixarum ſignificationes apponere: vti ſupra promiſimus.

Claudij Ptolemai inerrantium ſiderum ſignificationes Per Nicolaum Leonicum è Græco translata.

		IANVARIVS.
1	Kal.	Sol eleuari incipit, longiuſculi fiunt dies. Aquila, & Corona occidunt tempeſtatemque efficiunt.
2	IV	Sol magis aſcendit, Cancri medium occidit, ventiq; ponunt.
3	III	Reliquum Cancri occidit, & varius veris fit ſtatus.
4	Prid.	Hyems dimidiata, Aquilones continui, Delphinus cum cane oriuntur matutino.
5	Non.	Fidicula exoritur, Aquila occidit. Delpinus totus emergit, ventorumquè fit concurſus.
6	VIII	Aquila veſperi occidit, flat Auſter.
7	VII	Septentriones, & Aquilo vehementer flantes concurrunt.
8	VI	Martis domicilium, Auſter & Fauonius ſimul flant, Capricornus emergere incipit, pluuiæ ſimul & caligo, veſpertino.
9	V	Auſter flat cum pluuia.
10	IV	Auſter flat cùm pluuia.
11	III	Septentrio multo imbre, & aſpera tempeſtate flat.
12	Prid.	Auſter flat.
13	Idib.	Aſtrum obſcurum, prima mali pars occidit, noctu etiam pluit.
14	XIX	Aſtrum obſcurum, varia Aquilonis, & ſeptentrionis incoſtantia, leo occultari incipit, pluriæ fiunt.
15	xvjjj	Septentrio, & Aquilo vehementer flant.
16	XVII	Sol in Aquario, vulturnus cum pluuia.
17	XVI	Fidicula occidere incipit matutino, ventorum concurſus fiunt.
18	XV	Leo, & Delphinus matutino occidunt. Aquilo, ſeptentrio, & Auſter concurrunr, pluuiæq; fiunt.
19	XIV	Conuerſio, & hyemis medium.

Aquilo

20	XIII	Aquilo flat, & Auster, medium Cancri occidit, Aquarius emergere incipit.
21	XII	Aquarius totus emergit, Africus spirat, & pluit.
22	XI	Fidicula cum cancro occidit, & vesperi pluit.
23	X	Aquilo flat cum pluuia.
24	IX	Hyemat dies, vehementius flant Aquilo, & vulturnus.
25	VIII	Tempestas turbidior, ijdem flant venti.
26	VII	Hyemat dies, ijdem flant venti, fidicula occidere incipit.
27	VI	Astrum clarum in pectore Leonis occidere incipit fidicula vespere occidit, flat Aquilo, & interdum pluit.
28	V	Ventorum concursus cum niuibus.
29	V	Delphinus occidere incipit.
30	III	Fidicula circa primam facem parte sui occidere incipit, vehemens flat Aquilo cum imbre.
31	Prid.	Imbres cum niuibus permixti cadent.

FEBRVARIVS.

1	Kal.	Obscurum astrum apparet, Auster, & vulturnus flant, fidicula occidere incipit.
2	IV	Aer crassus est, & fauonius flare incipit.
3	III	Medium Leonis cum fidicula occidit, Septentriones & Aquilo flant.
4	Prid.	Delphinus occidit, Auster vesperi violentior fit, & pluit.
5	Non.	Zona Orionis emergit, turbidus est aer Fauonij flatu.
6	VIII	Fidicula occidit, & Fauonius ab occasu flat.
7	VII	Veris initium, fauonius spirat.
8	VI	Fauonius, & Aquilo spirant.
9	V	Obscurum astrum, emergit Aquarius.
10	IV	Septentrio cum Fauonio flat, interdum etiam pluit.
11	III	Subsolanus spirat, & Arcturus exoritur.
12	Prid.	Ventorum concursus, & pugna.
13	Idib.	Sagittarius vesperi occidit, tempestas aspera.
14	XVI	Crater vesperi oritur & commutatis ventis superat Auster.
15	XV	Sol in piscibus, hyemat acr.
16	XIV	Septentrio flat cum Austro, sol nouus.
17	XIII	Virgo occidit iuxta Geminos, Auster flat cum Fauonio, & Aquilone.
18	XII	Malus vesperi occidit, Fauonius spirat, & Virgo occidere incipit.
19	XI	Septentrio, & Auster flant, Malus occultatur.
20	X	Aquilo pluuiosus spirat, leo occidit, Aquilones Chelidonij appellati incipiunt, & per quatriduum flant, hirundines apparent.
21	IX	Arcturus circa primam vigiliam occidere incipit, Fauonius spirat, noxq; nubila existit.
22	VIII	Halcyonei appellati dies.
23	VII	Corus & Aquilo simul flant.
24	VI	Aquarius oriri incipit, hyemat matutino.
25	V	Arcturus emergit, & pluit.
26	IV	Arcturus oritur matutino.
27	III	Malus vesperi occidit.
28	Prid.	Fauonius latè spirat, Vernus est dies.

MAR-

MARTIVS.

1	Kal.	Auster & Africus simul spirant.
2	VI	Vindemiator apparere incipit. Aquilo gelidus flat, Arcturus occidit matutino.
3	V	Aer nimbosus, & pluit, Arcturus emergit eleuato Sole, & flat Aquilo.
4	IV	Arcturus similiter emergit.
5	III	Arcturus interdiu emergit.
6	Prid.	Aquilo flat, nubilosum cœlum.
7	Non.	Equus occidit matutino, & flat Aquilo. Corona matutino occultatur, Aquarum de cœlo pluuies.
8	VIII	Marinæ aues apparere incipiunt, Aquilo & septentriones flant, principium veris est, sol piscium dimidium obtinet. Equus occidit.
9	VII	Miluus apparere incipit, flat Auster, Piscisq; in tergore matutino occultari incipit.
10	VI	Equus occidit matutino, Miluus à sublimi deorsum vergit, vindemiator occidit, Arcturus autem emergit, & gelidus flat Aquilo.
11	V	Hyemis abscessio, & Aquilonis ad septentriones commutatio.
12	IV	Desinit piscis à tergore eleuari, septentrio, vel Auster flat.
13	III	Argo nauis emergit vespere, Fauonius & Auster flant, & in Leonis cauda hyemat dies.
14	Prid.	Aquilo per totum flat diem.
15	Idib.	Equus occidit, & Aquilo flat Gelidus.
16	XVII	Sol in Ariete, Fauonius latè spirat, Ciconia apparet, & mare trãsmittit.
17	XVI	Inconstantes venti, Aquilo spirat.
18	XV	Auster flat, Miluus diluculo apparet.
19	XIV	Aquilo serenus spirat.
20	XIII	Equus occidit matutino, Aquilo vel septentrio flat.
21	XII	Aries in latus emergit, pluit aut ningit.
22	XI	Cancer tergore oritur, Auster flat.
23	X	Aequinoctium, pluit, interdum tonat.
24	IX	Septentriones & Aquilo flant, equus occidit matutino.
25	VIII	Pisces tergore emergunt, nix imbre mibra cadit, Aries matutino emergit, cum mari turbatio aeris.
26	VII	Aequinoctium vernum, pluit, interdum, & tonat.
27	VI	Nox, & dies æquales existunt.
28	V	Scorpius occidit, vehemens flat ventus, pluuiasq; cum tonitribus commiscet.
29	IV	Scorpius occidit, septentrio flat pluuius.
30	III	Auster flat, & pluit.
31	Prid.	Ventorum procellæ, & sæpè pluit.

APRILIS.

1	Kal.	Scorpius occidit, sol diei partem vnam addit, Aquilonis flatu nebulosum est cœlum, Vergiliæ oriri, & præsignificare incipiunt.
2	IV	Nebulosus aer per omnes terras,
3	III	Vergiliæ occidunt vespertino.
4	Prid.	Flat Africus.
5	Non.	Fauonius spirat.
6	VIII	Suculæ emergunt, pluuiæq; ab Austro deuoluuntur.

Auster

7	VII	Auster flat, & vergiliarum reliquum occidit.
8	VI	Fauonius flare incipit matutino, vergiliæ occidunt.
9	V	Australes procellæ,
10	IV	Aquilo vehemens flat, vesper est pluuiosus.
11	III	Frigidi flant venti, & pluit.
12	urid.	Suculæ occultantur,
13	Idib.	Aquilo flat, paruum præsepe exoritur,
14	xviij	Obscurum astrum, & venti, & imbres,
15	XVII	Suculæ occidunt, frigidi spirant venti, serpens oritur.
16	XVI	Suculæ occidunt, spirat Fauonius.
17	XV	Sol in Tauro, suculæ occultantur,
18	XIV	Africus flat.
19	XIII	Suculæ penitus occidunt, Africus flat vesperi,
20	XII	Fauonius spirat.
21	XI	Tauri caput occidit, & pluit.
22	X	Vergiliæ exoriuntur. Fauonius spirat,
23	IX	Fidicula circa primam facem apparet,
24	VIII	Fidicula cernitur, & pluit,
25	VII	Præsepe emergit, desinit ver,
26	VI	Suculæ penitus occidunt, & veris conuersio,
27	V	Auster flat,
28	IV	Austrina dies, & pluuia.
29	III	Hædi oriuntur, Auster flat matutino,
30	Prid.	Canis occultatur vesperi, aer conturbatur ab Austro, & Aquilo simul permiscet,

M A I V S.

1	Kal.	Canis occultatur, rores descendunt,
2	VI	Suculæ cum sole oriuntur,
3	V	Centaurus apparet totus, Fauonius spirat.
4	IV	Scorpius sursum emergit, Aquilo flat, & rores cadunt.
5	III	Fidicula oritur matutino.
6	Prid.	Dimidium Scorpionis occidit.
7	Non.	Vergiliæ oriuntur matutino, & spirat Fauonius
8	VIII	Principium æstatis, Fauonius præualet,
9	VII	Eodem flat modo Fauonius.
10	VI	Fidicula otitur, suculæ occidunt, Tauri caput apparet,
11	V	Vergiliæ apparent.
12	IV	Vergiliæ oriuntur, Auster flat,
13	II	Suculæ occidunt, Austrini sunt flatus.
14	Prid.	Scorpius occidit, & fidicula oritur matutino,
15	Idib.	Cancer exoritur, & flat Auster
16	XVII	Initium æstatis.
17	XVI	Procyon, quam quidam Caniculam vocant, occidit,
18	XV	Sol in Geminis,
19	XIV	Auster flat vesperi,
20	XIII	Suculæ oriuntur, & flat Aquilo.
21	XII	Arcturus occidit, aerq; conturbatur,

Sagit-

22	XI	Sagittarius occidit, & flat Auster.
23	X	Gemini exoriuntur, & flat Aquilo.
24	X	Suculæ oriri incipiunt, & pluit.
25	VIII	Capella oritur matutino, & flat Aquilo.
26	VII	Taurus occidit, Auster & Aquilo flant.
27	VI	Auster spirat.
28	V	Fidicula oritur matutino, & Auster flat.
29	IV	Auster vehemens flat.
30	III	Vergiliæ exoriuntur, imbres cum tonitribus fiunt.
31	Prid.	Tempestas aspera, hyemat aer, ingentia vesperi tonitrua cômouentur.
		I V N I V S
1	Kal.	Suculæ totæ emergunt, Auster flat.
2	IV	Aquila exoritur, aeris tempestas, & flat Fauonius.
3	III	Australes procellæ cum tonitruis.
4	Prid.	Auster flat, & pluit.
5	Non.	Aquilo exoritur, & flat Auster, & pluit.
6	VIII	Aquilo flat, & pluit.
7	VII	Arcturus occidit matutino, Fauonius spirat.
8	VI	Delphinus emergere incipit, Arcturus occidit.
9	V	Aquilo flat, & modicè pluit.
10	IV	Pluuiosus aer cum tonitruis, & Australis dies.
11	III	Turbulentum cælum cum tonitruis.
12	Prid.	Fauonius, vel Corus flat, & tonat.
13	Idib.	Delphinus emergit, Auster flat.
14	XVIII	Orionis humeri eleuantur, & principia æstatis.
15	XVII	Obscurum astrum, Fauonius, & Auster flant.
16	XVI	Aeris tempestas, & Aquilonij flatus.
17	XV	Fauonius cum austro spirat, Orionis humeri apparent.
18	XIV	Sol in Cancro, Orion exoritur matutino.
19	XIII	Auster & Fauonius flant, pluit & tonat.
20	XII	Serpentarius occidit matutino.
21	XI	Auster cum Aquilone spirat.
22	X	Exortus orionis.
23	IX	Obscuri Astri exortus, & calorum intensio.
24	VIII	Aestiuus cardo, & momentanea aeris perturbatio.
25	VII	Africus, & Fauonius simul spirant.
26	VI	Breuissima nox, Orion exoritur.
27	V	Pluit vesperi, Canis apparere incipit.
28	IV	Ventorum conflictus.
29	III	Canis exoritur matutino, Zona Orionis apparet.
30	Prid.	Arcturus occidit matutino, & aeris intemperies.
		I V L I V S
1	Kal.	Aer ab Aquilone conturbatur.
2	VI	Obscurum astrum, Auster flat, vel Fauonius.
3	V	Austrina dies, & conturbatio aeris.
4	IV	Orion exoritur, Ciconia occidit, & Fauonius spirat.
5	III	Medium cancri exoritur.
6	Prid.	Etesiæ flant, & cum Austro Aquilones.
7	Non.	Corona occidit matutino, flat Auster.
8	VIII	Cepheus exoritur, & Austrina aeris perturbatio.

9	VII	Orion totus emergit, Auster flat.
10	VI	Etesiarum prodromi flatus spirant.
11	V	Imbres cum tonitribus, flat Aquilo.
12	IV	Orion totus oritur matutino, & prodromi inualescunt flatus.
13	III	Africus flat turbulentus.
14	Prid.	Aquilo flat.
15	Idib.	Canicula exoritur, Etesiæ inualescunt.
16	XVII	Orion exoritur, & violentus flat Aquilo.
17	XVI	Aestatis dimidium, & dies Aquilonis flatu algentior.
18	XV	Fauonius, & interdum Auster spirant. Canis oritur matutino, & etesiæ amplius inualescunt.
19	XIV	Orion exoritur, Corus flat, totusq; apparet Orion.
20	XIII	Sol in Leone, Corus spirat, & Canis exoritur.
21	XII	Etesiæ cum alijs ventis per vnum & viginti flant dies.
22	XI	Prodromi flatus latè spirant.
23	X	Cancer totus cum leone exoritur, & Aquila occidit.
24	IX	Leo cum sole exoritur & cane, Cancer descendit.
25	VIII	Gemini occidere incipiunt, Canis emergit, & Austrini sunt flatus.
26	VII	Caligo arenosa, Aquila occidit, leo exoritur, flat Auster.
27	VI	Canicularis æstus.
28	V	Vehementes calores, etesiæ violenter spirant.
29	IV	Lucida stella in leonis pectore exoritur. Aquilo egelidus propter æstũ.
30	III	Autumnales fructus apparere incipiunt. Aquila occidit matutino, aerq; turbidus fit.
31	Prid.	Auster cum Africo simul spirant.
		A V G V S T V S.
1	Kal.	Aquila occidit matutino, flat Africus, arentes sunt æstus.
2	VI	Aquila occidit, aer Austrinus.
3	III	Austrina dies.
4	Prid.	Leonis medium exoritur, Arbor in hoc biduo apparet, Auster nimbosus vehementer flat.
5	Non.	Corona occidit, leonis medium exoritur, vehemens flat Auster, & grues apparent.
6	V III	Fidicula contrahitur, Austrina dies æstuosa.
7	VII	Orionis medium occultatur, & dies ab Austro caliginosus, & æstuosus.
8	VI	Leo exoritur, æstus intolerabilis nebulosus aer, Orionis exoritur mediũ
9	V	Obscurum astrum, septentrio lenis spirat, æstus mediocris.
10	IV	Lunaris defectus in hanc diem occurrere solet, Auster, & Aquilo spirant. & calores sunt ingentes.
11	III	Fidicula occidit matutino, Austrinus inchoat, ventorum concursus fit.
12	Prid.	Ventorum conflictus, & pugna.
13	Idib.	Delphinus cum lepore occidit.
14	XIX	Aestuosi & squalentes calores.
15	XVIIJ	Obscurum, & Fauonius cum Austro spirat.
16	XVII	Delphinus occidit matutino.
17	XVI	Autumni initium.
18	XV	Fidicula occidit, & flat Aquilo.
19	XIV	Delphinus occultatur, mediocris æstus.
20	XIII	Fidicula occidit matutino, sol in Virgine, Auster flat, pluit & tonat.

Sol

21	XII	Sol in tota virgine.
22	XI	Virgo exoritur.
23	X	Septentrio lenis ſpirat, tota exoritur virgo, aeris eſt ſerenitas
24	IX	Virgo exoritur, Aquilo flat.
25	VIII	Eteſiæ ponunt. Aquilo frigidior flare incipit.
26	VII	Delphinus exoritur, & Auſter flat.
27	VI	Vindemiator emergit, Auſter & Fauonius ſimul flant.
28	V	Virgo apparere incipit.
29	IV	Fauonius lenis ſpirat.
30	III	Virgo exoritur, Fauonius molliter flat.
31	Prid.	Andromeda exoritur.
		SEPTEMBER.
1	Kal.	Andromeda exoritur, imbres cum tonitruis fiunt, flat vulturnus, inconſtantes ſunt venti.
2	VI	Auſtralis Piſcis non amplius occultatur.
3	V	Tonat, & pluit.
4	IV	Arcturus cum vindemiatore exoritur, Malus occultatur.
5	III	Mercurij domicilium, Fauonius ſpirat, & ex ventorum inconſtantia, imbres cadunt.
6	Prid.	Equus exoritur.
7	Non.	Capella emergit, Africus flat veſperi, & pluit.
8	VIII	Arcturus apparet, flat Aquilo, & interdum tonat.
9	VII	Virginis medium exoritur, Fauonius ſpirat cum Africo.
10	VI	Idem aeris ſtatus.
11	V	Idem aeris ſtatus.
12	IV	Arcturus exoritur.
13	III	Arcturo exorente, imbres cadunt.
14	Prid.	Vergiliæ cum equo exoriuntur.
15	Idib.	Hirundines non videntur, Capella exoritur, & pluit.
16	XVI	Duodecatemorion, ideſt, xij portio Autumni incipit.
17	XV	Fauonius latè ſpirat cum Africo.
18	XIV	Piſcis exoritur, & ſeptentrio ponit.
19	XIII	Sol in libra, Crater apparet, Arcturi medium cernitur matutino.
20	XII	Arcturo exoriente imbres copioſi cadunt.
21	XI	Aequinoctium Autumnale, & Piſces occidunt.
22	X	Argo deſcendit, pluuioſi aeris conturbatio.
23	IX	Piſces occidunt. Auſtrinæ fiunt pluuiæ. aeris ventorumq; conturbationes, & maris tempeſtates.
24	VIII	Lunaris defectus in hanc incurrit diem. Centaurus exoritur.
25	VII	Nebuloſus aer, & turbulentus exiſtit.
26	VI	Hoedi exoriuntur, & Auſter vehementer flat.
27	V	Virgo deſiſtit emergere, vergiliæ matutino, & veſperi apparent, Hoedi cum ſole exoriuntur, ventorum & maris procellæ validæ fiunt.
28	IV	Auſter vehemens flat, tempeſtates horridæ.
29	III	Vergiliæ matutino exoriuntur, & pluuius flat Auſter.
30	Prid.	Capella emergit vſq; ad veſpertinum vergiliarum occaſum.
		OCTOBER.
1	Kal.	Vergiliæ in oriente apparere incipiunt, Auſter flat matutino.
2	VI	Iidem Auſtrini flatus, & Vergiliarum exortus.

3	III	Heniochus, ideſt, Auriga occidit, & ab Aquilone tonat.
4	Prid.	Hoedi exoriuntur, & pluit.
5	Non.	Corona emergit, & conuerſio eſt æſtatis.
6	VIII	Arietis medium occidit cum ſcorpione.
7	VII	Eadem, quæ prior ſignificatio.
8	VI	Corona cum Hædis exoritur, aer conturbatur.
9	V	Hœdi cum vergilijs emergunt, & flat Africus.
10	IV	Libra oriri incipit, & Fauonius ſpirat.
11	III	Corona exoritur matutino, venti commutantur, aſperius in mari fit hyems.
12	Prid.	Vergiliæ exoriuntur, & flat Auſter.
13	Idib.	Corona emergit, aeris commutatio, & tumultus fit.
14	XIX	Aquilo immenſus flat.
15	XVIIJ	Autumni medium, & auſter flat.
16	XVII	Orion emergit, & rorulentus eſt aer.
17	XVI	Eadem, quæ prior ſignificatio.
18	XV	Triſtis & nubilus dies.
19	XIV	Sol in ſcorpione, & Fauonius ſpirat.
20	XIII	Vergiliæ occidunt, aeriſq; eſt conturbatio.
21	XII	Eadem quæ prior ſignificatio, ſed etiam pluit.
22	XI	Tauri cauda occidit, & Auſter flat pluuias.
23	X	Scorpius occidit, Aquilo flat, & in mari tempeſtas horrida.
24	IX	Vergiliæ occidunt.
25	VIII	Centaurus occidit matutino.
26	VII	Scorpij dimidia cauda occidit.
27	VI	Suculę occidunt, gelidus flat Aquilo, & aſpera in mari hyems.
28	V	Vergiliæ & Orion penitus occidunt.
29	IV	Arcturus occultatur, & vehementes flant venti.
30	III	Caſſiopeia incipit occultari.
31	Prid.	Orion & Aquila penitus occidunt veſperi, & Fidicula exoritur.

NOVEMBER.

1	Kal.	Vergiliæ occidunt, pruina decidit matutino, Arcturus occultatur, aeriſq; ad frigora fit conuerſio.
2	IV	Venti ſpirant frigidi, & pluit.
3	III	Fidicula exoritur matutino, & Aquilo flat.
4	Pridi	Auſter, & Fauonius flant, fiuntq; imbres.
5	Non.	Fidicula ſole exoriente apparet, Aquilo flat.
6	VIII	Arcturus occidit matutino, & nebuloſus eſt aer.
7	VII	Vergiliæ, & Orion occultantur, Aquilo flat.
8	VI	Turbidus & moleſtus eſt aer.
9	V	Clarum ſcorpionis aſtrum, & hyemalis cardo.
10	IV	Hyemis initum.
11	III	Vergiliæ occultantur.
12	Prid.	Media Scorpionis ſtella emergit.
13	Idid.	Vergiliæ & orion occidunt matutino.
14	XVIIJ	Scorpius matutino occidit.
15	XVII	Fidicula oritur matutino, Vulturnus, Auſter, & Boreas ſimul flant,

16	XVI	Eadem, quæ prior ſignificatio.
17	XV	Tempeſtuoſa dies, Auſterq; ſuperuenit.
18	XIV	Sol in Sagittario, Orion cum fidicula exoritur, aeriſq; tempeſtas exiſtit.
19	XIII	Tauri cornu cum ſole occidit, & flat Aquilo.
20	XII	Horrida tempeſtas
21	XI	Suculæ cum lepore occidunt matutino.
22	X	Gelida cadit pluuia.
23	IX	Tauri cornua occidunt
24	VIII	Initium hyemis, frigora incipiunt, gelidiq; cadunt rores.
25	VII	Sol in prima Sagittarij portione.
26	VI	Eadem, quæ prior ſignificatio.
27	V	Canis occidit, Auſtrina dies, & pluit.
28	IIII	Canis occultari incipit, & nebuloſus eſt aer.
29	III	Canis occidit matutino, & Africo flante pluit.
30	Prid.	Orion occidit, Fauonius ſpirat, & Auſtro flante pluit

D E C E M B E R.

1	Kal.	Perturbatio aeris, flat ſeptentrio, & totus Orion occidit matutino.
2	IIII	Canis occidit, veſperi ſeptentrio flat.
3	III	Tempeſtuoſa cum nubibus dies.
4	Prid.	Sagittarius occidit, & Aquilo flat.
5	Non.	Per totam diem pluit, & flat Aquilo.
6	Vviij	Medium ſcorpij emergit.
7	VII	Aquila exoritur, & Africus flat.
8	VI	Scorpius totus emergit.
9	V	Canis exoritur matutino, & Auſter flat.
10	IV	Vehemens Aquilo flat, caliginoſum tempeſtatibus cœlum ex
11	III	Obſcurum aſtrum, ſeptentrio & Cæcias perflant.
12	Prid.	Aquilo flat prior, grauis & pluuius ſubſequitur Auſter.
13	Idib.	Totus ſcorpius exoritur, Auſter, & Aquilo flant, & pluit.
14	XIX	Capella occidit.
15	Xviij	Auſter & Aquilo perflant, & aeris perturbatio exiſtit.
16	Xvij	Eadem, quæ prior ſignificatio.
17	XVI	Sol in Capricorno.
18	XV	Obſcurum aſtrum, & ventorum concurſus, & pugna.
19	XIV	Capella exoritur.
20	Xiij	Aquila cum Capricorno exoritur.
21	XII	Incipit flare Aquilo, ſuperueniens Auſter totum obtinet diem.
22	XI	Aquila exoritur veſperi.
23	X	Capella matutino emergit.
24		
25		
26		
27		
28		
29		
30		
31		

Huculq; ſcripta reperiuntur, reliqua deſiderantur.

Tabu-

Tabula praecedentis iudicium, & explicatio.

CAP. XXXIX.

Praecedentē tabulam esse Ptolomaei

Tabula praecedens ad polum Alexandrinum supputata.

NVLLI dubium est, præcedentem tabulam in qua inerrantium syderum significationes inscriptæ cernuntur, Claudij Ptolomæi esse. Nam è Græco in latinum illas trãstulit Nicolaus Leonicus: Et viri in hac parte disertissimi omnes Ptolemæi esse fatentur, ita vt in controuersiam minimè id amplius venire poterit. Rursus ad poli Alexandrini eleuationem (Alexandriæ, inquam, totius Aegypti nobilis emporij: cuius latitudo est graduũ triginta, minutorum quinquaginta octo; longitudo autem graduum sexginta, minutorum vero triginta) conditas fuisse, cuncti conueniunt. Dubium tamen apud nos semper fuit, quo tempore illas Ptolomæus ediderit. Nam (vt alias scripsimus) floruit certè Ptolemæus anno Christi 140. Quo autem anno supputauerit, adnotarit, promulgaueritq; obscurum certè & immanifestum appatet. Id dubio procul à nobis maximè desideratur. Videremus namq; temporum omnium discrimen in supputationibus. Quò fieret, vt recentioribus ad priscas collatis, ne dum syderum inerrantium ortus, & occasus facilè haberentur: sed ex illis temporum significationes. Verum enimuero quod magis facescit negotium est, semper nos dubitasse, an tales similesq; significationes ab illarum ortibus, occasibusq; proueniant regulariter, & semper: sedq; in negatiua fuisse sententia, hæsitantes. Ratio quidem est, nam in ortu, vel occasu huius, vel illius inerrantis stellæ, semper esset talis significatio. Vt autem id sciatur, nonnullis exemplis id expendere licebit. Ptolemæus Kalendis Ianuarij sic ait. Aquila, & corona occidunt, tempestatemq; efficiunt. Si igitur ex Aquilæ, & coronæ occasu prouenit tempestas, eam certè regulariter, & semper efficient; nos autem contrarium obseruauimus. Nonis Februarij (inquit Ptolomæus) Zona orionis emergit; turbidus est aer Fauonij flatu. Si Zonæ Orionis ortus aerem turbat, ciendo Fauonium, quoties orietur, illum ciet: ex quo turbidus erit aer (loquimur de inerrantium ortibus, & occasibus ad solem relatis) at id non semper est verum. Quapropter semper arbitrati sumus tales inerrantium significationes anno illo quo scripsit Ptolemæus: atq; eodem met anno obseruasse, tabulam confecisse diariam, atq; in illa adnotasse; sequenti verò nescimus an eædem prorsus fuerint. Quemadmodum si præsenti anno singulis diebus significationes temporum obseruaremus, illasq; in tabula adnotaremus: nequiquam sequentibus annis tales temporum significationes ex ortibus, & occasibus illis, atq; eædem prorsus essent; ac propterea Ptolemæus significationes suas obseruauit, atq; in tabula adnotauit pro anno quo obseruauit: non autem quòd in posterum sic futuræ essent statis, ac certis diebus, vti in tabula adnotauit. Id certè ex ipsismet Ptolomaicis inerrantium significationibus etiam comprobatur. Quandoquidem octauo Calendas Octobris, quæ est vigesima quarta Septembris sic inquit Ptolomæus, lunaris defectus in hanc incurrit diem. Sed profectò illo anno quo scripsit, tali die solum incurrit, secus singulis annis in tali die incurrisset: quod quidem absurdum est dictu, & cogitatu, etiam viris vtcumq; in mathematicis exerci-

Temporum significationes nec regulariter, nec semper à fixarum ortibus, & occasibus proueniunt.

Inerrantiũ significationes eo anno inciderunt, quo Ptolemæus scripsit.

Probatio prædictæ positionis.

exercitatis. Adnotauit itaq; Ptolomæus minoris luminis eclipsim illo die quo incidit, sicq; scripsit: non quod semper tali die in posterum esset ventura. Similiter quòd quarto nonas Augusti, quæ est dies decima, inquit: lunaris defectus in hanc diem occurrere solet; non est intelligendum, quod Lunæ labor semper tali die incurreret: sed eo die illius anni, quo inerrantiũ significationes Ptolomæus obseruauit eo certè incidit. His itaq; moti causis suspicati fuimus, haud ex inerrantium syderum ortibus, & occasibus easdem temporum significationes semper prouenire, nec id Ptolomęus voluit: sed si ita annotauit, fecit, quia sic anno illo obseruauit. Si quis autem diceret, hæc minime obstare, quo minus ex ortibus, & occasibus temporum significationes proueniant. Nam si lunares defectus Ptolomæus annotauit, non ideo scripsit, quòd tali die singulis annis euenirent: sed quia tunc inciderunt, & ad ornatum etiam tabulæ. Quemamodum posuit, & Hirundinum aduentum die vigesima Februarij, dicens: Hirundines apparent: & octaua Martij auium marinarum apparitionem, dicens: Marinæ aues apparere incipiunt, & trigesima Iulij fructuum autumnalium, dum dixit: Autumnales fructus apparere incipiunt: & quinta Augusti Gruum, dum scripsit, & Grues apparent: & decima quinta Septembris Hirundinum discessum, dicens; Hirundines non videntur; quæ omnia ad ornatum quoq; inscripsit; licet in ea regione illis diebus proueniant: Ideo non est par ratio de inerrantium ortibus, & occasibus, ex quibus tales temporum significationes prouenire, obseruauit Ptolomæus, quas & inscripsit: & de lunaribus defectibus quos & annotauit; tum quia illis diebus inciderunt, tum quoq; ad ornatum: sed inerrantium ortus, & occasus necessario, & ad temporum mutationes præsagiendas. Dicimus quod hæc, & si vera sint, nihilominus tamen ex obseruationibus habetur, non semper easdem temporum significationes singulis annis statis diebus incidere, licet ijdem sint inerrantium ortus, & occasus: vbi nullam aliam rationem assignare poterimus, nisi quia ab errantium positu diuerso, & vario in quartis anni cum appendicibus, ne dum cum antecedentibus impediri possunt; sicuti de facto impediuntur. Generales namq; constitutiones particulares impediunt. Itaq; si generalis constitutio serenitatem promitteret, impediret vtiq; particularem, quæ tempestatem indicaret; quia particularis à Generali vincitur. Et hæc est vna ex causis, cur ex inerrantium ortibus, & occasibus non semper eædem eueniant temporum significationes. Diximus etiam cum appendicibus; quia etiam constitutiones menstruę, dum bonæ fuerint, impedient, verbi gratia tempestatem, quæ ex ortu, vel occasu alicuius inerrantis ventura erat. Ita quoq; dicendum est: de diurnis lunæ applicationibus ad beneficas, & de mutuis planetarum configurationibus adinuicem: de quibus supra tactum est, & inferius digredietur. Antecedentia verò sunt coniunctionum, & oppositionum præcessiones, & similia multa. Accedit etiam varia materiæ proximæ dispositio, ita vt hodie, in quo tempus est siccum; anno venturo eodemmet die erit humidum, & pluuiosum; nihilominus tamen eadem fixa oritur, vel occidit. Quare orionis vel Arcturi ortus non semper tempestatem efficient. Accedit tandem, quòd cum initium prædicendi temporum mutationes, à ventis pendeat, ventorumq; causæ sint abstrusæ, naturęq; diuersæ, flatus Heterocliti, sequitur, quòd idem ventus diuersa in diuersis operabitur regionibus: quinimò in eadem; vt mirum certè sit, qua nam ratione in vno loco pluat, in altero autem parum distante, serenat: eodem temporis momento. Sed dices, igitur futurarum rerum per astra certam nõ esse scientiam: at respondemus certissimam esse, sed difficillimam quoq; cum ex parte rerum, tum etiam ex intellectus humani imbeccillitate. Nihilominus tamen non negamus nonnullas

Prædictæ positionis redargutio.

Auium quorundam aduentus in Alexandria, & discessus.

Redargutionis dilutio.

Fixarum significationes ab errantium positu diuerso impediri possunt.

Materiæ proximæ dispositio impedit vt plurimũ fixarum significationes.

Obiectio.

Responsio.

ex inerrantibus esse tales, quæ ex illarum ortibus seu occasibus semper easdem temporis significationes portendunt. Ita vt agricolæ, & Nautæ sola syderum inspectione, atq; continua obseruatione, ventorum flatus, cæliq; statum prædicunt, absq; hoc quòd sint in Mathematicis exercitati: Ratio est, quia hæc eueniunt semper, vel vt in pluribus. Quarè prædicunt post Februarij initium Fauonios spirare per multos dies, non quia sciunt causam, cum sint absq; Astrologia, sed quia longa obseruatione experti sunt, tunc Fauonios spirare. Causa verò cœlestis est fidiculæ occasus, qui iuxta Ptolomæum die sexta Februarij incidit. Nam cum fidicula occidere incipit, flat Fauonius. Quemadmodum etesiæ sub æstate, nempe iuxta Ptolemæum à die sexta Iulij vsq; ad 25. Augusti; vbi Ptolomæus inquit, Ethesiæ ponunt. Similiter Zona Orionis emergente, terra pullulare incipit. Canicula exoriente, immensò vniuersus orbis afficitur æstu, Maria turbantur, arescunt plantæ, canes in rabiem vertuntur, siccantur cuncta, multiq; oriuntur morbi; idq; semper ferè. Rursus cum Vergiliæ oriuntur, q fit mense Maij, flat Auster. Arcturus exoriens pluuias, & imbres facit; Orion quoq; cum exoritur flat Aquilo: exoritur vero iuxta Ptolomæum mense Iulio. Quos omnes, vt & alios, etiam certis fermè temporibus expectare licet, vt planetarum reditum ad loca sua, nisi impediuntur aliunde quo ad effectus. Hæc & similia facile dignosci possunt, etiam ab his qui non callent arte, sed longa obseruatione, & experientia: quoniam à solis motu, qui inter aliorum siderum motus, est simplicissimus, pendent. Cumq; sol ipse Astrorum sit potentissimus: difficulter impediri potest, quod decernit. Quo circa quæ expectantur, certò, & facile, & constitutis temporibus præscire contingit, vt etiam Cardanus admonet. Verumtamen hæc (vt diximus) impediri possunt, vti sæpe impedita sunt. Nam (vt hoc pro exemplo vtamur.) Si sol, & Mars, & Iuppiter in Aquario adsint, Saturnus verò in Cancro vel Leone, æstus nonne temperata fiet? ac propterea Canicula non sic exsiccabit. Exoriente Arturo qui pluuias, & imbres regulariter excitat, si Iuppiter cum ipso exoriatur, nonne pluuias, & imbres prohibebit? vtiq; cum sit serenitatis parens. Similiter si cum Vergilijs ad quarum exortum flat Auster, exoriatur iuppiter cum septentrionali ascensione, vel descensu (quemadmodum & nos quandoq; obseruauimus) nonne Austri flatus impedietur? Nam iuppiter borealis cit ventos; & præsertim sic constitutus. Porrò sententia hæc nostra à Ptolemæi mente minimè abest. Qui libro secundo sui Quadripartiti cap. 12. tex. 64. iuxta Cardani sectionem aperte docet inerrantium stellarum præsertim illustriũ, matutinis aut vespertinis ortus, occasusue, quæ sui fulgoribus erga solem conspicuæ fuerint, conuertere particularem statum plerumq; ad modum naturarum suarum: Ergo non semper. Inerrantium itaq; significationes non semper eædem erunt. Sed, & Tabula Ptolemæi neque pro semper deseruit, sed ad methodum dumtaxat vtilis est. Nam neq; in sua etiam regione inerrantium ortus, & occasus ijdem nunc sunt, quemadmodum & tempore suo. Ac propterea die sexta Februarij fidiculæ occasus, quæ Fauonij flatum excitat ab occasu, nunc non die eadem illa quoq; erit significatio: sed circa vigesimam primam ob anni recognitionem occasus ille incidit, & Fauonij flatus (nisi impediatur) sicuti ante anni restitutionem incidebat circa vndecimam Februarij. Multo minus in diuersis regionibus idem erit: nam ob diuersas polorum eleuationes diuersi quoq; erunt illarum ortus, atq; occasus. Similiter Orionis exortus qui à Ptolomæo quinta die Februarij annotatus est cum sua significatione; nunc circa vigesimam Februarij in Alexandria incidit; & ante annum recognitum circa decimam. Idem quoque de reliquis sentiendum est. In Tabula assignantur ortus, & occasus stellarum Acronici,

Agricolæ, & Nautæ quomodo temporum mutationes prædicunt.

Fixarum aliquarum significationes.

Solis motus inter alios siderum simplicissimus est.

Fixarum significationes quomodo impediri possunt.

Prædictæ sententiæ confirmatio per Ptolomæũ.

Ptolemæi tabula ad methodum vtilis est.

Orionis exortus in Alexandria

Acronici, Cosmici, & Heliaci. Cum à Ptolemæo pluries repetitur ortus, seu occasus puta Orionis, Arcturi, & cæterorum, innuitur prima stellæ apparitio, vel primæ stellæ visio, deinde reliquarum; quemadmodum fit in signis Zodiaci: vel quia per plures dies fit illarum exortus atque occasus diuersus: aut quia per totidem dies durat effectus. Cum multoties replicat, dicendo: totus oritur, seu totus occidit: innuit ortuum, & occasuum diuersitatem, vel etiam effectus durationem. Quod autem decimo septimo Calendas Aprilis (quod est die decima sexta Martij) solem in Ariete statuat, id scripsit iuxta aliorum placitum; nempe ob duarum sphœrarum Nonæ scilicet, & Octauæ intersecationem. Cuius initium tunc præcedebat principium Nonæ quatuor, vel quinque gradibus fermè in signo Piscium. Sed in initio Nonæ fiunt Aequinoctia: ideo duodecimo Calendas Aprilis, quod est vigesima prima Martij posuit Arietem emergere in latus. At reuera Ptolemæus ex duabus obseruationibus Adriani, & Antonini temporibus, factis, quarum meminit secundo, & tertio libris Almagesti, Capitibus secundo, & octauo: ex Aequinoctij Autumnalibus; quarum primam fecit anno Christi currente 132. secundam, anno 140. vernũ Aequinoctium vigesima prima Martij horis duabus pomeridianis statuit: ac eo tempore fuit solis ingressus in primum Arietis punctum. Quod autem decimo Calendas Aprilis statuat Aequinoctium, verum scripsit, quia non videtur manifesta noctis diminutio, nec diei augmentum. At quod octauo Calendas iterum scripserit Arietis emersionem matutino, id fecit iuxta veterum opiniones, qui Arietis exortum tunc ponebant. Quod rursus septimo calendas Aequinoctium vernum ponat, etiam iuxta veterum sententiam præsertim Ouidij loquitur. Quod tandem sexto Calendas, dicat, noctes, & dies æquales existunt: hoc dixit, quia non videtur sensibilis temporis mutatio. Et quemadmodum veteres crediderunt, dum sol octauam Capricorni partem commearet, tunc fieri diem breuissimam, noctemq; longissimam;& dum octauam Cancri fieri diem longissimum, noctem verò breuissimam: ita dum sol septimam, vel octauam Arietis, vel libræ partem perambulat, tunc dies æquales noctibus fieri existimarunt. Ideo Ptolemæus Calendis Aprilis dum dixit; sol diei partem vnam addit, ostendit sensibilem temporis mutationem: nempe dies augeri, noctes minui. Sed lege librum nostrum secundum de Neomenijs Salomonij perpetuis, cap. 17. Quod idem, seruata proportione, intelligendum est de his quæ scripsit Septembris mense; vbi decimo sexto Calendas Octobris, quod est decima sexta Septembris, scribit, Dodecatemorion, hoc est, duodecima portio Autumni incipit. Deinde Solem in Libra decimo tertio Calendas Octobris, quod est decima nona Septembris, statuit: Vndecimo autem Calendas Octobris, quod est vigesima prima Septembris, scribit: Aequinoctiũ Autumnale. Verum enimuero ex duabus illis iam prærecitatis obseruationibus, temporibus Adriani, & Antonini à Ptolemæo factis, quarum prima fuit anno Christi currente 132. secunda 140. clare patet, solis ingressum spatio octo annorum in punctum autumnalis æquinoctij, die vigesima quarta Septembris fuisse. Nec obstat Ptolemæum primam referre septimo die mensis Athus, secundam verò nona eiusdem mensis: quia ex annis Aegyptiacis cum octo fluxissent, necesse erat, vt mensis initium per dies duos ante sumeret: quibus anni duo intercalares intercepti, superabundabant Aegyptiacis; quo factum est, vt recte Cardanus in suo libello de temporum, & motuum erraticarum restitutione capite tertio reprehenderit Stoephlerinum, qui illum Solis ingressum in vigesimam quintam Septembris retulit, non animad-

Solem in Ariete Ptolemæus cur 17. Cal. Aprilis scripserit

Ptolemæus ex quibus obseruationi bus vernum Aequinoctiũ 21. Martij statuit.

Ptolemæus cur 10. Cal. Aprilis Aequi. statuit.

Arietis emersionem cur 8. cal. April.

Aequinoctiũ vernum cur etiam 7. cal. Aprilis.

Noctes, & dies 6. Cal. Apr. æquales esse cur scripserit.

Solis ingressus in punctum autum nalis æquinoctij Ptolemæi tẽpore.

Q uerso

Luna cũ Mercurio quid efficit circa tẽporum mutationes.

Mercurius cũ Saturno quomodo tẽpora mutat.

Venus cũ Saturno quas temporũ mutationes efficit.

Sol cum Saturno quid portendit in temporũ mutationibus.

Opinio aliquorũ de Sol. cum Saturno in Sagittario, & Capricorno.

tium verò brumæ: Capricornus autem signum Tropicum; solstitiale brumale, frigidum, & siccum. Verum coniunctio est validior, & fit portarum apertio: quia diu coniuncti perseuerant, & tardè separantur. At cum Saturno Mars iunctus, vel si prædictis configurationibus illum aspexerit, cum sint ambo malefici: In vere pluuias, vel tonitrua mouebit: in estate tonitrua, & grandines: in Autumno, pluuias, vel turbidum aerem: in bruma remissum frigus efficiet. Porro in vniuersum iuxta signorum naturas, ita suos horum congressus pariet effectus ante, & post, diebus aliquot. Nam in Aquaticis signis pluuias, & grandines prouocat, vt plurimum verò nubes, ac ventos multiplicat: corrumpit aeram, imbribus detrahit, atque iuxta planetæ dominantis qualitatem, & locorum, quibus præsunt, & causarum, quibus mouentur: cuncta euertere par est. propriè tamen congressus huiusmodi grandines proicit. Si verò Mars motu tardior tunc incesserit, nec tam citò à Saturno separetur: ob separationis tarditatem, pluribus diebus sui durabunt effectus. Subinde horum planetarum aspectus reliqui, sed in primis Diameter, & Tetragonus pluuias, fulgura, tempestatesque portendunt. Verùm Iuppiter, si corporaliter Saturno se commiscuerit, veris tempore turbidum aerem, vel humiditatem promittit: in æstate, grandines, & tonitrua: in Autumno ventos, & pluuias: in bruma autem aeris turbulentiam: quod quidem, cum prærecitatis quoque aspectibus se intuebuntur: intelligendum venit. Vniuersaliter verò temporum consistentiæ fiunt, Saturno, & Ioue adinuicem, vel corporaliter, vel per radios commixtis. Nam quilibet horum aspectus ne dum oppositus, & Tetragonus, sed etiam trigonus, sextilis, & antiscium quoque magnarum aeris mutationum causa extat, pluuiarum scilicet, & ventorum cum grandinibus: sed inæqualiter. Coniunctio tamen cæteris potentior est, quia tardè separantur abinuicem, cum sint cæteris ponderosiores: ac propterea pluribus diebus cum maneat, ante, & post, efficaciores, ac maiores effectus huiusmodi congressus producet. Deinde prosequitur oppositus, post, quadratus: succedit huic trinus; Trigono, sextilis: sextili tandem antiscium, & si pluries Antiscium sextili, & trigono præualere visum fuerit, & experientia comprobatum. Quare oppositus aspectus minus aget, quàm coniunctio: Quadratus minus opposito: Trigonus, sextilis, & Antiscium minus cæteris. igitur efficaciores effectus producet oppositus Tetragono, Tetragonus maiores trigono, sextili. & Antiscio: Hi etenim debiliores effectus, sed subitos efficiunt, quia minus durant. Verum attendendæ sunt signorum qualitates, & naturæ: nam sic agent. Quippe qui in humidis signis assiduas pluuias, aquarum inundationes, & similia præsagiunt: In igneis molestam siccitatem. Quarum coniunctio si in æstate occurrerit: calorem augebit: sicuti in bruma illum remittet. Sed memento eorum, quæ in superioribus à nobis conscripta sunt de dominio, & planetarum eleuatione adinuicem, &c. Mercurius cum Ioue, vel iunctus, vel tetragona, aut opposita irradiatione illustratus omni tempore ventos validos ciet: & fiet insignis valuarum ad ventos aperitio regulariter absque pluuia, quandoque cum illa. In anni quadrantibus quibuscumque nullam efficit differentiam. Verum obserua signorum qualitates, nam in aereis vẽtos mouet cum aeris serenitate: in siccis, siccitatem, calidos ventos, & imbrium paucitatem portendit; in reliquis nullum discrimen apparet. Cum Marte, in bruma, vere, & Autumno, ventos cum impetu, & quandoque nubiferos excitabit: quia ambo planetæ impetuosi sunt; In æstate autem tonitrua commouet. Sed exquisitius alij dicunt, quòd æstate tonitrua, & grandines, Autumno grandines, & ventos nubiferos, hyeme, & vere niues efficit. At cum Sole ventos aliquando cum

Martis cum Saturno Syzigiæ quomodo tẽpora mutent.

Martis, & Saturni cõgressus in vniuersum.

Iuppiter cũ Saturno in quocunque aspectu qd efficit circa temporũ mutationes.

Inter aspectus quis potentior.

Signorũ qualitates, & naturæ obseruandæ.

Mercurius cum Ioue quid efficit circa temporũ mutationes.

Mercurius cum Marte quomodo tẽpora mutat.

Mercurius cum Sole quas temporũ mutationes efficit.

humiditate impelleret, præsertim in signis ventosis, & aereis: sicuti in igneis siccitatem, & calidos ventos cum corruptione, & in aquaticis pluuias. Mercurius tandem cum Venere iunctus, aut perniciosis illis configurationibus illustratus, ventos humidos ciet, vel saltem nubiferos quocumq; anni tempore. Sed Cardanus similes Mercurij cum Venere configurationes propriè imbres efficere, scribit: significatum tamen certius erit, si amborum coniunctio in humidis signis fuerit. Aduerte tamen, quòd si talis coniunctio hora coniunctionis, vel oppositionis, vel tetragonicæ irradiationis amborum luminum euenerit: pluuiarum immensitatem portendit. Verum dicamus de Venere, quid cum his, qui remanent, efficit: similibus affecta radijs. Venus itaq; cum Ioue iuncta, vel si mutuis afficiantur radijs ex Tetragono, vel Diametro; temperiem, ac iucundam aeris serenitatem promittit. Sanè quemadmodum in Cardinibus Aqueis leues, mitesq; pluuias portendit: ita in reliquis ventos, ac serenitatem. Aduertat tamen prudens Mathematicus amborum dominium in anni quadrantibus, quod scilicet sit fortius, atq; efficacius; quandoquidem si Iouis fuerit, ventos promittit, ac serenitates: si Veneris magis pluuias, ac propterea vaticinare aeris temperiem salutarem, fertilitatem, fructuumq; abundantiam. At cum Marte in vniuersum aeris statum semper fermè mutat. Peculiariter verò veris tempore pluuias denuntiat, in æstate imbres: in Autumno pluuias etiam, in bruma remissum frigus. Adnota tamen quòd in aqueis signis quilibet horum congressus, ne dum coniunctionalis, oppositus, & tetragonicus, sed etiam trinus, & sextilis, & antiscium quoq; tametsi primi fortius operentur, aquarum immensitatem promittunt, quia fit valuarum apertio: sed in alijs signis breues pluuias. Porrò cum Sole Venus iuncta, (nam prædictis luminibus minimè se aspicere poterunt) vere, & Autumno pluuias excitabit, æstate tonitrua, & imbres: bruma humidum aerem. In vniuersum tamen, ac propriè tempus humidum præsignificat. De Sole autem hæ significationes habentur. Sol Ioui iunctus, aut si illum tetragonica, vel diametrali irradiatione aspexerit, veris tempore ventos denotat: in æstate tonitrua, & fulmina: in Autumno, ventos similiter: in bruma verò remissum frigus. At Cardanus super tex. 63. secundi libri quadripartiti cap. 11. sentit similes configurationes flatum ventorum parere, atq; pulchram serenitatem. Sed attende signorum qualitates, quoniam in aereis, & ventosis suaues ventos cum aeris temperie producet, in humidis pluuias fœcundas: in siccis caloris augmentum, & serenitatis permanentiam; in terreis minus his omnibus. Tandem quo ad Martem cum Ioue iunctum, aut si mutuis illis perniciosissimis configurationibus quadrati scilicet, & oppositi se percusserint, veris tempore turbidum aerem, & ventos præsignificant: in æstate tonitrua, & tempestates cum calore: in Autumno aeris turbulentiam, & ventos: in bruma deniq; remissum frigus cum aeris temperie. Verum attendendæ sunt etiā signorum qualitates, & naturæ, quandoquidem in aqueis signis, & humidis tonitrua, & corruscationes cum pluuijs hi congressus efficient, in siccis & calidis caloris immensitatem, quòd si contingat cum tempestuosis sideribus, grandines producent, etiam si brumæ medium fuerit; quandoquidem temporibus alijs niues emittent. Itaq; iuxta signorum naturas, & stellarum proprietates congressus hi aerem mouebunt; & licet pluuias propriè significent, fulgetra quoq; fulmina, & tonitrua parere solent. Verum, vt dictum est de alijs, ita quoq; de his duobus dicendum remanet, & magis, cum non conueniant: Videndum itaq; est, quis eorum maius habet dominium in suo coitu; quandoquidem si Mars fuerit, multa mala minatur, siccitates immodicas, incendia crebra, acutas ægritudines, suffocantes æstus, & similia. Si verò Iuppiter præualuerit, omnia bona expectato,

Mercurij Syzygiæ cum Venere quid circa tempo rū mutationes efficiūt.

Venus cum Ioue iuncta quas tempo ris mutationes portēdit.

Veneris cum Marte congressus quomodo tēpora mutat.

Veneris cum Sole cōgressus quomodo tempora mutat.

Solis Syzygiæ cum Ioue quid circa temporū mutationes efficiunt.

Martis congressus cum Ioue quomodo aerē mouent.

Signorum qualitates attendendæ.

Planetarum dominium in coniunctione attēdēdū.

ftato, & fœlicia. Adnota rurfus, fi huiufmodi coniunctio in eadem quarta cum Sole contigerit: quia tunc calor fortiffimus,& comburens (maximè in æftate) accidet. Videas igitur in diarijs huiufmodi Planetarum configurationes quando per diem eueniunt: & iuxta prærecitatam iam doctrinam, vaticinare temporum mutationes, non omiffis alijs circumftantijs ad præfagienda tempora explicatis. Congruunt quoq; hæc his quæ fcripfit Cardanus fuper textum 63. fecundi quadripartiti cap. 12. ex parte; Nam folum planetarum coniunctiones obferuat, ex quibus temporum qualitates elicit: nifi in Saturno, & Sole, in quibus etiam oppofitionem,& quadratam irradiationem confiderat,& explicat: Tametfi paulò fuperius afferat rationem, dicens, quod de coniunctione dicit, idem de oppofitione ftatuendum, fed minus: poft de quadrato, inde trigono, poftremo de fextili. Sed nos hæc iam tetigimus ad Ptolæmei mentem. Ad abundantiorem deniq; doctrinam circa temporum mutationes prænofcendas, aliquarum ftellarum inerrantium cum erronibus congreffus operæ pretium arbitramur adducere: quos Cardanus locis prærecitatis tangit. Scias itaq; Hircum in Auriga effe ftellam pluuiofam, lampas,feu palitium fimiliter pluuiofam. Si his Venerem copulari continget: pluuiam excitaturam, par eft; quinimò Venus cum lampade portarum apertionem ad pluuias fcribit Cardanus. fimiliter Luna hæc præfagit, cum his coniungitur: præfertim fi contingat tunc humidiorem fieri. Venus cum Palitio pluuias excitat. Veneris oppofitus cum Ioue pluuias. Veneris oppofitus cum corde Scorpij pluuiarum apertionem. Oppofitus palatij cum Ioue pluuias. Iouis oppofitus cum corde Scorpij pluuias. Iuppiter retrocedens,& in imò Epycicli pluuias. Palitij diameter cum corde Scorpij pluuias: verum huiufmodi afpectus perpetuus eft.

Cardani doctrina fuper Ptolomæum

Inerrantium aliquarũ cõgreffus cum erronibus quomodo tẽpora mutẽt.

Cœleste schema erigendum, vt temporum qualitates præsciantur. Cap. XLIV.

VT tandem huic primo libro extremam imponamus manum,cum ad Colophonẽ Deo ter max. nobis opitulante iam confpiciatur: remanet cœleftem figuram erigere, fine qua temporum mutationes rectè præcognofci minimè poffunt. Hæc etenim ad medicinam pro corporum incolumitate,ad Agriculturam pro fatione, ad Nauigatoriam pro itinere per quàm neceffaria eft. In diftribuendis itaq; duodecim cœli domicilijs nõ conueniunt authores adinuicem. Nonnulli etenim æquinoctialem circulum fumpferunt,quidam Zodiacum, alij parallelum per gradum Eclipticæ Orientem,circulo meridiano interceptum,nonnulli circulum verticalem: de quibus omnibus fatis in fuis tabulis directorijs Ioannes de Monte Regio, & Reinoldus digrediuntur. Triplici itaq; methodo in vniuerfum procedi poterit pro erigendo cœlefti fchemate: primò iuxta Arabes quos fequutus eft Firmicus, Sconerus,& tandem Cardanus in fua iuuentute,nimirum emergentem gradum per locum Solis inuentum diftribuere æqualiter cæteris cœli domicilijs: gradum verò medij cœli iuxta viam rationalem repertum infra cufpides decimæ,& vndecimæ domus reponere: vocaturq; cor cœli, qui locus apud Arabes maximæ eft confiderationis. Secundus modus eft iuxta Alchabitium, ita vt inuento gradu culminante,& gradu horizonte emergente, quo mediante arcu femidiurno, pariterq; & fe-

Figuræ cœleftis erectio neceffaria pro medicina, Agricultura & nauigatoria.

Authorũ fententiæ variæ de erigendo cœli fchemate.

Primus modus erigendi cœli fchema iuxta Arabes

Secũdus modus iuxta Alchabitium.

& seminocturno repertis in tabula quantitatis dierum, & diuiso vtroq; in trientem, semidiurni arcus trientem partem adde tẽporis aggregato, quo decima inuenta est, resultantemq; numerum in area temporis à meridie quere: & statim se offeret in decimæ domus area gradum, quem vndecimæ accomodabis: Huicq; adde & trientem, resultans certè erit duodecimæ accomodandum: Huic similiter addatur aliud triens, resultans erit gradus primæ. Deinde huic tempori primæ domus, seminocturni arcus triens bis ordine addatur, quo numero in area decimæ (vt alij) inuento; hunc quidem numerum pones in cuspide secundæ domus, & sic erit etiam de tertia. Itaq; à decima vsq; ad primam inclusiuè cum arcu semidiurno operandum erit: à prima vsq; ad tertiam inclusiue cum seminocturno, modis iam expositis. Oppositæ verò domus cum oppositis signis accomodandæ erunt cum eisdem partibus, quibus accomodatæ sunt priores domus. Hanc viam prisci ferè omnes sequuti sunt: quinimò Ptolæmei fuisse testatur Ioannes de Saxonia. Tertius modus vocatur rationalis, quia re vera rationabilis est: vnde omnes fere authores alijs omissis ad hunc conuersi sunt; quia rationibus Physicis, & Mathematicis demonstrationibus maximè congruit, Ptolæmaicæ præsertim doctrinæ. Quare & Ioannes de Regiomonte vir præstantissimus hunc Magni facit, excogitatum primo ab Abraha Auenesre: deinde ab ipso comprobatum & approbatum. Fiet itaq; cœleste schema iuxta viam rationalem, si ad datum tempus verum Solis locum habueris: quem vtiq; in diarijs reperies; tunc illum in area decimæ domus diligenter inquiras, horasq; illi correspondentes tempori tuo adde: resultans verò erit tempus cum quo signa in duodecim cœli domicilijs distribues, sed cum tempore post meridiem errantium loca supputabis, seruatis etiam seruandis, quæ de parte proportionali, de subtractione de additione, & consimilibus requiruntur ad huiusmodi opus conficiendũ. Non me latet; & alius modus erigendi cœleste schema, vel nociter inuentus, vel animaduersus. Ioannes etenim stadius, & pleriq; insignes Mathematici arbitrantur in duodecim cœli domicilij distribuendis, sumi debere spatia inter meridianum, & Horizontem intercepta, illaq; per inæquales horas mensurare: hac quidem methodo, vt linea vndecimæ domus à cœli medio duabus nimirum temporalibus horis distet: duodecimæ, quatuor: Horoscopi verò cuspis sex, & simili etiam modo circa reliquas operandum erit; inquiuntq; Ptolæmaicæ doctrinæ maximè congruere. Vt autem in prænoscendis temporum mutationibus possit in hac facultate nouitius proficere (viros etenim doctos missos faciemus) sumat alicuius rei initium: Exempli gratia, scire cupit mensis Septembris dispositionem anni venturi 1614. quærat in Epheridibus Magini viri clarissimi coniunctionalem horam ad Polum 45. fiendam: & statim duorum luminum congressum aspiciet futurum die tertia Septembris horis post meridiem quatuordecim, scrupulis primis triginta sex. Tunc cum solis partibus decem, & scrupulis primis viginti vno, atq; secundis quadraginta duobus (nam sic se offerunt in meridie) quærat in tabula domorum ad latitudinem 45. in area prima, vbi præfigitur tempus à meridie cum nota solis in Virgine: sicq; cum decem gradibus se offerunt H. 10. M. 46. & sec. 8. Sed cum in loco solis supersint 21. prima scrupula cum 42. secundis: vtendum est parte proportionali prout docetur Isagogicarum parte secunda, cap. 10. à Magino viro clarissimo; & resultans inueniendum est in tabula proportionali pro æquandis domibus: Tunc à latere cum minutis Solis videndum est, quæ minuta respondeant sub numero qui resultauit ex proportione: illa quæ minuta profecto sunt 22. quibus correspondet minutum cum 22. secundis, nam ex proportione resultauerunt tria prima scrupula cum 44. secundis: Igitur

Tertius modus erigendi schema cœli rationalis.

Schema cœleste iuxta viam rationalem.

Schema cœleste iuxta stadium, & alios.

Praxis erigendi cœlestem figuram.

Parte pportionali vtendum.

tur

tur cum 22.scrupulis solis à latere inuentis sub numero 3. 44.se offert minutum cum 22.scrupulis secundis: quibus additis horis 10. minutis 46. & secundis.8. resultans erit horarum totidem,minutorum 47.& secundorum 30.His omnibus etiam additis horis pomeridianis cum suis scrupulis,quæ sunt H.14.M.36.resultabunt certe H.25.min.23.scrup.30.sed reiectis 24.(totidem enim horis primus reuoluitur orbis)remanet H.1.cum minutis 23.secundis 30. Huiusmodi igitur numerus iterum quærendus est in eadem tabula domorum à meridie: sed cum non præcisè inueniatur sumendus est minor, qui est. H.1.min.21.sec.21. conferendum nimirum cum sequenti, qui est H.1. min.25. sec. 6. & resultans ex proportione erit numerus sub quo cum maioris luminis scrupulis accipiendum est minutum cum scrupulis addendis horis à meridie: quibus coadunatis resultans indicabit tibi gradum culminantem cum reliquis. Quare cum ex proportione resultans sit min.3.sec.45.à latere cum 22.scrupulis solis sub numero.3.44.(nã 45. non adest)statim se offerunt minutum vnum,& 22.scrupula secunda addenda certè prærecitatis horis,& minutis temporis à meridie. Itaquè cum sit hora cum minutis 23.sec.30. remanet,vt totus numerus sit.H. 1.minut. 24. sec. 52. quæ scrupula secunda sumpta pro vno primo,erunt certè H.1.minut.25.cui correspondente grad.8. Leonis: nam vni gradui,minut.25.& sec.6.correspondent grad.8.minut.7.Leonis,prout in tabula perspicitur. Construetur itaque cœleste schema hoc quidem modo. In medio cœli ponetur Aries cum 13.grad. In vndecima Gemini cum 4. In duodecima præfigetur Cancer cum 12. In Ascendente collocabitur Leo cum 8.partibus, in secunda idem Leo cum 29. est namque signum longæ ascensionis. In tertia virgo cum partibus 22. ex aduerso autem opposita collocanda sunt, nempe in 4. Libra cum 23.In quinta Saggitarius cum 4.In sexta Capricornus cum 12. In septima Aquarius cum 8. In octaua similiter Aquarius cum 29.est namq; signum longæ descensionis. In nona Pisces cum 22. Deinde planetarum loca supputanda sunt cum horis à meridie.14.min.36.Quæ supputata sic veniunt. Sol cum partibus 10.min.57.sec.7.Virginis.Luna cum gradibus totidem,& scrupulis similiter Virginis.Saturnus cum grad.12. minut.23. Arietis,Iuppiter cum 25.grad.& min.16.Libræ,Mars cum 29.grad. minut. 1.Geminorum.Venus similiter cum 29.grad.min.46.Cancri. Mercurius cum 4 grad.& 8.minutis Libræ. Caput Draconis cum 17.grad.& min.21.Arietis. Cauda cum totidem,sicuti & caput. Quòd si ad alium polum hæc reducere volueris, tempus æquari necessum erit ob meridianorum discrimen: quod quidem nihil aliud esse cernitur, nisi æquatoris arcus inter vtrosq; meridianos interceptus. Quare ad insigniorum ciuitatum,& locorum tabulam recurrere oporter,& discrimen illud ibidem inuentum addere,vel subtrahere dato tempori. Vt si Neapoli congressum hunc reducere velimus, addenda sunt tempori dato 26. minuta(quod est discrimen illorum duorum meridianorum) prout in tabula conspicitur Magini viri doctissimi,præsupposita latitudine 40.grad.& longit.39.minut.10.Nam si latitudo erit 41.longitudo 40. minut.16. tunc 24. Scrupula prima addenda venirent in aspectibus.Quare additis hisce tempori dato nempe 14.36,prodibunt ad Neapolitanam latitudinem horæ 15.min.2.vel Horæ 15. dumtaxat. Vnde ascendent illi polo circiter grad.9.minut.20.vel 30.Leonis. status verò temporis illius sic per coniecturam erit futurus. Ascendens cum sit Leo indicat Lunationem illam calidissimam,æstuosam,& suffocantem,ad postremam vsq; saltem quadraturã. Suus dispositor Iuppiter est,qui cum sit in Angulo mediæ noctis in signo aereo, indicat aeris serenitatem absq; pluuijs. In prima quadratura erit temporis mutatio ad ventos,& ad subitam pluuiam, & fortassis ad to-

Numerus 24. sit iperat,cur reijciendus.

Gradus culminans quomodo inueniendus.

Cœlestis schematis constitutio.

Planetarum supputatio.

Supputationis reductio ad alium Polum.

Meridianorũ discrimen quid sit.

Status tẽporis futurus 3. die Septẽbris 1614. per totũ mensem

ad tonitrua ob mercurium in signo aereo retrocedentem, & ad Martis quadratum in signo Cancri aqueo, & cadenti. In luminarium oppositione rursus Leo ascendit, vnde & augebitur calor suffocans. In initio postremæ luminarium quartæ calor erit suffocans: quia etiam Leo ascendit. Sed ob præcessionem quadrati Saturni, & Martis; & Veneris positum in horoscopo, quæ ex se humida est, sed in Leone, & cum Regulo oppositæ adinuicem naturæ, atq; ob sequentes Lunæ configurationes, primò cum Saturno ex quadrato, deinde cum Marte ex aduerso indicat mutari tempus ad pluuias, tonitrua; fulgura, & sicque in illa quadratura non deerunt pluuiæ corruscationes, fulgetra, & similia. Tandem vt rebus hisce finem imponamus, necessum est pro maiori securitate in prognosticandis temporum mutationibus inuestigare tempus nedum introitus solis in quatuor anni quartas, sed in initijs singulorum signorum. Ideò vtendum est, Tychonis Brahe Dani viri illustris doctrina, quam explicatam, atq; omnibus numeris absolutam cernes à Magino viro clarissimo in suis supplementis Isagogicarum ephemeridum quas continuauit ab anno 1610. vsq; ad 1630. Ibi namq; prospicitur motus solis reductio à Copernico calculo ad Tychonicam, deinde ingressus solis in quolibet signo, ex quibus conuersiones annuas, & menstruas prudens Mathematicus rectè efficiet. Occasione huius reductionis motus solis à Tychone factæ, operæ prætium est, prudentem Mathematicum monere id, quod coram viris doctis sæpe diximus, solis supputationem iuxta Alphonsinam rationem cæteras omnes semper excelluisse: quia recta, re vera est, ac obseruationibus magis congrua; vnde & annus iuxta illam tamquàm præ ceteris mediam, recognitus est. Quòd certe multò antè libro 2. Neomeniarum Salomonis cap. 19. scripsimus. Quarè solis reductio à Tychone potius ad Alphonsinam, quàm ad Coperniceam rationem accedit. Cur autem Copernicus in hoc inciderit? duplex à Magino assignatur causa. Prima est, ob octauæ sphæræ motum non benè à Copernico animaduersum, cum tardius, quàm par est (iuxta Tychonis obseruationes) inerrantium motum statuerit. Secunda est, ob Solis Apogeon, cum Copernicus illum supra partes nouem Cancri collocauerit: Tycho autem non amplius par. 5. min. 30. deinde ob eccentricitatem, cum Copernicus minorem statuerit nempe par. 1. minut. 56. & semidiameter qualium eccentrici complectatur 60. Tycho autem maiorem, nempè par. 2. minut. 9. Itaq; obseruatio hæc superat illam in vndecim scrupulis. Et hæc circa primum librum miseratione diuina nobis adiutrice, dicta sint.

Postrema animaduersio de Tabulis Tychonis vtendis ex Magino.

Solis motus iuxta Alphõsi supputationes magis cõgrua.

Solis reductio à Tychone ad Alphõsinam rationem accedit.

Copernicus dupliciter aberrauit in motu Solis.

Finis Primi Libri.

DE

DE PRAECOGNOSCENDIS TEMPORVM MVTATIONIBVS

IVXTA TRIPLICEM VIAM, COELESTEM, Meteorologicam, & Terrestrem.

Liber Secundus.

AVCTORE F. PAVLO MINERVA BARENSE ORDINIS Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magistro.

De obseruandis Meteoris in communi pro temporum mutationibus dignoscendis. *CAP. I.*

TEMPORVM mutationibus ex cæli statu siderumq; dispositione vaticinatis, remanet secundo easdem, quæ ex elementorum vi producuntur, explicare. Qua de re Ptholemæus inquit propos. 98. traiectiones, & crinitæ secundas partes ferunt in iudicijs. Sciendum itaq; est; cũcta quæ in sublimi fiunt, Meteora vocata (ita .n. Græci omnia quæ in aere pendent, appellant, nam Μετεωρεῖν suspendere, & eleuare dicunt) in triplici seiungi specie. Nam alia in aere summo fiunt, quædam in medio, aliqua autem in imo. Porrò hæc, & similia mixti corporis imperfecti naturam, & temperamentum, sortiuntur. Gignuntur namq; in aere stellarum vi ex fumo, dicunturq; impe fectè mixta, quia non constant ex omnibus elementis, atq; in eius mixtione, non acquiritur forma perfecta, nec magna fit partium alteratio, aut vnum quiddam specie, sed alteratorum partes leuiter inter sese confunduntur. Ideo facilè diffiliunt, ac quemadmodum nulla perfecta transmutatione facta immediatè confluxerunt, ita, & in elementa quoq; resolui; par est. Ad horum tamen concretionẽ duo concurrunt. Solis lumen atque Stellarum, & fumus. Illud quippe virtute, & influxu suo præparat, & ex inferioribus elementis, terra .s. & aqua leuat materiam, quam ad huiusmodi motus, formamq; recipiendam aptam reddit; ob id impressiones dicuntur, non nisi, quia diuersi stellarum situs, coniunctiones, affectus, habitudines, & similia operantur. & impressu suo confortant. Igitur efficiens & agens causa erit. Verum enimuero fumus, qui in exhalationem, & vaporem diuiditur, tanquam materialis causa concurrit. Est namq; vapor, fumus calidus, & humidus animantis habitui similis, & eĩ, qui ab aqua feruente emittitur: exhalatio autẽ fumus calidus, & siccus ex terræ locis, radiorum solarium vi extractos iuxta Aristotelem Meteo. 1. cap. 4. verba illius hæc sunt. ἔστι γὰρ ἀτμίδος φύσις ὑγρὸν καὶ θερμόν: ἀναθυμιάσεως δὲ θερμὸν καὶ ξηρόν: καὶ ἔστιν ἀτμὶς μὲν δυνάμει οἷον ὕδωρ, ἀναθυμίασις δὲ δυνάμει οἷον πῦρ. . . .

Meteora in triplici seiũguntur speciæ.

Meteora dicũtur imperfectè mixta.

Ad meteororum concretionem quæ concurrunt.

Meteororũ causæ.

Vapor quid sit.

Exhalationes & vaporis discrimen.

Quandoquidem calor ad superna tendens ad hypercauma, exhalatio sicca, & calida est: humor autem, qui in medio remanet, vapor. Vnde, & illorum apparet discrimen, quia exhalatio potestate est velut ignis, calida, scilicet, & sicca, vt dictum est, vapor autem potestate velut aqua, humidus, & calidus ob aerem. Fumorum verò species, atq; formæ, diuersæ quidem sunt, & dissimiles, pro diuersitate motus, loci, atq; materiei. Inde videmus varias meteorum formas, cometarum nempe, phasmatum, fulminum, ventorum, nubium, pluuiarum, ignis fatui, terremotus, roris, pruinæ, & consequentium horum omnium. Quæ igitur in summo generantur aere ignem induunt naturam: quia vel prope ignem, qui hypercauma dicitur, sunt (si modò talis datur; nam multi rentur etiam ex peripateticis non dari iuxta Aristotelem propriè ignis elementū seorsum ab alijs, sed partem aeris, quæ in illius fastigio considet, esse siccam, & calidam, illamq; dici ignem) vel prope Cœlum. Ignis etenim, quò proprius ætheri, vel lunæ accedit, eo vehementior est: at quantò longius recedit, tantò remissio rinuenitur. Quo fit, vt scintillet, ac flammas diuersas extitet ex astrorum motu cùm solis, tum aliorum excitatus atq; incensus. Hæc autem sunt cometæ, & phasmata cum consequentibus: quæ per systasim, hoc est rei consistentiam contingunt. Quæ verò in medio generantur, partim igneæ sunt naturæ, vt fulmen cum consequentibus: partim aereæ, vt venti cum reliquis: partim aqueæ, vt nubes, & pluuia, cū appendicibus, quę aliàs fortuitæ tempestates dicuntur. Quæ tandem in imo procreantur, tum naturam induunt igneam, vt ignis fatuus: tum aerem, vt terremotus: tum aqueam, vt ros, pruina, & similia, quæ per emphasim: hoc est apparentiam accedunt. Nam illinc accenditur vicinus aer elementaris, qui etiam ipse vnà in orbem agitur. Reliquus verò aer qui in medio est, & paulòsupra nos consistit, crassitudinem habet: Vnde in orbem, vt reliqua aeris sphera minimè circumagitur, sed ob montium anfractus, & terræ sublimitates stat, & immotus apparet; ac ideo frigidus; quia neq; ab hypercaumatis motu calefit ob recessum ab illo, neque à radijs solaribus reflexis, quod procul sit à terra. Dicuntur namque reflexi radij cum ex calefacta tellure in aeris vicinum calorem retorquentur. Verum animaduersione notatuque dignum est: meteora omnia non casu, & temere aduenire, sed ad certos fines: quia cuncta ad certos fines à natura designata sunt. Discriminantur attamen Astrologus, & Physicus adinuicem circa finem. Quandoquidem Astrologus, & etiam Poetæ hæc inter signa reponunt, quia experientia teste, signa esse demonstrantur: quamuis obscurius significent, quàm stellæ. Porrò Physici fines circa materiam tantum collocant: quia causas in materia solum quærunt. Ea propter Meteora omnia impressionesque istas, aliquas aeris mutationes, puta serenitatem, vel tempestatem significare, edocent. De quibus pleni sunt Meteororum libri: & ab Aristotele, à Theophrasto, & ab alijs, præsertim Plinio conscripti, sed, & Ptholemeus in suo secundo Quadripartiti libro cap. 13. hanc non prætermisit tractationem, tametsi ex parte obseruet. Sed & nos abundantius digrediemur.

Ignis elemētum dubium est, si detur.

Meteora in varijs cæli regionibus genita.

Meteora nō casu, & fortuna eueniūt

Astrologorū & Physicorū discrimen circa Meteororum finē.

Plinius, & Ptholemæus

Temporum mutationes ex Cœli Meteoris in vniuersum. CAP. II.

A Communibus ad propria procedendum esse docuit Aristoteles,& vniuersa philosophia: idcirco à cœlo in vniuersum exordiemur in Meteoris; dicemusq; quid in illo meteora indicant, deinde descendemus ad alia minus vniuersalia. Itaque si ante Solis ortum cœlum purpurascet, eadem die futuras pluuias portendit: vel in triduum, vt plurimum. Item si cœlum hyeme fulgens,rursus fulgorem abscondat, atq; hoc bis aut ter efficiat:hyemales dies erunt. Si oporæ tempore cœlum ab Aquilone fulgeat: aquas expectato. Tempus oporę à Syrij exortu re vera incipit, duratq; per partem Autumni: dicant quicquid velint alij; nam opinio illa communior est. Veteres oporam obseruabant. Syrij verò seu caniculæ exortum vide in tabulis:quippe qui iuxta diuersas regionum eleuationes obseruandus est. Si cęlum ab Aquilone sub fulgeat, & fulgor albescat, aquilonia tempestate, in Austrinum fit mutatio, si autem ab Austro, & fulgor nigrescat in Aquilonium statum fit mutatio, Theophrasto. Cœlum si mane rubet, tempestuosum pręsagit diem: si vespere,serenum. Vnde & illud vulgatum,rubeum in sero,indicat mane serenum. Si verò rutilat: die eadem tempestatem annuntiat. Probantur hęc à Domino Iesu Christo filio Dei, Saluatore nostro,omniumq; magistro, Matthei. Cap. 16. vbi dicit: facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est etenim Cœlum: & mane,hodie tempestas erit:rutilat etenim triste cœlum. Sicuti Et Lucæ. Cap. 12. Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: nimbus erit,& ita fit, & cum Austrum flantem,dicitis, quia æstus erit: & fit. Vides igitur, quòd authoritatem habet cęli, meteororumq; obseruatio, vt inde temporum mutationes præcognosci possint. Sed improperabat Magister noster Christus Iudæos signa de cœlo querentes iuxta Mattheum,vel ex curiositate: vel quia cœlesti doctrinæ nō credebant; vel tentantes eum, dicens, Faciem ergo cœli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis? vel iuxta Lucam reprehendebat illos, tanquàm cœli faciem dijudicare scientes: tempus verò finis eorum nequaquàm, & dixit. Hypocritæ, faciem cæli,& terrę nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem,& à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? Vel dicendum, quòd Dominus Iudeos redargueret, ex cęli facie temporum mutationes pręscire, quas ex causis naturalibus pendere, certū est: ex scripturis verò vtriusque sui aduentus tempus nescire,cum & illum pręsentem haberent: cuius fidem signa mira,quæ in terra efficiebat,certiores illos facere possent,non autem signa de cęlo petenda. Cęlum ad huc si minutissimis, ac vicinissimis stellis inter se, plenum videatur, pluuias, imbres, & hyemalia tempora pręsagit: quemadmodum noctu etiam ipso sereno si nullę, vel paucę videantur, tempestas pertimenda est per quàm maximè. Ratio primi est, quia illarum radij disgregantur ob vapores: idcircò plures quàm sint, in multitudine videntur. Ratio secundi est,quia vaporibus, exhalationibusq; multis stellę teguntur, ac propterea, vel nullę, vel pauciores cernuntur. Idcircò in primo imbres, & hyemale tempus minatur, in secundo tempestatem, procellamq;. Hęc sunt, quę de temporum mutationibus ex cęli dispositione in vniuersum perstrinximus. Nunc verò ad maius lumen descendimus.

Cælum purpureum.

Cælum hyeme fulgens.

Opore tempore ab Aquilone fulgens.

Cælum ab Aquilone subfulgens, & albescēs.

Cælum mane rubens, & vespere serenum.

Cęlum mane rutilans.

Nubes oriēs & Auster flatus.

Christi intentio contra Iudęos.

Christus Dominus cur Iudæos redargueret.

Cælum minutissimis stellis plenū.

Cælum nocte serena absq; stellis, vel saltem cū paucis.

De Meteoris circa Solem apparentibus ad temporum mutationes dignoscendas. CAP. III.

Exhalationũ & vaporum discrimen in loco.

CVM meteora non solum sola appareant, sed circa Solem quoq; & Lunam, planetas cæteros, atq; inerrantia sidera (Nam exhalationes leuitate ad cœlum, & hypercauma tendunt: vapores in media regione subsident; illæ igitur superiorum motu spherarum excitatæ, vel flammas ardentes per se monstrabunt: vel astra inflammabunt, circumdabuntq;) idcirco nos primò à Sole incipiemus tanquàm à Rege omnium, & potentiore. Ille etenim primus est, qui vapores eleuat. Vnde Virgilius in Georgica.

Sol primus qui vapores eleuat.

Dumq; humidus Auster, Sol tibi signa dabit.

Et subdens sequitur.

Solem quis dicere falsum audet?

Quasi dicat nullus audet. Secundo à Luna. Tertio à reliquis planetis. Quarto à fixis. Quinto à meteoris à se: ex quorum signis coloribus, flammis, formis, figuris, dispositionibus, naturisq;: temporum significationes enuntiabimus. In iudicio itaq; mutationis temporis diurnæ Sol intuendus est oriens: nocturnæ, occidens in vniuersum, nam occidens habet, & sua significata particularia diurna sequentia. In exoriente, vel occidente Sole quatuor obseruanda veniunt. Color, puritas, nubes, & radij. Sol purus oriens sed non feruens: serenum annunciat diem, & tranquillum. Qui si pridie serenus occidit, & rursum serenus oritur: tanto certior fides serenitatis habetur; præsertim si ab aliqua nubium minime tegatur. Si rubeat: sincerum quoq; indicat diem. Item si totus æqualiter fulserit: serenitatem dubio procul dabit. Simili quoq; modo si nubes circa occidentem rubescunt: serenum fore cum portendunt, qui sequetur. At maculosus Sol in ortu suo, vel si veluti trabs superiori è loco Solis globo nubes longa immineat, ac eadem mox condatur, vel sub nube latens nigra: vel si statim dissiparet nubes, pluuium diem præsagit. Si verò pallidus apparuerit: tempestuosum diem, & hybernam grandinem pronuntiat. Si concauus cernitur, ita vt in medio fulgens, radios ad Austrum, & Aquilonem emittat: tempestatem dabit, humidum & ventosum. diẽ pronuntiat, quod certè ab exhalationibus, vaporibusq; prouenire, maximè consentaneum est. Quòd si radios à meridie versus ortum Septentrionemq; iecerit: cum pluuijs ventum quoq; miscebit. Si croceus oritur: pluuias significat. Si occidens, & rursus mane oriens rubeat pluuias quoq; præsagit. Idemq; ventos promittit: cum ante ipsum exorientem nubes rubescunt. Quod si rubentibus interuenerit: pluuias excitat. Quòd si cum his nigræ copulentur: miscentur venti imbribus. In vniuersum igitur, quæmadmodum orientem Solem si nubes nullæ implicent, serenum portendunt diem: ita si rutilæ obuoluerint, pluuiam. Si opacæ minusq; transpicuæ constiterint, aut instar globorum in ortu nubes apparuerint: ventum significant. Quę tamen fugatis nubibus, ad occasum claritas insequetur. Verum nubes circumstantes quanto minus à Sole superantur: eò tempestuosior aura timeatur. Pluuiam quoq; designat: cum eius orientis, aut occidentis radij coire videntur. Si à Solis ortu nubes dexterę, ac sinistrę expellantur: pręsagium est ventorum cum imbribus, aspera verò tempestas erit, si cum pluuia occidit, vel si radij nubes in se trahant: in proxima etenim die eadem accidet tempestas. Quòd si pallidus in nigras occiderit nubes: Aquilonem portendit

Sol purus.

Sol rubens & æqualiter fulgidus.

Nubes rubeę.

Sol maculosus.

Sol pallidus.

Sol cõcauus

Sol croceus.

Nubes rubentes, & nigræ.

Nubes rutilę opacæ circa Solem.

Radij coniuncti.

Nubes expulsæ.

Sol occ: cũ pluuia, vel radij nubes trahentes.

Sol pallidus occidens.

Nubes in Solis ortu si spargantur.

ventum. Nubes si in Solis exortu partim ad Austrum spargantur, partim ad Aquilonem: licet pura circa eum serenitas sit, pluuias tamen cum vento significat. Quòd si ab eis exortu repellantur, & ad occasum abeant: serenitatem promittunt Quæ si ante ipsius ortum globentur: asperam annuntiant imbrem. Si verò in oriente radijs illustres eminent, vel si ante ortum radij se ostendent, vel si longiusculi à Solis ortu protenduntur: pluuiam, & ventum significant. Alij verò dicunt, quòd si radij Solis ortum antecuenerint, nymbos, ventosq; insinuant. Id quod erit, si maculis interceptus, nube conditus, aut exortu subobscurus (vt iam tactum est) prodierit. Itidem radij laxiores à Sole longius dispersi, parte qua iaciuntur: ariditatem, fortioremq; ventum annuntiant. Verum si Sol nubibus circumcludatur, qui tamen in se purus vnius orbis, & serenus relinquatur: tanto tempestas erit turbidior. Si autem duplex quoque orbis fuerit: tantò atrocior. Quòd si ex ortu, vel occasu fit, ita vt nubes rubescant: maxima ostendetur iuxta Plinium tempestas. Si non ambiunt, sed incumbant: à quocumq; vento fuerint, eum portendunt: si à meridie imbrem. Si oriens orbe cingatur, ex qua parte is eruperit: expectetur ventus. Circulus quoq; circa Solem spectandus est: qui in vniuersum si vnicus fuerit, Solis obuoluens corpus clarusq; serenitatem, aerisq; puritatem significat. Plures verò, & itidem clari, ventum: rutili autem, & abscissi aeris interturbationem portendunt. Si grisei, siue cinericij, subobscuri, terreiq; cum sub frigore, ventisq; pluuia, ac aeris interturbatio æstare insinuatur: hyeme verò nix. At circa occidentem, si candidus apparuerit circulus, noctis leuem tempestatem pronuntiat: Si nebula vehementiorem. Quòd si Sol canduerit: ventum expectato. In eius exortu si circulus aliquis diuersicolor circa Solem apparuerit, vel ad igneum ruborem declinauerit: aut radij rubicundi, protensiq; per nubes transierint, ita vt tanquàm iacula extra circulum, & seorsim, rubeiq; videantur: hæ quidem apparentiæ fortissimos ventos vaticinantur. Ratio est, rubeos colores Martiam indicare naturam: diuersos, mercurialem. Quarè ille fumos siccosq; ventos demonstrabunt: hi fumos, ventosq; varios, & siccos in nocte, aut sequenti die promittunt: si huiusmodi signa in Solis occasu extiterint. Quòd si in ortu, aut in tali die, aut proxima nocte, ventos tempestatesq; denunciant: atq; ab illa parte, qua talia signa fuerint: venti flabunt. Quòd si orientem radij Solem præuenerint, qui occidentem rutili comitabantur: serenitatem futuræ ostendunt diei. Quemadmodũ si ad Solis occasum splendidus illuxerit circulus, noctem ipsam lucidam portendit: Si nubilus, tempestuosam. Qui si à Solis parte ceciderit: qua parte cadit, ventum denuntiat. At verò reflexi radij, retorti, atq; inter se recurui; pluuiam ostendunt. Quòd si aquas epotare cernantur: grauiorem etiam turbatiorem insinuat. At Solem orientem, aut occidentem si nigræ nubes, aut virides, aut viridibus nigræ permixtæ: circulusq; sic circa Solem apparens, cum hisce nubibus ascenderit, vel ab ambabus partibus Sol nubes habuerit extensas: in tali die dum Sol exoritur, aut nocte proxima dum occidit: pluuias, aut hyemalem aerem significant. Ante Solis ortum, & post Solis occasum, si fumus albus super aquas, paludes, & prata eleuetur: calorem serenitatemq; diei proximæ significat. Si mane, eo die: si nocte diem proximam, seù crastinam calidam indicat. Sole occidente hyemali tempore, si clarior solito, & rubicundior apparuerit quàm soleat: & tunc boreas, aut aliquis frigidus ventus flauerit: in sequenti nocte gelu significat. Maximi frigoris indicium est, præsertim in borealibus regionibus: Sol condens se in nube rubente vt ignis, colũna, & euaculans radios velut igneos, conos, & cuspides: inde Sole descēdēte in atrũ nubes vertitur: vel si ipse tetrior se condet, distensis tamen ab vtraq; radijs, & his subnigris: hybernum

Marginalia: Radij in ortu, & ante Solis ortum. — Radij laxiores. — Sol nubibus circũclusus. — Nubes rubentes. — Circulus vnicus circa Solem. — Circuli plures circa Solem. — Candidus circulus, & nebula circa occasum. — Sol candidus. — Circulus diuersicolor in Solis ortu. — Radij rubicũdi, & protensi. — Circulus splendidus, & nubilus. — Radij reflexi, & retorti, & epotantes. — Nubes nigræ, virides, similisq; circulus circa Solem. — Fumus albus super aquas, paludes, & prata ante Solis ortũ, & post illius occasum. — Sol occidẽs clarior, & rubicundior solito cũ frigido vẽtos. — Sol condens se in nube rubente.

Radij ſolares compreſſi ſi pungāt. Sol oriens maior ſolito. Halo, vel corona circa luminaria. Tegulæ guttas per vices ad impluuia dimittentes, ſplendente Sole. Sol vndiq; relucens, tanquàm ex ſpeculis.

bernum aerem, pluuiumq; indicat. Solares radij, ſi compreſſi à nubibus, pungunt: manifeſtam temporis mutationem decernunt, vel ad pluuias, vel ad ventos, vel ad tempeſtatem. Cum Sol oritur, & maior ſolito quàm ſit, apparet: pluuias ſignificat. Halo, vel corona circa luminaria quandoq; ventum, non numquam pluuiam portendunt, vt inferius quoque dicemus. Sufficit igitur ex his colligi varia circa Solem meteora, diuerſas temporum ſignificationes portendere. Sed sũt & alia ſigna: aliæq; obſeruationes. Splendente etenim Sole, ſi tegulæ guttas per vices ad impluuia dimiſerint, ac ſi pluuia iam paruo temporis ſpatio præceſſiſſet: imbres promittunt. Cardani obſeruatio hæc eſt de rerum varietate libro 15. cap. 88. Rurſus ſi Sol vndique relucea, tanquam ex ſpeculis, ventos, fulgura, imbres, grandinemq; indicat. Rationem affert Cardanus loco iam prærecitato, quia nimis ſplendet, atq; ob aeris craſſitiem, radijs fulget: aut quia loca in quę incidit, humore aeris madida tanquàm leuia, & polita radium emittunt.

Prædictorum confirmatio iuxta nonnullos viros Doctiſsimos. CAP. IV.

Ariſt. Theophraſt. Nigidius, Varro, Aratus, Theon, Plinius, Albert. Magnus, Virgilius, Ouidius Beda, Io: Nouiomagus. Pontanus. Ptholem. Haly.

QVAE iam enarrauimus, viris Illuſtribus communia ſunt: Ariſtoteli, Theophraſtto, Nigidio, Varroni, Commentario in Arato, Theoni, Alberto magno, Plinio pręſertim: Poetis ferè omnibus, Virgilio, Ouidio, & reliquis: Bedæ etiam, Ioanni Nouiomago, Pontano, cęteriſq; tum Neotericis, tũ vetuſtioribus authoribus. Sed concordant quoq; maiori ex parte ijs, quę tradidit nobis Ptholemęus libro ſecundo Quadripartiti cap. 13. vt intelligeremus authorem hũc clariſſimum, nihil quod in hac re neceſſarium eſſet, pręterm iſiſſe: tum quoq; vt ſciremus Aſtrologiam eſſe veriſſimam; tametſi nobis difficilem: Inſuper, & Haly quoq; congruere, vt dicemus. Docet itaq; Ptholemęus, quòd puritas & in colore, & in nubibus, & in obſcuritate ſignificat ſerenitatem. Radij autem, & nubes ſubrubræ, & refractiones veluti areæ, virgæ, & ſimilia ventos, ex ea parte, ex qua talia apparent: nigra, obſcura, vel ſubpallida: imbres, & hyemes. Verba eius hæc ſunt. Profuerit, & in particularium ſignificationum præuiſionibus notaſſe iuxta Solem, Lunam, ac ſtellas, apparentia viſa. Ac Solem quidem intuebimur orientem in iudicio tempeſtatis diurnæ, nocturnę verò, occidentem: ſed diuturnioris configurationem cum Lunæ illius, Nam ſingulæ figuræ tempeſtatem qualis vſq; ad proximam futura ſit, declarare conſueuerunt. Hæc poſtrema, ſed diuturnioris, & cęt. dixit: vt ſi quis ſtatum longioris temporis, quàm ſit die, ac nocte cuperet: inſpicere deberet ſtatum in hora, in qua Sol Lunæ per radios, aut per corpus iungitur. Quandoquidem ſignificatio illa ad ſequentem vſq; cum Luna configurationem iuuat. Sequitur deinde: ſi igitur pura luce, & expers caliginis, varietatis nubium, Sol orietur, aut occidet: ſerenam tempeſtatem pollicetur: in varietate autem orbis: cumque hic flammeus, rubenteſue eiaculari radios videbitur, ſiue illi directi, ſeu refracti appareant: itemq; cum illas ſolares nubes, quæ parelia dicuntur vna à parte informarit, nubiumq; figuras ſub rubras, radios in longum tendentes circum ſeſe habuerit: vehementes tum flatus ſignificantur pro ijs angulis quos reſpexerint viſa illa. Niger, aut luridus in ortu, occaſuue, ſi nubibus quoque inuoluetur, aut area vna à parte iungetur, aut ſolares illæ nubes vtrinq; aderunt, nec non radij

Meteora varia, & effectus. Profuerit ap pręttiaiuxta Solem, Lunã, & ſtellas cõ ſideranda.

Solis meteora, & earum ſignificationes iuxta Ptholemęũ.

ſub

ſub pallidi, aut nigri; minatur hyems, atq; imbres. Hæc ſunt, Quę Ptholemęus circa Solem apparentias obſeruandas ſcripſit: vt certius iudicium in temporum mutationibus haberetur. Quæ vero iuxta Lunam viſa obſeruanda liquit: infra ſubijciemus. Confirmat quoq; Haly de circulis circa Solem apparentibus, dicens Quòd ſi ſub niger circulus extiterit, hyeme niuem tempeſtuoſam, æſtate nymbum portendit. Qui ſi multiplicentur circuli vehementior effectus prodibit. Habemus itaq; Ptholemęo authore, quòd ſolare corpus in occaſu, ſi multicolor, rutilum, aut flamminoſum, cintumue fuerit claris, rutiliſque lateq; vagantibus radijs, atq; extra circulum diſperſis, parte qua ipſi radij iaciuntur: torrentiorem ventum portendit. Qui ſi radij liuidiores nebulis, aut circulis ſub nubecula intercludantur: hybernam auram cum pluuia prępſignificat. Quibus conſentit Virgilius; dum in ſua Georgica ita cecinit.

Solis meteora, & tẽporũ mutationes iuxta Haly.

Virgilius.

Hoc etiam emenſo cum iam decedet olympo
Profuerit meminiſſe magis: nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu, varios errare colores;
Caruleus pluuiam, denuntiat igneus euros:
Sin macula incipient rutilo immiſcerier igni:
Omnia iam pariter vento nymbiſque videbis
Feruere, &c.

Verum enimuero, cum authores circa Meteora, & præſertim effectus non conueniant adinuicem: nam (vt hoc pro exemplo vtamur) de Sole inter alia eius Meteora dicitur, quòd ſi concauus appareat, ventum, vel aquam præſagit, idq; iuxta Teophraſtum: Virgilius ventum Auſtrinum, & imbres prænuntiat; Plinius pluuiam tantum, non ventos. Idcircò opæræ prætium eſſe facturos nos arbitramur, illuſtrium virorum horum explicationes ponere, vt prudens Philoſophus omnibus circumſtantijs debitè penſatis, iudicium circa mutationes temporum ex meteoris certius proferat. Sol purpureus, & puniceus occumbens in triduum imbres potiſſimè præſignificat, ſed minus, ac ſi talis orietur. Similiter in bruma, ac vere ſi occumbens in nubeculam ſe condat, vt in pluribus in triduum pluuias prænũtiat. Exoriens ſi nigreſcat, ſi nubes concurrant aquoſæ, ac ſi antequam oriatur, radij ſe oſtendant: commune ſignum eſt aquæ, & venti, Nigidio, & Varroni. Dum labitur, ſi nubes incumbant, atq; ab ea radij diuidantur, hyemale tempus indicat. Si exoritur, & occidit feruens: pluuiam præſagit, ſi flatum non mouet. Porro autem in exortu feruens, nec ſuos fulgores emittens, ventorum nuncius: quia impeditur ab exhalationibus. Si concauus apparuerit, ventos, vel pluuias portendit. Theophraſtus, Aratus, Theon, Virgilius, Varro. Plinius verò pluuiam ſolum. Si autem per plures dies ferueat, flatus, & ſquallores per plures dies promittit. Item ventos, & pluuias prędicit ſi in exortu, illius radij partim ad Auſtrum partim ad Boream ſpargantur, quamuis circa illum pura ſit ſerenitas. Theophraſtus, Aratus, Varro, & Plinius. Porrò in vniuerſum ſigna mutationis temporum vtrumq; luminare indicat: nigra imbrium, ſeu aquarum, rubicunda verò ventorum. Ita ſentiunt doctiſſimi viri. Theophraſtus, Aratus, Virgilius, Plinius, & Ptholemæus. Magnus Albertus lib. 3. Meteor. tractum primò. Cap. 25, diſtinguit de rubedine nempe matutinam, pluuias: veſpertinam, ſerenitatem indicare. Quam ſententiam Federicus Bonauętura in Theophraſtum annotatione 6. in lib. de vent. ſignis euertere conatur: in ea perſiſtens opinione, quòd rubedo ventos tantum non pluuias præſagit vbique. At Albertus verum dicit, & præter ſuas rationes, hac quoq; noſtra perſuaderi poteſt nempe ob noctis humiditatem, quæ coacerata reſolui in pluuiam poteſt, percuſſa à Solis rubedine, quæ calorem indicat: veſpertina

Authores circa meteora, & effectũ non conſentiunt.

Sol purpureus, & puniceus ocumbens, & cet.

Sol exoriens ſi nigreſcat, & cet.

Sol in exortu feruens: & cet.

Solis radij ad Auſtrum, & ad Boreã ſparſi.

Magnus Albertus.

Federicus Bonauentura.

Alberti defenſio.

Vtriusq; sententiæ conciliatio. ſpertina vero potius ſerenitatem ſpondet ob diei caliditatem abſq; humiditate. Verum vt à nobis omnibus fiat ſatis, hac cōditione ambarum partium ſententiæ concordari poſſunt. Nam qui dicunt ventos rubedinem illam cauſare, debet intelligi, quòd ventos cauſet ſerenos: qui dicunt ſerenitatem, non excludunt vētos, niſi tempeſtuoſos, & pluuios. Sed de his alias. Sol impurus ſe condens, atq; vt in lapſu diuiſus: nubibusq, obtectus: ita dies erunt expectandi. Quemadmodum, ſi tertiam partem ipſius nubes occupent, & capiant, tertia ab occaſu die tempeſtas erit. Labens itaq; ſi tertia corporis ſui parte tectus, ſe condat: non ante tertiam diem hyematurum monſtrat; ſi parte dimidia, die ſecunda; ſi totus nubibus obſeſſus, occidat: prima die. Theophraſtus, & Aratus. Porrò autem Splendidus emergens abſq; feruore, rubedine, & nigredine, ſerenitatem prædicit. ſubinde purus hyeme occumbens, dummodo diebus elapſis in nubes minimè ſe condiderit, & ſi tempeſtate vigente, cæloq; perturbato, illius occaſus purus fuerit, ſerenitatem prædicit. Quemadmodum etiam bruma Sol occumbens, tempeſtate vigente, ſi pallidus fuerit, ſerenitatem, atq; aeris tranquillitatem promittit. Theophraſtus, & Aratus. Acuti ſoles, & feruentes, cum ex nube exeunt: ſæpe numero largum, & diuturnum imbrem præſagiunt Theophraſto. Item cum Sole emergente lux colorem quaſi eiuſdem deficientis imitatur: pluuiæ eſt indicium. Sed hactenus de ſignis circa Solem: videamus de his, quę circa Lunam apparent.

(Margin notes: Sol impurus ſe condens, & cet. — Sol ſplendidus emergēs & cet. — Soles acuti.)

De obſeruandis meteoris in Luna. CAP. V.

BENE dixit ſecundus Philoſophus, Lunam eſſe pręſagium tempeſtatum; nam & ſi cæteræ Stellæ id præſtant: Luna præſertim; partim ob ſui motus velocitatem cum cæteris coniunctionem; atq; affectum: partim quoq; quia elementis finitima, inde nobis: ac propterea crebrius ab ipſa temporum mutationes euenient, & Theophraſtus inquit Lunam noctu eſſe veluti alterum Solem. Incipiemus igitur & nos ſigna diſpoſitionum aeris, in Luna enarraturi, in primis a creſcente Luna: à naſcente profecto non in parte cœli orientali, ſed dum nobis conſpicitur iuncta Soli. Deinde à quarta die ortus eius, tertio à tertia die ante oppoſitum cum maiori lumine, & die tertio poſt idem oppoſitum. Quarto obſeruabimus dum lumine impletur. Quinto plenam lumine: Sexto tertium illius diem antequàm rurſus Soli copuletur: & tertium, poſtquàm Soli iuncta fuit. Septimo, & vltimo viſa eius in omni ſchemate. Naſcens itaque Luna ſi ab attracto ſuperiori cornu ſurrexerit: pluuias decreſcens dabit, ſi Lunæ cornua in ortu fuerint groſſa: tempeſtas horrida deſignatur. Si ſplendens exorta puro fulſerit nitore, ſerenitatem afferet: ſed id in quarta die maximè obſeruatur. Luna quarta ſi rubeat quaſi aurum, ventos creditur portendere: ſi nigra, pluuias, Beda addit: ſi ſummo in corniculo maculis nigreſcit: pluuidum menſis exordium oſtendit. Si in medio: plenilunium ſerenum. Luna inſuper quarta, ſi cornu Septentrionale acutum, rigidumq; fuerit: illum dubio procul præſagit ventum. Si inferius idem, Auſtrū: vtraq; verò cornua recta, noctem ventoſam portendere, maximè conſentaneum eſt. Amplius quarta ſi ſe habuerit fauonio vento flante: hyemalis erit tota, menſe. Subinde, ſi eadem quarta die Luna recta fuerit: tempeſtatem magnam in mari denuntiat. Quod ſi tunc circa ſe coronam habuerit, eamq; ſinceram: hoc modo non autem Lunam plenam hyematuram oſtendit. Conuenit tertio, vt Lunæ viſa

(Margin notes: Secundus Philoſophus dixit Lunam eſſe præſagium tempeſtatis. — Luna alter Sol noctu iuxta Theophraſtum. — Lunæ meteora, & ſignificationes in cornibus. — Beda. — Cornua Lunę quartæ.)

næ visa die tertia ante oppositum, & eadem tertia die post oppositum scilicet vel lumine plena: vel antequàm sit media in lumine, aut die tertio post sui luminis dimidiationem, contemplentur. Si igitur tunc, & nitida fuerit, atq; à nullo circumdetur vapore: serenitatem præsagiet. Si verò rubicunda fuerit, & pars minimè illuminata à Sole, clara apparuerit, & scintillans: flatus ventorum significat, qui ab illa parte prouenient: ad quam Luna declinabit. At si nigra, vel viridis: spissaque se obiecerit: hyemalem certe aerem, pluuiasq; indicabit. In quintam decimam progrediens, si eius cornua obtusa fuerint: pluuiam promittunt. Si erecta, atque insecta: ventos. In plenilunio, si circa Lunam vehementius flammæ apparuerint: sæuas tempestates portendit. In eodem si per dimidiam pura fuerit: dies significat serenos. Si rutila, ventos: nigrescens verò imbres. Quòd si orbe aliquo nubem incluserit: ventos designat. Quam si ruperit, & orbes gemini surrexerint: maiorem, vel minorem tempestatem secundum quod albi, aut nigri, quidam interrupti, aut distracti orbes fuerint: promittunt. Sextò obseruandus est dies tertius ante coniunctionem cum Sole, & tertius à Solis coniunctione; quando scilicet in parte cœli orientali, vel in occiduo cardine cum cornibus tenuibus, subtilibusq; apparet. Si namq; pura, nitida, clara, & à nullo vapore circumdata se obiecerit, & clarum quodam iubar à Luna prodire videatur: serenitatis nuntia erit toties, quoties. Si autem subtilis, & rubra, illaque pars, quæ à Sole non illuminatur, clara perspiceretur, sed scintillans, ventorum flatus portendet: & ex illa mundi parte qua colores veniunt, atque circa Lunam recedunt. Quòd si Luna nigra apparuerit, vel viridis, & spissa: tempus, vt bruma, atque pluuias præsignificare, nulli dubium erit; vt iam paulò ante enarrauimus. Quòd si Lunam tunc clarus circumfulserit circulus derepente solutus: serenitas iterum significatur. Si verò circulus geminetur, aut triplicetur: frigiditas, ventosaq; aura insinuatur. Et ideò certius, quo vapor veluti fumus lunarem circumdederit globum. Remanet tandem postremum explicare nimirum visa, & apparentias circa Lunam in quocumq; schemate. Si itaq; circa Lunam circulus vnus, & clarus apparuerit, qui tamen absumatur paulatim: aeris claritatem annuntiat. Si duo fuerint circuli, vel tres: hyemale tempus designant. Ratio naturalis adest: iudicium profectò esse abundantiæ vaporum. Si verò circuli clari fuerint, sed subrubri, & quasi abscissi: potentissimos ventorum flatus portendunt. Sunt namq; fumositates Martiæ: quia abscissio motum fumositatum significat: vndè & ventos validos, sed cum his aerem quoq; hyemalem, pluuiosumq; annuntiant. Verum si nigri, turbulentiue, vel saltem liuidi se obiecerint circuli, grandines, brumaleq; tempus denotant cum ventis: Quantoq; fuerint plures, tanto flatus temporis erit atrocior ob fumositatis augmentum, & spissitudinem. Quoniam vnus circulus ad alium fumositatem reuerberat, & torquet. In vniuersum verò Lunam albicantem esse humiditatis indicium: manifestum est viris clarissimis. Quòd autem insit nigricantis quippiam, frigoris signum habet. Alij verò sentiunt, rubedinem circa Lunam: vel serenitatem, vel ventum significare. Vnde Poetæ quidam cecinerunt.

Lunæ meteora tertia die ante oppositum, & post oppositum, & significationes.

Lunæ meteora in plenilunio cum temporum mutationibus.

Lunæ meteora tertio die ante, coitum & post coitū cum suis significationibus.

Lunæ visa, & apparentiæ in quocūque schemate, & ex his temporū mutationes.

Luna albicans.

Pallida sæpè pluit rubicunda flat, alba serenat.

In vniuersum verò ex luminaribus serenitas arguitur, si non obtusis, sed præacutis, & lympidioribus aciebus Stellæ micuerint: aut præacuta, claraq; exer-

cuerit cornua phœbe. Congruunt prædicta maiori ex parte doctrinæ Ptholemaicæ, locis prærecitatis allatæ. Vbi docet tres dies ante, & poſt interlunium obſeruandos, tres quoq; alios ante, & poſt plenilunium: quod etiam in tetragono obſeruari præcipit; & multa alia. Verba autem eius hæc ſunt. Lunam obſeruabimus in itinere ſuo dierum trium ante, vel poſt interlunia, ac plenilunia: & medium tempus, quo erga Solem quadratur. Nam tenui, puraque luce nitens, ſique nihil illam circumdet; ſerenitatem ſpondet. Sin tenui, rubea luce, ſique totus perſpicuus ſit orbis illius, etiam qua parte non illuſtratur, & tremere videatur: ventos maximè declinationis ſuæ ciet. Nigra, pallida, ſpiſſa: hyems, ac imbres minatur; Hucuſque Ptholemæus. Ioannes tamen Nouiomagus in ſuis ſcholijs ſuper Bedam, de natura rerum Cap. 36. ne dum apparentia in quarta Luna obſeruari debere ſcribit: ſed in prima, ſeptima, vndecima, decimaquinta: decimanona: vigeſimatertia vigeſimaſeptima: & interlunio. Quarum præſignificationes erunt, vt ſupra: ſcilicet, quod ſi tunc ſplendens cernatur, ac puro nitore fulſerit: ſerenitatem afferat. Si rubicunda, ventos: ſi nigra, pluuias: & cæt. Quarum quidem participatione multa intelligenda veniunt. Sed Lunæ mirum præſagium referunt nonnulli obſeruatum, vigeſimam ſcilicet ſextam Lunam: ſi ſerena illa fuerit: ſubſequi imbres, atque nebulas: ſi verò nubiloſa, & turbulenta: ſerenitatem. Sed id vt in pluribus non ſemper erit. Verum Ptolemæus ſequitur de areis circa Lunam viſis, dicens. Non negligatur animaduerſio arearum: quæ lunam interdum cingunt. Nam ſi vna fuerit pura, paulatimque euaneſcat: ſerenitatem. Sin duæ, aut tres, hyemes ſignificant: atque has cum ventorum turbulentia ſub rubræ, quaſique præruptæ: cum niuibus, ſi caliginoſæ, ac ſpiſſæ: ſi lucidæ, ac nigræ, & laceræ, tam cum his, quàm cum illis, eoque etiam vehementiores ſignificant illas, quo ipſe maiores fuerint, ex quibus plurea ſuperius intra prærecitata, Ptholemaicæ doctrinæ congruere dicuntur. Virgilius verò qualis tertia fuerit poſt incenſionem dies: tales hinc dies decem futuros ſpondet. Vnde & cecinit.

Ptholemæi doctrina circa Lunæ viſa.

Io. Nouiomagi obſeruationes circa Lunæ phaſes

Lunæ 26 mirum præſagium.

Areæ circa Lunam iuxta Ptholemæū.

Virgilij ſententia de qualitate Lunæ tertio poſt coitum.

Sin ortu quarto (namq; is certiſſimus author)
Pura nec obtuſis per cœlum cornibus ibit.
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo
Exantum ad menſem, pluuia ventiſq; carebunt.

Dicamus itaque in vniuerſum ad ſuperiorum dilucidationem, confirmationemque omnia, quæ viri clariſſimi circa Lunæ meteora ſenſerunt, atque obſeruarunt. Lunæ itaque cornua ſi fuerint obtuſa, Aratus pluuias, vel flatus Auſtrinos promittit, at ſi talia non fuerint, Virgilius ſerenitatem. Si acuminata vt Theophraſtus, aut prona vt Plinius, (quod certè in idem redundat) Ventos ſpondent: boreales, ſuperius: Auſtrales, inferius: vtrumque verò vtrorum prælia ventorum. Theophraſtus inquit menſem Aquilonium (hoc eſt frigidum) portendere ſuperius: inferius, Auſtrinum. Si ſupina: oppoſitum docet Aratus, nam ſuperius, & boreale flatus auſtrales: inferius, & auſtrale, boreales ventos. Si recta, Aratus in Phoenomenis, & Theophraſtus, occiduos ſcribunt. Theophraſtus verò adit ſupra Aratum, quòd ſi Lunæ cornua recta fuerint, dominante Aquilone, flare fauonios ſolere, hyemalemque totum menſem fore. Rurſus ſi vtraque cornua recta fuerint circa quartam, nec, vt debent, inclinata, nec pulchrè orbiculata, ad dimidiam vſque Lunam hyemari conſueuiſſe

Lunę cornua obtuſa acuminata, ſeu prona.

Lunę cornua ſupina recta.

uisse. At si Luna nigra, obscuraque apparuerit: pluuias prognosticari, par est si ignea, rubicundaque ventum. Aratus addit, si tertia à nouilunij die rectæ fuerint Lunæ cornua, fauonios fore: si quarta etiam similia appareant, tempestatem esse timendam. Porrò autem Plinius meteora circa totum mensem hyematurum diuersa affert: nempe, quòd si Luna ante quartam non apparuerit, fauonio spirante, ipsa toto mense hyemalis erit. Quod quidem iuxtà Aristotelem problemate 26. Sect. 26. à pulsu aëris prouenit, iuxta Theonem à motu aëris, iuxta Cardanum ab exhalationibus, vt dicemus inferius de Asellis. Quod verò de quarta scribunt Theophrastus, & Aratus, cum Virgilio, Plinius scribit esse etiam de quinta, nimirum in quinta Lunæ cornua obtusa, pluuias: erecta, & infesta ventos semper significare: sed quartam maximè iuxta Aegyptios. Si namque splendens exorta puro nitore fulserit, serenitatem: si rubicunda, ventos: si nigra, pluuias portendit. Sed cum Arato, Theophrastus de plena scribit: si splendida fuerit absque feruore emergens nullum in se præsagium habens, serenitatem, atque aeris tranquillitatem promittere: sicuti cum orbem impleuerit, si exoriens feruida, pluuiarum certè præsagire. Tempus verò mutationis ità explicat Plinius lib. 18. Capite vltimo. Nascens Luna, si Luna superiore obatro, idest frigido, surget: pluuias decrescens dabit, idest post plenilunium: si inferiore, idest australi, ante plenilunium pluuiæ portenduntur: si in media nigritia illa fuerit, hoc est, si nigritia illa inter vtrumque cornu, in plenilunio, vel circa plenilunium imbres dabit. Sed hactenus de præsagijs circa Lunam: nunc ad Planetarum cognitionem ad oculum animum intendamus, deinde illorum præsagia ex meteoris habebimus.

Luna nigra, obscura, ignea, rubicunda.

Arato Lunæ cornua quid significant.

Lunæ meteora iuxta Plinium.

Meteora de quarta Lunę iuxta authores Plinius de quinta etiā affirmat.

Tempus mutationis à Luna iuxta Plinium.

De Planetarum cognitione ad oculum, vt aeris mutationes inde habeantur.

CAP. VI.

NON solum luminaria apparentias habent, & visa: sed & reliquæ erraticæ, atq; fixæ. Nam quemadmodum illa vapores circumdant, ità & alios planetas, atque inerrantia sidera; quamuis inæqualiter. Quarè operepretium est, vt postquàm de luminarium meteoris dictum est: dicatur, & de reliquorum coloribus. Verum cum planetæ non ab omnibus cognoscantur, & fixæ à paucissimis: hanc ob rem primo dicemus de ipsorum cognitione ad oculum, deinde de signis dispositionum aeris in illis. Cognoscuntur quidem planetæ, vel inter se, vel ad fixas relati. Inter se cognoscuntur motu, magnitudine, & colore, seù lumine. Motus sapientibus innotescit. Magnitudo, & color ab omnibus dignosci possunt. Sol, & Luna cunctis manifesti sunt: nisi cæcis, aut stultis. Saturnus planetarum supremus plumbei coloris est, & pallidus: ideo minus splendet, quàm Mars. Mars Ioui poximus rubi-

Stellæ erraticæ, atq; fixæ apparentias etiā habent, & visa.

Planetarum cognitio deplex.

Saturni cognitio.

Martis cognitio.

rubicundus, & micans est flammeo colore, sed subobscurus, & rutilus: ac ideo videtur, vt plurimum quasi scintillare; quemadmodum & Sol ob luminis excellentiam: æqualis est Saturno in aspectu. Iuppiter Saturno proximus, candidum, splendidumq; colorem habet: ac planetarum postremus, qui iacit vmbram: omnes excedens stellas præter Venerem. Venus, quæ Soli proxima, & lucifer dicitur, dum Solem matutino præcedit tempore: vespere, dum vespertino sequitur: splendidissima est inter stellas cœli, candidissima, & maxima, buxei coloris: in Lunæ contactu, nec delitescit, nec hebetatur: post Lunam prima est, quæ vmbram iacit. Semper quasi conspicitur; quinimò (res mira quidem) cum Soli cōiungitur, vagans in magna latitudine, non totum quandoq; biduum obscuratur: Ità vt teste Fregio lib. 17. quæstionum physicarum vesperi post Solis occasum, conspectu, duabus interiectis noctibus, statim altero die ante Solis ortum, mane cernatur. Quinimò, quod magis refert, fieri quandoq; potest in regionibus serenioribus circa primas Arietis præsertim, vt initio, idest vespere, & fine, hoc est mane eiusdem noctis cernatur: his tamen circumstantijs; vt magnam scilicet habeat latitudinem in Septentrione, non minorem certe sex gradibus, vigintique minutis: Sitq; in Epicicli perigeo in ima parte. Tunc quidem, & grandior conspicitur: atq; fulgentior. Quod etiam omnibus planetis accidere manifestum est. Dum etenim in suis fuerit perigeis, atq; in ima Epiciclorum suorum parte discurrerint (sermo est de his, qui habent) maiores vtiq; videri, experientia ipsa semper testata est. Sed quid quod Venus in meridie quandoq; apparet; res mira, sed verissima. Mercurius medius inter Venerem, & Lunā paruus est, sed lucidus, quamuis non candidus: raro videtur, quia semper comitatur Solem: quo fit, vt à vicini Solis fulgore obscuretur: sed præsertim in illis regionibus: quorum horizon obliquior est. Maior elongatio eius à Sole non est plus partibus viginti & octo ferè: quemadmodum Veneris quadraginta octo ferè iusta obseruationes: rametsi ex viris illustribus pleriq; & ex nostratibus Iouinianus Pontanus, senriunt Venerem à Sole posse elongari quinquaginta quinque partibus. Pontanus etenim sic cecinit.

Iuppiter quomodo cognoscitur.

Veneris cognitio.

De Venere mirabilia.

Planetę quā do maiores conspiciuntur.

Mercurij cognitio.

Mercurij, & Veneris elōgatio maior à Sole.

Pontanus.

Alma Venus Cœli vndecies vbi quina peregit
Momenta Boo, seù eum nitet aurea mundo,
Oceani Hesperias, seù eum declinat in vndas,
Ipsa vmbram in terris obtendit, vt æmula phœbes.
Ipsa dies radios ostentat, vt æmula Solis.
Et lucem terris, & cœlo lumina prabet.

Reliquorum verò erronum, vt Saturni, Iouis, Martis, & Lunæ maior elongatio est dimidium circuli: nempe partium cētum, & octoginta. Verum enimuero ad fixas planetę relati, tripliciter differunt. Primò scintillatione, quia planetæ non scintillant, fixæ scintillant: quædam frequentius, aliquæ verò tardius. Secundo habitudine, quia fixæ semper eamdem inter se seruant habitudinem, Planetæ nequaquam: quippe qui videntur modo vni stellæ propinquiores, quandoq; remotiores. Postremo differunt aspectu, nam planetæ cum inerrantibus coniunguntur, ad oculum videntur illis inferiores: illæ verò altiores. Sed lubet hoc in loco etiam planetarum occultationes adinuicem explicare, vt facilius illorum cognitionem assequi possis; inferius vero agemus de fixis. Sciendum itaq; est nullum planetam alium omnino abscondere, nisi Solem. Hic certè omnes occultat, Luna excepta: quam etiam sibi propinquam ad quindecim gradus, & quandoq; ad viginti abscondit. Venerem quoq; non occultat concurrentibus prærecitatis circumstantijs. Luna nullum planetam occultat. Quandoquidem Venerem & Iouem nedum minimè occultat: sed nihil splendoris illorum etiam contactu suo

Planetarum ad fixas relatorum triplex discimen.

Planetarum occultationes adinuicē.

suo minuere potest. Saturnus, & Mars, solum hebetantur in contactu. Mercurius verò ante duos gradus occultatur, nisi aere existente sereno: citra verò nō occultatur omnino non nisi ob Lunę paruitatem cum iungitur ei, non ob Mercurij lucem. Saturnus, & Mars prope Iouem, & Venerem parum habetantur; sed nihil occultationis, aut diminutionis apparet. Mercurius nullo modo disparet cum Venere aut Ioue; sed exiguus apparet.

De signis dispositionum aeris in quinque erraticis.
CAP. VII.

Aeris qualitates ex quinque erraticarum coloribus venādæ. Color niger rubeus viridis, varius circa Saturnum.

PRVDENS Philosophus planetarum cognitionem ad oculum assequutus, videat quis color planetam cingat; & ex planetæ, colorisq; natura temporis significationem enunciet. Nam color niger si Saturnum circumeat, frigiditatem, siccitatemq; significare maximè consentaneū est, si rubeus; ventos cum frigiditate indicat. Si viridis, bruma pluuidum. Si varius siccos ventos, & fumositates. Sicq; iuxta colores eorum significata indicare, necessum est. Verum inspiciendus est quoq; planetæ particularis influxus talem colorem recipientis. Vt si Martem viridi colore, aut nigro, vel saltem vmbroso circumuolutum respexeris: vaticinare pluuias, tempusq; brumale. Cumq; Martia stella radijs perpendiculariter hosce vapores influat, eleuetque: illius robur quoq; & vires rimari expedit. Dicendum igitur est tales vapores circa Martem, cum sint virides, pluuias portendere tonitruosas, ventosasque: tametsi non ita abundantes cum aeris scintillationibus tamen, & tempestatibus. Colores itaq; planetarum, & significata eorumdem, ita se habent.

Circa Martē colores.

Color a Saturno per vaporem eleuatus, niger est: ergo frigiditatem, siccitateq; atq; sterilitatem denuntiat. Color albus cum croceo mistus circa Iouem, temperatas aquas, sanitatem, aeris temperiem, auramq; suauem promittit. Color rubeus apparens circa Martium sidus: caliditatem, siccitatem, incendia, ventos asperrimos, tempestates tonitrua, & fulgora præsignificat. Croceus color cum albedine quadam circa Venerem apparens, temperatas pluuias, serenam auram, iucundamq; denuntiat. Color cęruleus, & varius Mercurium circumiens, aeris varietatem, ipsiusq; inconstantiam designat: Quippè qui nunc serenitatem, nūc pluuias, modo ventos, nunc tempestates, siccitatesq; influit. Porro si color circa Mercureum rubeus apparuerit: tempestatem, ventos calidos, atq; siccos, & diuersa temporis infortunia denuntiat. Hyeme si conspicitur, frigora nuntiat, æstate, æstus, iuxta Theophrastum. Horum causæ iam plures tactæ sunt superius.

Saturnius color. Iouius. Martius. Venereus color. Mercurialis.

Nam quemadmodum Sol calidus, atq; natura siccus, propensior est ad serenitatem, aerisq; pulchritudinem ex se, quàm oppositas dispositiones inducendum: licet per aliud possit: & è regione frigidior, humidiorq; Luna, pluuias, & aqueas immittit impressiones: ita Saturnus pro sui frigiditate, & siccitate mortifera obscuritatem, nebulas, humanæq; vitæ contrariam habitudinem, intemperiem, atq; destructionem inuehit. Iuppiter pro sui temperata qualitate temperiem, serenitatem, ventosq; prosperos: ac ea quæ sunt homini salubria influit: quamuis tonitrua, & fulmina cieat: sed moderatiora. Mars siccitates superfluas, tonitrua, grandines, noxios calores, ventos insalubres, atq; intemperiem cum his, quæ hominis temperamento aduersantur. Venus serenitate, pluias salubres: eaq;

Planetarum influxus ex meteoris.

quæ

quæ hominis complexioni conferunt. Mercurius tandem temporis inconstantiam cum appendicibus suis. Ergo colores quemadmodum erunt, planetam cingentes: ita pro illius natura aëris qualitates afficiet. In vniuersum planetæ scintillantes, magnam fore aeris mutationem sapientes experti sunt. Hyemali tempore si etiam scintillauerint: magnum frigus, & gelu demonstrant. Si clariores apparuerint quocumque tempore, elementorum alterationem expectato: sed ventum præsertim ea parte, qua splendor emicat; sed in bruma magni extat frigoris indicium. Si maiores quàm sint, apparuerint (nisi per imam circulorum suorum partem discurrerent) ventos quoque pronuntiant. Planetarum lux cum obumbratur siuè per caliginem, siuè per nebulam: graues ostendit tempestates. Congruunt quę diximus magna ex parte his, quæ Ptholemæus docuit locis prærecitatis: nempe areas stellis circumduci; quarum color, & stellæ natura, quod futurum est; pronuntiant. Vt nigra, & liuida Saturnia sunt: ac propterea tempestates, orientalesq; ventos significare indicium est maximum. Rutila, & Martia, turbulenta tempora cum tonitru, & fulguribus: sicq; de reliquis sentiendum est iudicium. Quæ omnia etiam circa fixas considerandа veniunt: vt statim dicemus. Vt si nubes fuerint subobscuræ, nusquàm tamen nubes in cœlo constent, ac per hoc parcioris luminis aerem tum interturbari: multamq; vel pluuiam, vel niuem pro temporis conditione signant cieri. Quæ si apparuerint rutilæ, claræ, lucentes, ventum portendunt: & similia similibus congruent, de quibus omnibus inferius à nobis tractandum est.

Planetę scintillantes.

Planetę maiores apparentes.

Planetarum lux obumbrata.

Ptholemaica doctrina.

De fixarum cognitione ad oculum ad temporis mutationes dignoscendas ex vaporibus. CAP. VIII.

QVEMADMODVM erraticas circumire solent vapores: ita & fixas. Vnaquæq; enim stella suum habet influxum, ità à suo conditore in sui primordio stabilitum, atq; decretum sua admirabili prouidentia, pro inferiorum gubernatione: ac proinde ex sua natura vaporem eleuabit, vt igitur aeris qualitates ex illarum coloribus prænosci possint: fixas quoq; cognoscere, necessum est. Indè etenim certius iudicium sumes de temporis mutatione: sed non singulas sigillatim. Id nàq; ad Astronomum pertinere, clarum est omnibus, sed in genere: puta illas venari ex magnitudine, & reliquis accidentibus. Dicemusq; etiam si à planetis occultantur: sic namq; ad illarum cognitionem facilius peruenies. Superius libro primo, Capite 32. inerrantium siderum discrimen subtiliori digressione posuimus: nunc huius occasione vt cumq; id expendemus. Annotandum itaq; est, fixam à fixa sex modis differre: magnitudine, splendore, scintillatione, colore, configuratione, & situ. Magnitudine primo discriminantur adinuicem, cum quædam sint primæ magnitudinis, nam reuera sunt magnæ: aliæ minores his, & sunt secundæ magnitudinis. Tertiæ, sunt mediocres: Quartæ, paruæ: Quintæ, minimæ: Sextæ, pusillæ. Secundò differrunt splendore, quandoquidem aliæ plurimum splendent, aliæ mediocriter: quædam parum, nonnullæ nihil, sed quasi nebula videntur: tametsi magnæ, & sunt nebulosæ. Differunt tertio colore, quia nonnullæ sunt albæ, quædam pallentes: quædam buxeæ, nonnullæ autem plumbeæ: aliæ aureæ, quædam verò rubeæ: ex planetarum natura, & qualitate colorem sumen-

Stellæ quælibet suum habet influxum à Deo sic stabilitū.

Fixarum discrimina adinuicem.

Et primum ex magnitudine.

Fixarum discrimen ex splendore.

Ex colore.

Ex configuratione.

umentes. Discriminantur quarto configuratione, cum aliæ trigonum constituāt, aliæ circulum, nonnullæ quadrangulum: aliæ rectam lineam. Polus mundi cū postremis duabus currus in vna est quidem recta linea. Pleiades à stellarum multitudine glomeratæ videntur. Corona in modum circuli circumcigitur. Hædi quasi vnum longum sidus efficiunt, cum sint duæ paruulæ stellæ simul iunctæ. Similiter Orionis cingulus tres stellas magnas quidem, ac splendidas, ità in directum iunctas habet: vt cinguli referant speciem. Hæ quidem obliuionem sui non admittent: si sępe obseruaueris illas: & à memoria numquàm excident, si semel, bis, & ter fuerint cognitæ. Discriminantur quinto fixæ adinuicem scintillatione. Nam aliquæ micant rarissimè, vt Regulus; qui ob id multoties planeta judicatur. Quædam mediocri scintillatione apparent: vt pes, & humerus Orionis. Nonnullæ, verò frequentissimè, vt Procyon: idest Canis minor. Quæ autem in ore maioris canis est, Canicula vulgo appellata, pulcherrima, & splendidissima est inter quascumq; stellas nostri climatis visibiles: vndè iucundissimè micat. Postremo situ differunt, vel inter se, vel ad Planetas relatæ. Hoc quidem modo facile cognosci possunt. Nam si Aldebaram hoc est oculus Tauri, vel eius opposita Antares, seù cor Scorpij (vna quidem alteri oponitur, & si vna ascendit: altera necessarò descendit, vel è regione) Saturno sit posterior duodecim partibus, vel Ioue viginti, quamquàm in Planetis loci obseruatio non sit tàm cōstans ob motus, velocitatem, cognitis Saturno, & Ioue per Caput sextum: absq; dubio stellam plus orientalem partibus duodecim, vel viginti, quæ maximè splēdet: Antares, vel Aldebaram esse tenebis. Primò autem modo, hoc est inter se: cum inerrantia sidera eodem loco semper toto anno oriantur, occidant, & cœlum mediant: si loca ipsa obseruaueris, facile ad illorum cognitionem deuenies. Quinimò impossibile est illius obliuisci: si tot circumstantijs stellam memoriæ comendaueris. Verum enimuerò ex earum occultatione, & apparitione respectu planetarum: facilior quoq; habebitur omnium cognitio. Luna cuncta inerrantia ad vnius partis propinquitatem occultat: at illa, quæ sunt secundæ magnitudinis ad partes tres. Porrò Luna lumine vacua, aereq; valde existente sereno, non occultantur. Quæ autem sunt tertiæ, quartæ, & quintæ magnitudinis cum reliquis à longè abscondit; præterquam in ortu, vel in occasu. Mercurius nullas occultat ob paruitatem, à nullis occultatur, quia lucidus: à Beneneis occultatur, quia maiores, Iuppiter, & Venus fixas paruas ad partē octauā vsq; occultant omnino. illas quæ sunt tertię, quartæ, quintę, & sextę magnitudinis in contractu occultant. Quæ autem sunt secundę magnitudinis, redduntur hebetes: primę hebetiores, tametsi minores nullo modo videntur. Saturnus, & Mars quintę, & sextę magnitudinis stellas exterminant, ità vt omnes euanescant: tertiæ verò, & quartæ iuxta eos hebetantur. Porrò cum stellis secundę magnitudinis pugnant, non tamen occultant eas: quamuis lumine clariores appareant, & paululum, quasi nihil hebetiores reddunt. Cum bebenijs verò, seù fixis primę magnitudinis pugnant, & vincuntur, non tamen hebetantur. Ex quibus omnibus dilucidè habetur, quomodo fixæ semper & cognosci, & memorari poterunt: vt indè aeris qualitates ex coloribus certiori coniectura sumantur.

Fixarum aliquarum cōfigurationes

Fixarum differentia quinta ex scintillatione.

Fixarum postrema differentia ex situ.

Fixarum occultatio, & apparitio respectu planetarū: & primò Lunæ.

Mercurius nec occultat neq; occultatur nisi à Benenijs.

Fixarum occultatio a Ioue, & Venere.

Saturnus, & Mars quas stellas occulsant.

De

De fixarum significationibus ratione vaporum, seu exhalationum. CAP. IX.

Meteora Saturnia.

Meteora Martia.

SIDERVM inerrantium cognitione habita, videat prudens Philosophus, qui vapores illa circumdant, seu exhalationes ambiunt: cuius sint coloris, & cuius naturæ, atque temperamenti. Quandoquidem (vt de planetis dictum est) si meteora illa nigra, & liuida fuerint, quæ fixas cingunt: tempestates, ventosq; boreales pręsignificant, & brumale tempus: cum illa sint Saturnia. Porrò si fuerint rutila, rubicundaq; tonitrua, fulgura, turbulentaq; tempora designant: nam illa Martia erũt.

Mercurialia

Iouia, & Venerea.

Stella, & color eiusdem naturæ.

Stella, & color diuersæ naturæ.

Fixa mista, seu composita.

Si fuerint varia, inconstantia tempora denuntiant cum ventis: quoniam Mercurialia illa innuunt. At si albicantia fuerint, serena tempora cum temperatis aquis, & ventis portendunt: illa etenim Iouia, Venereaq; erunt. Quòd si vapor, seù color stellam eiusdem naturæ ambierit: puta si vapor, & stella eiusdem naturæ puta Mercurij fuerit, tanto maior, certiorq; erit effectus: quia significatum augetur. At si vapor, seu color sit naturæ Martiæ, stella verò Iouiæ: coniungito vtriusq; significata simul, & sic vaticinare; Nam natura vincens, vincet. Secus significata erunt mista, quia vapores, coloresue sunt misti. Quòd si stella fuerit mista, seu composita scilicet naturæ saturniæ, deinde Iouiæ, & postremò Mercurij: vide aream, seù circulum cuius sit naturæ, & vbi videris illa plurium & similium naturarum in vnum coeuntium, sic iudicato. Sin aliter tempus erit inconstans, & varius, vel anceps.

Stellarũ omnium circuli seu limbi quo spissiores, eò durabiliores effectus.

Rursus quanto circuli, & limbi, quæ sunt secundum ambitum intus contentæ spissitudinis, seù spissitatis, spissiores fuerint: tanto durabiliores erunt effectus; quantò tenuiores tantò citiores, & debiles. Dicamus & nunc de illarum lumine. Nam idem iudicium fumi debet de fixis, quod de erraticis: eadem est enim ratio vtrobique. Nisi quòd fixarum effectus constantiores, tardioresq; apparent: erraticarum citiores, & minus constantes: quia hæ motum citiorem habent, illæ tardiorem.

Fixæ obumbratæ, & effectus.

Stellarum lumen albicans.

Cum igitur fixarum lumen obumbratur non per nebulam, neq; per caliginem: sæuas indicat tempestates iuxta stellæ, colorisq; naturam, vt iam dictum est. Subindè, si stellarum lumen albicauerit, hoc est, si in Astris albedo apparuerit, quod Theophrastus ex aliorum sententia dicit, si in illis splendida quasi grando appareat: sæpe numero grandinem promitti, asserunt. Ratio est, quia cum grando album colorem pręseferat, colorem illum in stellis grandinem promittere, par est: quia similis.

In stellis multa tamquam millij grana splendentia.

Si verò multa tanquam millij grana exigua splendeant, si ventus quidem fuerit, tranquillitatem: si non fuerit, pluuiam portendi, aut flatum ipsum ob fumidæ exhalationis dominium, vel quia à vapore sicco vincitur exhalatio.

Stellæ plus solito scintillantes, & in hyeme clariores.

Fixæ maiores, micantiores, & lucidiores.

Fixæ distantes si vicinio res appareant.

Si stellæ plus solito scintillauerint, temporis mutationem ostendunt cum vento: At hyemali tempore brumam, & intensum gelu demonstrant. Idem quoque prænuntiant, si in hyeme clariores solito apparuerint: indicium etenim magni frigoris extat. Rursus fixæ, cum maiores, micantiores, lucidioresq; apparuerint, quàm soleant: ventorum flatus indicant. Qui ex ea parte flabunt: in qua stellæ lucidiores micauerit. Quinimò quotiescunq; vulgares stellæ densæ, opacæ, grossioresq; solitò apparuerint: indubiam aeris impressionem, aut alterationem insinuãt. Si autem inter se magnam habuerint vicinitatem quam certè alias nõ habebant: sed sic apparuerint, vt Pleiades, Hiades, & aliæ quæ sunt in Geminis, ventos

etiam

etiam significant. Fixæ parum in cœlo lucentes, vt nebulosæ, & quæ tempore sereno, atq; sincero vix apparent, si spissæ cernuntur, aut cum cœlum minutissimis,& propinquissimis stellis inter se plenum visitur,vt superius tactum est Cap. 2. pluuias,& brumale tempus annuntiant. Ratio est,quia nonnulli vapores mediam aeris regionem ascenderunt:stellæq; inuisibiles ob paruitatem, & absq; vaporibus: iam ob intermedios vapores,illarum radij vtrumq; disgregâtur:ac propterea visibiles fiunt. Igitur cum cælum plus solito stellis plenum cernitur, indicium est,vapores iam aerem ascendisse: vnde pluuias effundit, & in terra brumã excitat. Conformia sunt,quæ diximus maiori ex parte his, quæ nobis reliquit obseruanda Ptholemæus in hac re diligentissimus obseruator locis prærecitatis. Dum sentit multum valere in signatorum particularium prognosticatione, quæ circa Solem, Lunam, & stellas obseruare conuenit. Quod particulariter dearticulans textu sexagesimo nono iuxta Cardani sectionem, docet: quòd errantibus, ac inerrantium splendidis circumfusæ areæ de proprietate coloris sui portendunt ea, quæ naturæ ferunt stellarum. Inerrantium etiam quasi turbulas aspiciemus: quo illa colore, quaq; magnitudine videantur. Nam si splendidiores, grandiores q; solito appareant: quacumq; in plaga cęli luxerint,ab illa ventos concitabunt. Quin etiam nebulosi gyri, qui dicuntur, vt in præsepi, & alibi, propriè si sereno cœlo, aut exiles sint, visumq; effugiant, aut perdensæ esse videantur nimbos, imbres, aquarum lapsum: puri verò, ac vibrantes turbulentiam ventorum portendunt. Iam si stellarum earum, quæ vtrinque ad præsepe cernuntur Asinorum appellatione, vna quæ Septentrionalis sit, non appareat, flabit Aquilo. Si verò altera Australis non appareat, flabit Auster. Ex quibus verbis habetur Asinum Borealem cum non videtur, ventos cire Boreales. Rationem affert Cardanus verissimam, nempe cum ventus fiat eliso vapore à regione frigida versus nos, si stella non videtur: indicio est vaporem ibi esse congregatum, qui stellam tegit: ac propterea elisus, ventos à Septentrione portendit. Nec obstat stellam illam declinatione esse Australem (non declinatione à signifero, sed respectu nostri visus, & Aegyptiorum) quia cum vapor, seu exhalatio (sumimus nunc vnum pro alio vt saluetur Cardanus, nam aduersatur Aristoteli secundo meteor. dicenti ventum fieri ab exhalatione,) Borealem stellam obumbret, non Australem, illæque cum stella nostro obducitur oculo: Signum est ventum fore Borealem, non Australem. Paruæ etenim sunt stellæ, & parui luminis, quinimò obscuræ ob id à quocunque minimo vapore, vel exhalatione occultatur: ac propterea cum Australem non abscondat, Austrum non indicat ventum, sed Borealem. Ex quo generalis extrahitur regula, scilicet: quotiescumque ex paruis stellis aliquæ non visuntur, aliæ verò eis proximæ videntur: tunc ventum ex contraria parte illius paruę, quę videtur, expectato. Illustri hoc demonstrat exemplo Cardanus locis prędecitatis: quod & nos compendiosè exequæmur. Si duę, verbi gratia, fuerint stellulę, quarum vna inter Septentrionem, & Orientem sit posita, & non videatur, vapore circumfusa: alia verò orientalior, sed in eodem situ quò ad Septentrionem, sed videatur, tunc ventus occidentalis erit; Quia Occidentalior ex his vapore obumbratur: ac ideò non cernitur. At qui ventus occidentalis? respondetur, quòd ventus erit Corus. Nam cum in æquali situ ad Septentrionem stellula posita videatur: Borealis regio pura erit. Ergo sequitur ventum fore Occidentalem, & ad Boream declinantem. Nam Borealis regio, & si pura sit, non tamen

Fixæ parum lucentes, & vix apparētes, si spissæ cernantur.

Doctrina Ptholemaica.

Stellæ splendidiores, & grandiores solito.

Nebulosi gyri.

Asinus Borealis cũ nõ videtur, ventos cit boreales.

Cardanus aduersatur Arist. in diffinitione vēti.

Regula generalis.

Cardani illustri exemplum.

Quæstio.

Responsio.

purissima: quia suppositum est, stellam illam, quæ obumbratur, occultaturque esse borealem. Ergo ventus erit occidentalis paululum ad boream declinans. Talis itaq; ventus corus erit. Rectè vir hic clarissimus demonstrat. Vide igitur & tu quæ ibi digreditur. Itaq; si obscurum, atrumq; fuerit præsepè, pluuias portendit: si concrescat, tempestatem: si purum, ac splendidum serenitatem dat Theophrasto, Ptholemæo autem purum, & coruscans ita, vt tremere videatur: ingentes ventos, vt antea diximus. Aratus verò dicit cum Plinio, quòd si desinat apparere: tempestatis est indicium. At verò Plinius addit, quòd si cęlo sereno apparere desierit, atrocem hyemen sequi. Si autem alteram earum aquilonia: caligo abstulerit, Austrum sæuire: si Austrinā, aquilonem. Quod autem inquit Theophrastus, Asellos in signo Cancri reperiri, cui adstipulantur Plinius, Ptholemęus, & alij: verum dicit tempore suo. Quandoquidem tunc partes quinq; cum 40. ferè scrupulis Cancri obtinebat: Ptholemęi tempore partes decem cum scrupulis 20. eiusdem Cancri, & paulò amplius, hac ætate scilicet 1612. partem vnam cum 53. scrupulis Leonis. Sed remanet dicendum, quod si volantes, aut decidentes videris stellas, parte qua decidunt: expectandi sunt venti. Et eo quidem fortiores, quo volatus, casusq; apparuerint frequentiores pluuiam etiā addit Theophrastus & ex qua parte traijcurrent, inde imbres erunt. Quod si ex oppositis volauerint regionibus, turbinem: si ex quatuor concidere videntur cæli plagis: totum interturbari aerem, misto etiam fulmine, suspicandum est. Sed Theophrastus docet ex qua parte astra discurrere, si sint plura, ex illa ventum prænuntiare: quòd si vndiq; discurrant, multorum flatuum futura prælia ostendere.

Præsepis Meteora varia cum effectibus.

Asellorum loca mutata.

Cometæ quid portendunt circa temporum mutationes.
CAP. X.

INTER visa, & apparentias omnes, quæ meteora dicuntur: nullum illustrius Cometa. Quippe qui vincit cuncta, materia, motu, aspectu, forma, diuturnitate, atque effectu. Hanc ob rem ante alias apparentias de ipsis primò tractabimus sic sicco pede: videbimusque. Solum circa temporum mutationes quid portendant. Supponimus itaq; pro nunc esse vnum ex Meteoris. Nam de Cometis extat tractatus noster cum his quæ de rebus Meteorologicis scripsimus: non dum excusus. Ibi certe longe digredimur de illorum materia, forma, efficiente, fine, atque de omnibus consequentibus: ibidemque ostendimus re vera cometam esse de cælesti materia, generarique in cœlo ex luminum aggregatione, radiorumque stellarum refractione, reflexioneque, statis ac certis temporibus: idque non friuolis, ac vagis, sed firmis, solidisque rationibus. Quotiescumque igitur Cometa in mundo apparuerit, toties orbi terrarum angustias pronuntiato: & tamdiù duraturas, quādiù Cometæ perseuerabunt durabūtq;. Tēpus verò effectum alibi scripsimus. Sed durationis ipsorū lōgissimū est octuaginta dierū: breuissimū, septē iuxta Pliniū. At Cardanus lib. 2. Quadripartiti Capite 9. in Ptholemæum habet, quod longissimum tempus vix sex menses excedit: & plerumq; finitur ante trigesimum diē, sed numquam ante septimum. Verum Flauius. Iosephus lib. 7. de bellò Iudaico scribit tempore suo per annum illustrem affulsisse Cometem supra Hierosolymam

Cometæ dignitas super omnia meteora.

Cometa nō est ex elemētis, sed de cælesti materia.

Cometarum duratio varia.

lymam, excidium certe illi portendens. Quod & sequutum est: longe iam antequàm esset à Christo Domino prænuntiatum in pænam incredulitatis Iudaicæ gentis:cum flens dixit. Quia si cognouisses & tu,& quidem in hac die tua,quę ad pacem tibi,nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis:quia venient dies in te; & circūdabunt te inimici tui vallo: & circumdabūt te,& coangustabūt vndiq; & ad terrā prosternent te,& filios tuos,qui in te sunt, & non relinquent in te lapidē super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Poterat quidem Saluator noster absq; Cometa signo Hierosolymorū ciuitatē euertere: sed voluit vt appareret tanquā signum destructionis, quemadmodū & alij apparentes similia mala significant. Nā attoniti,& perterrefacti homines Cometas spectantes,mala futura expectant: quia sic tot seculorū obseruatio testatur.Ita & Iudeis affulxit,vt intelligerēt aduenisse tempus euersionis vrbis: & recordarentur verbi summę veritatis,quod dixerat Christus Dominus filius Dei in eorū perniciem.Verū hoc interest inter hunc Cometā,& alios:quod hi naturales sunt,ille autem(quemadmodum & fulgens Cometa in stellæ formā,in eius natiuitate Regibus apparens) miraculo, & præter naturam apparuit,quia per annum. Significant igitur Cometæ tempestates, ventorū flatus solito impetuosiores,siccitates nō naturales, aeris vitia,pestiferasq; qualitates:ex quibus sequi animātiū interitus,frugūq; corruptiones necessum est:inde pestis,fames,& similia subsequuntur.Ratio est,quia fumi illi iuxta illorū opinionē asserentium Cometas esse de meteororū numero,post incēdium consumpti,atq; dissipati ventos augent sicq; & venenatos:ac propterea siccitates afferunt,& aeris infectionem. Verum iuxta rerū cœlestium peritos,cum sint Martiæ, & Mercurialis naturæ citra varias tēporum mutationes æstus quoq; bella,tumultus,Principū interitus,ac molliorū hominum neces ob siccitates,& similia significare,maximè consentaneum est.At diligenter est videndum,cuius coloris sint Cometæ,num Saturnij, vel Martij,vel Iouij,vel Venerij, vel Mercurialis: ita enim suos producent effectus, tametsi Martiam, & Mercurialem naturam principaliter,& semper retineant. Quarè si color fuerit fuscus plumbeus,& subobscurus, Saturnius erit Cometa, producetq; Saturnios effectus: terremotus scilicet,niues,inopiam,tabes,morbos longos & similia,quæ de Saturni natura effluūt. Si perfectè candidus,Iouius erit Cometa; efficietq; bona quędam,& mala; ventos nempè salutares, atq; fœcundos: sed abscessus quoq; febres acutas, bella tametsi non diuturnia, & similia, quæ Iouiam participant naturam. Porrò color si fuerit rutilus in summo Martium indicat Cometam, ac propterea Martios efficit effectus: vt pote siccitates immodicas, admiranda tonitrua,fulgura,corruscationes cum ventis,pestē acerbissimā,sęuissima pręlia,similesq; res, quę de Martis natura sūt. Si perfectè flauus Venerius erit Cometa,vndè & effectus producet similes Iouijs;quosdā bonos,vt salutares pluuias, & ventos cū temperie:sed mali erūt violētæ febres,morbi attoniti, paralyses & similes. Varius tandem & multiplex si fuerit color,Mercurialē indicat Cometā. Quarè ventos ciet graues, tempestates sęuas,efficiet terremotus,fulgura,tonitruaq; maxima,tempora quoque repentine mutabit. Sed de his abundantius in tractatu nostro de Cometis mentio fiet. Obseruandum quoque est, cui stellæ, vel erraticę, vel fixę coniungatur, cuius radijs illustratur, cuius motu fertur, in quo loco incipit, mediat,& desinit, cuius sit formæ: quam orbis partem respiciat,pręsertim si sit crinita,vel barbata,aut caudata: quantę magnitudinis,& multa similia quę ibi scripsimus, vt hic tractationi nihil deesset. Quandoquidem in Cometis decem consideranda veniunt. Magnitudo,color,splendor, forma,diuturnitas, situs,locus, motus,ad Solem relatio, & habitus ad situm orbis.His quidem ritè cōsideratis, quales producet Cometa

Hierosolymæ Cometa excidium à Christo Domino prænūtiatum.

Lucæ cap. xix.

Cometarum pręsignificationes.

Astrologorum sententiæ circa Cometarum effectus.

Cometa fuscus, plumbeus,& subobscurus, & portenta.

Cometa cādidi illiusq; suis portētis

Cometa rutili coloris & effectus.

Cometa flauus, & portenta.

Cometa varij coloris cū suis significationibus.

Obseruanda in Cometis.

Ptholemaica doctrina circa Cometas. effectus, facile aſſequetur altiſſimarum rerum indigator. Conformia ſunt, quæ diximus, his quæ docuit Ptholemęus locis prærecitatis libro ſcilicet ſecundo ſui Quadripartiti textu ſeptuageſimo, vbi ſcribit hæc verba. Præterea, quę certis temporibus in cœlo ſe oſtendunt,& oſtenta dicuntur, eorum crinita ſydera ſemper ſqualorem, ventoſq; prænuntiant: eò quidem vehementiores, quo pluribus in partibus,& ipſorum corpora grandiora fuerint. Per ſqualores malas ſiccitates quibus potiſſimum herbæ,& arborum folia,aut ſiccantur, aut floccefcunt; intelligens. Sed illuſtrius libro iam citato capite nono, textu verò quinquageſimo tertio, id expendit. Inquit enim. Obſeruandæ & crinitę in deliquijs, ſiuè alio quolibet tempore fulſerint in conſiderationibus vniuerſalibus, quales ſunt, quæ dicuntur trabes, tubæ, dolia, ac huiuſmodi. Eſt enim harum naturæ effectio Martiæ, ac Mercurialis proprietatis, bellorum ſcilicet, æſtus turbulentiæ, & eorum quæ iſta ſequi conſueuerunt. Textu vero quinquageſimo quarto habet hæc verba. Cæterum loca in quibus hæc eueniura ſint, deſignantur, cum à ſigniferi partibus in quibus collectæ illæ ſtellæ fuerint, tum de crinitæ figurationis inclinatione. Per ipſam quędam collectionis quaſi faciem, & formam, futurorum ſpecies,& genus cui effectio expectanda ſit, deprehendetur. Verum de tempore durationis, intenſione euentuum de habitudine autem erga Solem,initium pateſcit. Nam cum fuerint matutinæ, diuq; fulſerint, celeritatis: ſin veſpertinę, tarditatis, ſignificatio futura eſt. De Cometarum prognoſticatione nonnulli graues authores arbitrantur, quòd ſi ſqualidum annum viderimus: ſatis tutè Cometas fore, prædicere poterimus. Quod verò Ptholemęus ventos, & ſqualorem ex Cometis, prænuntiat: multò antè faſſus eſt Theophraſtus in libello de ſignis ventorum dicens, Cometæ ſæpè ventos nuntiant: & ſi multi fuerint ſqualorem.

Cometa in vniuersū naturæ Martiæ & Mercurialis.

Tempus ſignificationis cometarum, Cometę quo modo prognoſticari poſſunt.

De Aeris qualitatibus ex phaſmatibus. CAP. XI.

SOLENT quandoque à nobis conſpici ignes, qui in ſublimi nunc eleuantur, nunc vero deprimuntur: phaſmata à Gręcis dicta.Qui eleuantur,& aſcendūt,vel ſunt faces, quæ & lampades, & bolides nuncupantur; vel ſunt trabes. Qui deprimuntur,& deſcendunt ſunt traiectiones, & Chaſmata. Chaſmata, vt ab his exordiamur, ſunt voragines, & ignei hyatus, ſubitò diſcurrentes, & deſinentes: cum ignis velut ex dirupto cœlo decidere videtur. Horum materia fumus eſt ſiccus: qui cum ſit rarus, & tenuis,ob vtrumq; ſtatim deflagrat, vti puluis ex ſulphore, & nitro. Inceditur in aere agitatus,quò fit, vt agitatio fumi in aere ſit illius forma. Quandoquidem fumus ille ſuapte natura calet, at cum in ſublimi eleuatur, magis calet: ideò incenditur. Colores eius proprij punicei ſunt, atq; purpurei: quos Plinius ſanguinolentos vocat. Viſuntur tamen aliquandò albicantes, quandoq; rubicundiores: & aliquando profundi. Huius tamen cauſa eſt, loci diuerſitas: nimirum variantur iuxtà loci diuerſitatem. Si namq; chaſmatis lumen per clarum aerem conſpiciatur: albicans ſe oſtendet; quod à Græcis σέλας dicitur. Si per atram nubem ſpectetur: tunc rubicundior flamma apparebit. Nam ex atro candido permixto (vti flamma fumo) color gignitur rubicundior; quem-

Chaſmata quæ.

Chaſmatum materia.

Colores fumi chaſmatum.

Colores varij chaſmatū vnde proueniunt.

quemadmodum luminaria, & stellæ, si per fumum aut æstum spectentur; rubeæ conspiciuntur. Porrò si per densam, areamq; nubem deciderit: tunc fiet recessus similis effossę speluncæ in orbem. Quandoquidem ex interuentu densæ nubis fulgorem illum, vt atra specie circumdantis, prouenit; vt aliqua videatur in igne esse profunditas. Verum omnia ortum habent à Sole, & reliquis stellis, tanquam ab efficientibus causis, leuem illum, rarumq; fumum per aerē eleuantibus, attrahentibusque. Quid autem significant, variæ sunt opiniones. Poetæ inter signa collocant. quamobrem Vergilius enumerat chasma inter prodigia significantia hominum mortes. Vnde Turni mortem ex his accidere, autumauit dum dixit:

Chasmatum causæ efficientes. Chasmatum significationes. Poetarū sententia.

——— *Video medium discedere cœlum.*

Plinius habet vt sit ingentium malorum prænuncium, non ob aliquas eius materiales causas. sed propter aliquam eius occultam rationem. Nōn enim ea mala accidere putat, quia hæ, vt causæ præcedunt: sed ideò præcedete, quia hæc mala euentura sint. Physici harum impressionum causas inuestigant, vt causas mutationum aeris. Rerum cælestium petiti, vt signa, & causas illa quærunt tametsi, vt supradiximus, has significationes obscuriores esse iudicant, quàm stellarum. Dicamus igitur de alijs speciebus phasmatum sigillatim, de natura, inquam, illorum primò: deinde quid portendant. Tractiones sunt igneæ scintillæ per aerem discurrentes, quas vulgus discursus stellarum putat, & vocat. Generantur quidem ab interrupta exhalatione, quæ ignem in diuersis spargit partes: quo fit, vt simul non incendantur, sed seorsum vna post alteram; vndè euenit, vt celeriter transcurrant, atq; præteruolant. Quod autem alij dicunt id etiam oriri, quoniam materia irritatur à circumstante nube, quæ contrariam habet qualitatem: si aliquid veri habet, hoc certè accidit aliqua nubium in aere existente: nam aere nubibus pleno non fiunt traiectiones, sed sereno fiunt, & videntur: ob id enim vulgus stellas discurrere credit. At Phasmatum ascendentiū quædam dicuntur trabes, quia illam præseferunt formam: quæ partim tenuior alicubi extat, partim crassior, sed quæ inceditur etiam. Bolides ita dictæ, quia ad Iaculi formam in aere se ostendunt, & discurrunt, longiori quidem sulco, sed igneo, & parum lato: constat enim ex materia tenui, & rara. Dicuntur alias Capræ saltantes à forma quam referunt, dum veluti scintillas despuūt, rursumq; ardent, ignemq; minutatim, & obiter priore parte excipiunt. Lampades deinde cum ex inæquali materia constent, licet cohærente: formam lanceæ, torris, candelæ, pyramidis, atq; perpendicularis ignis præferunt: quo factum est, vt talibus sint nuncupatæ nominibus. Quippe quæ in inferiore parte admodum basis crassus ignis conspicitur in superiori parte exiguus splendescit: graui terrestri infra residente, tenui verò & leui supra eleuato. Differunt phasmata à Cometis tripliciter, motu scilicet, forma, & duratione. Motu, cum illum habeant irregularem, & anomalum, distractum, inclinatum, agitatum, & impulsum vel à ventis iuxta Aristotelem, vel à sua natura. Sed quod dicit à ventis agitari, non est verisimile. Nam cum fiant in suprema aeris regione vbi maximè calet, suntq; igneæ naturæ, ibiq; ventus non appropinquat: à ventis nequaquàm agitari possunt, sed vel à sua natura, vel à spheris aliquando. Discriminantur secundo forma ob materiæ diuersitatem: non enim eadem est ratio vtrobiq; calidi, & sicci, grauis, & leuis: rari, & densi: multi, & pauci. Quod sanè perspicitur in vtrorum duratione: qua tertio differunt. Phasmata namq; paucissimo durant tempore, subito quidem conflagrant: Cometæ verò longiori, vt dictum est. Sed hi illis rariores fiunt, illi his crebriores. Ideo diuersa sunt sortita nomina. Quandoquidem

Plinij opinio de Chasmatum portentis. Physicorum sententiæ de eisdem. Astrologorum opinio. Traiectionū quidditas, natura, & generatio. Phasmata ascendentia. Trabes. Bolides. Capræ saltātes. Lampades. Phasmatum à Cometis triplex discrimen. Phasmatum nomina diuersa.

doquidem à nonnullis stellæ incensæ, vel deciduæ, vel transcurrentes appellata sunt: ab aliquibus repentini ignes. Alij vocarunt traiectiones, alij sydera volantia: alia repentina. Quotiescumq; igitur apparent, toties siccitatem minantur cum consequentibus. Consequentia sunt ariditas, sterilitas, aquarum paucitas, mors piscium, bella, venti, & similia. Cum igitur multa ignium Iacula, aut trabes, & reliqua, quæ accensis vaporibus vere fiunt, in aere apparent, & discurrunt, & stellarum luminibus micant: ventorum flatum portendunt, & ex ea parte, ex qua mouentur; quod si ex pluribus partibus, diuersi vtriq; erunt venti. Sanè de hoc minime ambigendum est: quia si tales vapores ex multis mundi partibus fuerint, cucurrerintque: diuersos demonstrant ventos, tonitrua, fulguraq; ex partibus, à quibus vapores, & ignitæ trabes fluunt: quia ibi impulsum habent, & motum. Excitantur quidem hi ignes licet à Sole principaliter, peculiari tamen modo à Mercurio, & Marte; illorum naturam in se habentes. Sunt Martiæ, quia igneæ. Est enim Mars calidus, & intemperatè siccus, ac propterea æstum significabunt maximum, & perniciosum. Sunt Mercuriales ob motus celeritatem, iaculationemq; ideò ventum cient: Sed ex illa orbis parte ex qua hi mouentur ignes, maximè est consentaneum. Vbi autem sint effectus futuri, vide locum ad quem ignes discurrunt, & terminantur: ibi profectò erunt venti ob Mercurium: ibi erunt sterelitates, & siccitates, morbi acuti, & prælia ob Martem. Quod si forte tunc eclipses contingerint, effectus certiores erunt, & securissimi: quia augetur significatum. Si autem non aderint, erunt, sed non ità exacte: nisi ignes & magni, & crebres, frequentioresq; fuerint. Nam dictum est breuiores effectus, & minores significare, & celerius desinentes, quàm Cometæ. Congruunt hæc quæ scripsimus doctrinæ Ptholemaicæ libro iam prærecitato, & textu: quem & nos præcedenti capite citauimus his verbis. Obseruandæ, & crinitæ seu in deliquijs, siuè alio quolibet tempore fulserint in considerationibus vniuersalibus: quales sunt, quæ dicuntur trabes, tubæ dolia, ac huiusmodi. Est etenim harum naturæ effectio Martiæ, ac Mercurialis propietatis: bellorum, estus, turbulentiæ, & eorum, quæ ista sequi consueuere. In quibus verbis non solum de Cometarum effectibus loquitur Ptholemeus: sed de ignium, eorumq; specierum omnium. At quid portendant, & significent: luculentius libro prærecitato, sed textu septuagesimo explicat, dicens. Diuibones, & iaculationes stellarum, si ab vno angulo prorumpunt: inde quoq; ventum emittunt. Sin occurrent inter se, ventorumq; prælia suscitant: sin verò de quator plagis ruant: hyemes varias ferunt atque etiam fulmina, tonitrua, & quæ alia huiusmodi sunt. Ex quibus etiam elicitur, quod fulgura, & faces cum plurimum micauerint, sed in nocte præsertim ea parte, qua splenduerint, eadem ventos significare. Quòd si ab alterutra parte aduersi micauerint: ab vtraque venti erunt.

Phasmatum præsignificationes variæ. — *Phasmata à quibus excitantur.* — *Phasmatum eff. ctus vbi erunt.* — *Doctrina Ptholemaica.* — *Phasmatum portenta iuxta Ptholemæum.*

De Tonitru, fulgure, fulmine, & corruscatione, & de eorum portentis. CAP. XII.

Natura Tonitrui, fulguris, fulminis, & corruscationis.

INTER meteora omnia quæ in media aeris regione generantur iuxta Philosophos, primum quod summum obtinet locum, tonitruum est: fulgur, fulmen, & corruscatio. Nam hæc igneæ sunt naturæ, reliqua vero vel aereæ, vt venti; vel aqueæ, vt nubes, & pluuia. At præstat ignis aeri, & aquæ. Idcirco primò de tonitru, fulgure, & fulmine, seu corruscatione dicemus, deindè de reliquis sigillatim, & quid portendant: Hæc enim est huius

libri intentio. Sciendum itaq; est Solis virtute, & stellarum, præsertim quæ calidæ, & siccæ sunt naturæ, & in calidis signis existentes, attrahi, atq; vsq; ad superiorem partem regionis aeris eleuari vaporem, seu exhalationem cum vapore coniunctam: qui cum sit aqueus, ex intenso loci frigore condensatur, atque inspissam nubem includitur, veluti in vtrem; & ab humido ita ambitur, vt amplius vltra extendi, & dilatari nequeat. Irritatur tandem à nubis frigore, & loci. Agitatus itaq; vapor in nube, exitum querit: quem non inueniens, huiusmodi agitatione, & rerum contrariarum circumstantia ἀντιπεριστάσει ab Aristotele dicta, instar stuppæ incenditur, lateraq; nubis magnis ictibus concutiens: tandem perrumpit. Itaq; vapor ille compositus (est etenim calida, & sicca exhalatio cum humido vapore coniuncta) cum concutit nubem aquosam, & concauam, efficit tonitru, quod luctatur cum nube ignibus impactis. Tunc nubem cum findit, efficit fulgur, & corruscationem: quæ est momentanea ignis apparitio in nube; vocata ab alijs rima, ex rixa vaporis inclusa, exorta. Cum vero nubem scindit, efficit fulmen, quod cum erumpit, fragorem edit: qualis sentitur in Castaneis, vel viridibus lignis, & cæteris similibus. Horum quædam vrunt: quædam verò non vrunt. Quæ vrunt, terebrant quoque: quæ non vrunt, infuscant, & scindunt. Quæ scindunt, scindunt tantum absq; vstione ob maximam materiæ siccitatem: quæ cum ad se vim ingentē spirituum trahat, hi in corpora porosa impacti, priusquàm fulmine adurantur, dissipant illa, atq; diuellunt: nam spiritus est ocyor fulmine. Quę ante euolant, penetrantq; corpora, quàm illa adurant, infuscantia dicuntur: quia ob nimiam eorum raritatem non nisi mora facta infuscant. Ψολόεις dicitur ab Aristotele. Porrò quæ vrunt, vel in rara & tenuiora impegunt corpora, vel in densiora, solidioraque: si in rara, solum adurunt: si in solidiora, non solum adurunt, sed citò dissoluunt. Huius rei causa est solidorum corporum resistentia. Nam quanto vehementius res solida in solidam repercutitur: tantò facilius res ipsa dissoluitur. Patet id in bellicis tormentis. Si namq; in raram impegerint, adurent certè, quia non sic resistunt: at si in ferro, lapide, saxo, & similibus, dissoluent. Admiratur Seneca in suis naturalibus quæstionibus libro secundo miram illorum virtutem: creditq; in illis diuinam aliquam inesse potentiam. Nam mirum certe est, quomodo impegente fulmine in dolio stet vinum dolio fracto: & quanam ratione cadente in loculis fulmine, integris ipsis, & illesis, confletur argentum: & gladius liquescit manente vagina, & ligno inuiolato circa pila omne ferrum distillet: Rex quidem mira, sed verissima. Durat tamen rigor ille tribus dumtaxat diebus. Sed & Plinius libro secundo, Capite quinquagesimo primo p'ura congerit: Nihilominus tamen inter alia, hæc scribit. Quòd scilicet vnū animal hominē non sēper extinguit, cætera verò statim. Quòd homo nisi conuertatur, vi percussus, non expirat. Quòd vigilans ictus, conniuentibus oculis dormiens, patentibus reperitur. Quod nullum animal nisi exanimatum, fulmine accenditur. Quod fulminatorum vulnera frigidiora reliqua corpore sunt. Quòd omnia icta contrarias incubant in partes; supernæ icta considunt. Quòd omnè prius concutitur, & afflatur, quàm percutiatur nec quisquā tangitur, qui prior fulmen vidit, aut tonitru audiuit. Igitur spiritus ocyor est fulmine. Hanc ob rem apud veteres fulmina in magna erant obseruatione, præsertim apud Thuscos: & dicebantur fatidica, quia credebant aliquid significare vel ob materiam; vel propter aliquod latens, & diuinum: quæ verò nihil significarent, vana, & bruta vocabantur. Sed rectè Cicero lib. de diuinatione hanc diuinationis speciem, quæ ex fulgurum obseruationibus sumitur, esse vanam, & inanem ratiocinatur; quia re vera superstitionis speciem præsefert: At quæ aliqua

Tonitrui, fulguris, fulminis, & corruscationis generatio.

Tonitruum quid sit.

Fulgur cum corruscatione quomodo efficitur, & quid sit.

Fulmen quomodo fit, & quid sit.

Tonitrui, fulguris, corruscationis, & fulminis effectus.

Spiritus ocyor fulmine.

Seneca.

Tonitrui, fulguris, fulminis, & corruscationis mira.

Plinius.

Fulmina apud veteres, præsertim Thuscos maximè obseruabantur.

Cicero fulgurum obseruationē, vanā scripsit.

Fulminum obseruationes superstitiosae, & primò circa euocationē.

qua ratione naturę veniunt, obseruari debent, vt dicemus. Superstitiosæ quidem fulminum obseruationes erant illę, quæ apud Ethnicos obseruabantur, vel circa Deos, vel circa tempus, vel circa euocationem: tanquàm superstitionibus omnino deditos. Circa euocationem, quia lucos, aras, sacra, Ioues tonantes, ac elicios ab eliciendo fulmine sibi constituerunt: ibiq; quibusdam præcationibus adhibitis, vel fulmina cogi, vel impetrari credebant. Sed miseri hallucinabantur Diabolo fidem præbentes. Circa tempus verò publica fulmina non portendere vltra tricesimum annum, nisi in oppidorum dedutione autumabant: priuata autem non citra decèm annos, nisi in matrimonio, aut natali die facta. Sed omnia vanitates. At verò circa Deos, κεραυνοβόλους habebant. Ita namq; Thuscorum literæ nouem Deos emittere fulmina, existimarunt. Illaq; vndecim generum esse: Iouem scilicet tria Iaculari, Romanos verò ex his duo tantum seruasse: diurna Ioui, nocturna summano ascribentes. Quæ maiores superstitiones. Sed venit Christus Dominus noster, omniaq: Diaboli opera dissoluit, superstitiones è medio abstulit, lucos, & aras euertit, Demonem prostrauit, viam vitæ in veritate docuit. Verum fulmina, corruscationes, & similia, quæ causam naturalem habent: obseruari quidem possunt, superstitionibus omnino deductis, ad vitæ humanæ necessitatem, vtilitatemque: quemadmodum & physici naturaliter obseruant, & nos quoq; mox obseruabimus. In æstate igitur si minus tonet, quàm corruscet, pluuiam, seu imbrem significat Plinio: contra verò si vehementius, ventos ex ea parte vbi tonabit. Alij verò dicunt, quòd in æstate si plus tonuerit, quàm fulminet, ventos à tonitruis prodire, portenditur: sin minus tonuerit, fulminibus pluuia sereno cælo futura signatur. Si id ęquè obuenerit, aut è quatuor plagis, siuè quaqua versum, fortis pluuia. Tonitrua matutina ventum significant etiam Plinio: meridiana imbrem. Theophrastus autem inquit, Tonitrua hyberna, & matutina imbres potius prænunciare: æstiuaq; meridiana, & vespertina idem ostendere. Aestiua tonitrua, & fulgura, Aratus ventos significare docuit: indeq; aduenire, vnde eunt. Theophrastus addit, si id est ex quator cęli cardinalibus. Verum Aratus, Virgilius, Plinius sęuissimæ tempestatis esse indicium voluere. Porrò autem Plinius in vniuersum sic de tonitruis, & fulguribus digreditur. Cum sereno cælo fulget, pluuiæ erunt, & tonitrua, & hyemabit: atrocissimè autem cum ex quatuor partibus cæli fulgurauerit. Cum ab oriente tantum, in posterum diem aquam portendit: cum à Septentrione, ventum eum, cum ab Austro, vel Coro, aut Fauonio nocte serena fulgurauerit: ventum, & imbrem ex ijsdem regionibus demonstrabit. Theophrastrus autem sic præsagit. Si vndiq; fulgurauerit, ventum, vel aquam expectato. Si in montium summitatibs spirante Austro ad meridiem fulgurauerit, pluuiam, aut ventum decernit. Et Fauonius fulgurans, pluuias à parte Aquilonis, vel tempestatem portendit; ac vespertina fulgura per æstatem, pluuias mox futuras nuntiant, vel in triduum. Rursus de signis ventorum, sic prognosticatur. Si fulgura vndique cadant, aquarum nuntia sunt: atq; vnde crebriora, densioraq; ceciderint; inde ventus exorietur. Per æstatem fulgura, & tonitrua, illinc vehementissimi venti, & validissimi spirabunt; quòd si vehemens viribusq; præcellens fulgur fuerit, celerius, & vehementius flabunt: si verò paulatim, ac leuiter, exiguus ventus erit. Per hyemem autem, ac autumnum contra euenit. Fulgura etenim ventos sedāt, & quo vehementiora fuerint tonitrua, & fulgura, eò magis hoc efficiunt: Vere autem minus eiusmodi signa locum habent, quemadmodum & hyeme. Insuper à Septentrione si fulgur venerit Austro flante, desinet spirare Auster, si à parte exortiua, tertia die cessare Auster solet: Alij verò quinta, septima, & nona.

Potrò

Fulminū obseruatio circa tempus.

Fulminū obseruatio circa Deos.

Fulmina, & similia naturaliter obseruari possunt.

Tonitrua, & corruscationes in æstate iuxta Plinū.

Aliorum sententiæ.

Tonitrua matutina, & meridiana iuxta Pliniū.

Theophrasti sententia circa huiusmodi.

Tonitrua æstiua iuxta Aratum.

Theophrastus.

Arati, Virgilij, & Plinij sententia.

Plinij præsagia de tonitruis, & fulguribus.

Fulgura iuxta Theophrastū quo modo tēpora mutant.

Theophrastus de fulguribus, & tonitruis in æstate.

Fulgura in hyeme, & autumno.

Fulgura veris tēpore.

Fulgur à Septentrione & ortu.

Porrò autem iuxta alios dicitur, quòd si in ingressu Solis in Capricornũ, & Aquarium tonitrua audiantur: veris initium, quinimò totus fermè annus ventosior prodibit. Sed dicamus & nos, quòd ab Aquilone fulgur, & ab Euro, & Zephyro tonitru, tempestatem portendit, sed flatus ab Austro, æstum: Corruscationes autem cum vento Boreali pluuiam denotant. Si iuxta Horizontem absq; tonitruo corruscauerit: serenitatẽ significat. Tonitrua cum vento Orientali: vel Occidentali pluuiam, aut fortem tempestatem ostendunt. Corruscationes, & Tonitrua simul signa sunt futuræ pluuiæ. Si ab Aquilone tantum Corruscauerit, in posteram diem aquam significat: si verò à Septentrione, ventum validum indicat. Gerardus habet, quòd si sub artcio polo noctu micare fulgura cernãtur: post dies octo turbatio expectanda est, nisi multa insequatur ariditas. Nocte serena si ab Austro, vel Fauonio corruscauerit, ventum, & imbrem ab his portendit partibus. Corruscatio aere existente tranquillo, & sereno: caloris est indicium. Frequens fulminatio pluuiam denotat. Hyeme, vel æstate si crebriora fuerint tonitrua, fulminaq; non solũ validissimos denuntiant ventos, & in mari tempestates: verum & aeris corruptionem ob nimiam siccitatis, vel caloris, vel humiditatis intemperiem. Hyeme quidem naturaliter sunt rariora fulmina, quia exhalatio in nubem inclusa exiguum cõtinet calorem: qui vi frigoris statim extinguitur, ac propterea cum crebriora fiunt: sunt certe præter naturã & tempus, quia insolita: idcirco malum portendũt. In æstate etiam rariora accidunt, quia vapor ob maximam caliditatem, siccitatẽq; in nullas eiusmodi nubes densari potest: ac propterea cum crebriora accidant, tẽporum inconstantiam, malumq; portendunt: quia non secundum naturam fiunt. Quemadmodũ si æstate bruma esset, & hyeme æstas, malũ profectò in mũdo portẽderet: quia cõtra naturæ ordinẽ. At vere, & autũno si crebriora fiunt, secundum naturã fiũt: quia horũ tẽporũ constitutio plurimã sicci, & humidi materiã naturaliter prebet. Hinc habemus, cur in plerisq; Italiæ locis crebriora sunt fulmina? non nisi quia sẽper quodamodo vernat, & autũnat. In Ægypto cur nulla, aut rarissima? id pronenire à nimio calore, qui à fulminũ casu immunẽ illã seruat. In Scithya similiter rara ob nimiũ frigus, quod à fulminibus illam defendit. Vere, & Autũno si nõ fuerint tonitrua, vel fulmina, vẽtos repẽtinos annũtiãt: inde sterilitates, atq; infirmitates. Die si plus corruscet, & tonet, quã nocte: subitas tẽporũ mutationes, atque in mari tẽpestates denotat. Noctu etenim magis quã interdiu sine tonitribus corruscat, fulguratq; quia debiles corruscationes magis noctu cernũtur, quã interdiu. Similiter plus noctu tonat, quã die: quia secũdũ naturã, Quãdoquidẽ huiusmodi materia cũ exhalat, frigore nocturno magis incẽditur per ἀντιπερίστασιν. Igitur si die plus tonet, atq; corruscet, quã nocte: multiplicẽ tẽporis inconstãtiam indicare, maximè est cõsentaneum. At cũ elemẽta omnia à cœlestibus moueantur, scias tũc tonitrua, corruscationes, fulmina, similesq; impressiones futuras, cũ videris Iouẽ Marti vel per corpus cõiunctũ, vel aliqua alia virtute. Sed sunt alię etiam causæ, quæ in superiori libro explicatæ sũt: & inferius cũ de vẽtis agemus, enarrabimus. Sed lubet hoc in loco antequã capiti supremã imponamus manũ: duo tãtũ perstringere. Primũ est, si corruscatio seu fulgur, tonitru, & fulmen sint idẽ: Nã videntur vtiq; esse: quia eadẽ generatione generãtur, & eadẽ corruptione corrumpuntur. At si ita est, cur effectus sint diuersi? & cur prius cernatur fulgur, quã audiatur tonitru? Secundũ est, quæ res sint, quæ fulmine non feriuntur. Dicimus itaq; fulgur, tonitru, & fulmen vtiq; simul edi, & idem esse: quia idem vapor cum eadẽ exhalatione concurrit, sed superius dictum esse, tonitru appellari, quatenus humidus in nube vertex rixatur cum ipsa, ex quo fit postea sonus: quia fulmen in nube discurrit. Vnde sonitus tonitrui non est illati fulminis, sed profecti. In eo autem, quod fulget, & corruscat, finditq; nubem, dici fulgur, seu corruscatio;

Marginalia: Tonitrua in ingressu Solis in capricornũ, & Aquarium qd præsagiunt. — Fulgura, corruscationes, tonitrua à variis mũdi partib. — Gerardi opinio de fulguribus, & corruscationibus. — Tonitrua, & fulmina crebriora hyeme, vel æstate, mala. — Tonitrua, & fulmina vere & autumno crebriora, sunt secũdũ naturam. — Fulmina in Aegypto, & Scithia nulla, aut rarissima. — Ver, & Autumnus absque tonitruis — Corruscatio plus de die, quam de nocte. — Tonitrua, & reliqua quãdo futura. — Vtrum corruscatio, fulgur, tonitrum, & fulmẽ sint idẽ. — Responsio, quomodo su pradicta sint idem, & quo modo differant.

At in eo quod nubem perrumpit, & fragorem edit: dici fulmen. Effectus itaq; sunt diuersi ob assignatas iam causas, itaque ob materię diuersitatem in quà recipiuntur: variasque eius dispositiones, & naturam: vel propter aliquam fulminis latentem rationem. Quod autem prius cernatur fulgur, quàm audiatur tonitru, id prouenire, certum est, quia lux sonitum præcurrit: cum sit illo velocior. Quandoquidem sensus visus cùm sit cæteris sensibus spiritualior: celerius ob spirituum subtilitatem obiecta percipit, quàm auditus. Idcirco opinantur optici species visibiles esse intentionales non reales: quia subitò, & statim per vniuersum medium sparguntur absq; motu. Itaq; remotus,& distans visus ita celeriter Solis lumen percipiet, vt propinquus, & proximus. Aristoteles in Meteoris vtitur exemplo de remis in aquam incussis,& Pontanus ibidem exẽplificat de secante ligna,vbi semper visus præcurrit auditum:& Freigius adducit quod simile fere est in vulnere, vbi anrequam plaga cernatur, sanguis apparet. Sed est exemplum quoq; de muliere percutiente, & pannos lauante ab Auicenna,& Algazele adductū,vbi eminus homo prius percussionem videt,quàm audiat sonum. Ratio est, quia audibile est in aere, vt in propria materia: materia etenim causæ soni non est nisi in aere, licet soni intentio, & non esse recipitur in aere; ac propterea sonus non subitò sed successiuè fit in aere: secus est de visibili, vt dictum est. Res verò quæ fulmine non tanguntur, quod est secundo perstringendum, quæ sint: dicendum remanet. Adnotandum igitur est,quod plura sunt:quæ fulmen non timent. Ex volucribus primum obtinet locum Aquila: vnde ob id huius teli armigera putatur, & fingitur. Si quis igitur aliquid ex Aquila sibi retinuerit: fulmine non ferietur. Ex marinis est vitulus marinus, animal ex genere Amphybiorum: quem anno 1605. Neapoli vidimus, & tetigimus: dum publicè apud Coronatam Virginem ostendebatur. Ex siculo mari aduectus erat. Caput habebat rotundum,oculos rotundos, viuaces: collum breue, & crassum: longitudo eius quanta vituli terrestris lactentis. Pilosus erat vt terrestris, sed rufi coloris albicantis. Extra aquam viuebat in caua lignea: polypo tunc vescebatur. Mugiebat vt vitulus: quinimò videbatur aliquandò rugire,vt leo. Deambulabat, saliebatq; per cauam pinnarum iuuamine. Quæ vt in pluribus congruunt his quę de vituli marini moribus Cardanus scripsit libro 7. de rerum varietate Cap. 37. vbi vitulum marinum educatum in lerini insulæ Xenobio, & alium in Scotia tribus annis, habet. Sed ità vt aditus ad aquas eius non prohiberetur. Ascendunt etiam cicures scalas,dumq; somno grauissimo tentantur: sternunt more hominum dormientium, quibus collum breue, & crassum, vel columella excidit, cũ destillatione tentantur. Hi gregatim incedunt,& dum parui sunt, hœdorum more balant: cũ magni fuerint,rugiunt vt leones. Hæc ex Cardano. Pellis itaq; vituli marini non timet fulmis ictus. Qua de re pauidi non solum vestes è pellibus harum beluarum sibi conficiunt: Sed tabernacula quoq; vt securi prę̨seruentur. Suetonius scribit Cæsarem Augustum, tonitrua, & fulgura mirum in modum expauisse: ita vt semper, & vbique pro remedio, securitateq; vituli marini pellem circumferret. Inde est, vt plerique etiam hodiernis temporibus corrigiam ex eius corio portent: quo immunes à fulminum ictibus, periculisque seruentur. Verum nonnulli existimant pellem podagricorum pedibus superpositam dolores sedare. Inde est,vt alij quoque huius pellis corrigiam secum deferant: quia sciaticis,vel iliacis doloribus plurimum conferre credunt. Porrò contra fulminum ictus loca quoque abdita,& concamerata summopere iuuant. Nam fulmen non nisi solida, inambulat, penetrat,& frangit. Quamobrem,& prærecitatus,author scribit eundem Augustum ad omnem maioris tempestatis suspicionem, in abditum

Fulgur cur prius cernatur, quàm audiatur tonitruum.

Optici sentiunt species visibiles esse non reales, sed intentionales:

Aristoteles. Pontanus. Freigius.

Res,quę fulmine non feriuntur.

Aquila fulmen non timet.

Vitulus marinus ex genere amphybiorum fulmine non feritur.

Vituli marini mores.

Vituli marini pellis cõtra fulmen

Cæsar vituli marini pelle secum semp deferebat,timens fulmẽ, ex Suetonio.

Vituli marini pellis podagræ dolorib⁹. sciaticis,& iliacis iuuant.

Cõtra fulmini ictus loca abdita,& cõcamerata.

abditum, & concameratum locum se recipere. Plinius, & Seneca plura de his scribunt. Verum nonnulli rentur, quòd cum fulmen nunquam quinq; pedibus altius descendit in terram, altiores specus esse tutissimos. Ob id pauidi sibi tales construunt. Tandem ex arboribus, quæ fulmine non feriuntur, laurus præstat cunctis: seù lauri frutex. Alij ficus autumant, sed qua ratione freti: nescimus. Alij fulmen ipsum secum delatum, à fulminis ictu liberum facere, dixerunt: quia cum sint eiusdem naturæ, vnum alteri minimè nocere potest. Quod probat ex filio circa fulmen reuoluto, si igni mittatur: non comburi; sed id nec experti fuimus. Quidam verò lapidem ceraunium gemmam, qui secum portauerint: securi à fulminis ictu fore, constanter affirmant. Sunt hi Plinius, Isidorus, Arnoldus, & auctor libri de naturis rerum. Corrallum quoq; rubeum non timet fulmina. Verum enimuero contra tonitrua adiutrices sunt orationes, quibus Ecclesia vtitur. Virtuosissima Beatissimę Mariæ Virginis Antiphona. Sub tuum prçsidium confugimus, & cæt. cum oratione: Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium, &c. Beatæ Agathæ Oratio cum Antiphona, Mentem sanctam spontaneam honorem Deo, & Patriæ liberationem: multum valet. At Diuus Thomas Angelicus, & Sanctæ Ecclesiæ Doctor contra fulminum ictus his sanctissimis verbis se muniebat, cum tribus signis Crucis. Verbum caro factum est. Deus carnem suscipere dignatus est. Deus nostra caussa mortuus est, & resurrexit:-

Plinius, & Seneca.

Laurus, & ficus contra fulmen.

Fulmen ipsū secum delatum contra fulminis ictū

Lapis ceraunius gemma delatus contra fulmen.

Corallus rubeus contra fulmen.

Orationes contra fulmen.

D. Thomæ verba contra fulminis pericula.

De Tonitruorum significationibus ex Beda.
CAP. XIII.

ADMIRANDA quidem sunt corruscationis, tonitrui, & fulminis effectus, vt non immerito illustres viri varia de ipsis scripserint, & mira. Sed & nos quoq; ex parte diximus, & etiam dicemus. Porrò venerabilis Beda libellum de tonitruis edidit, quem Tomo primo inspeximus: ad Herenfridum directum, vt ex eius literis constat: in quo mira de eorum præsagijs iuxta subtilium Philosophorum traditiones cum naturaliter, tum etiam mysticè digreditur. Præsagia itaque tonitruorum primo à quatuor mundi plagis explicat, secundo à mensibus: postremò à septem ferijs. Cumque liber miris sit præsagijs refertus, & à Sanctissimo viro editus: ad studiosorum profectum, vt nihil huic deesse tractationi, illum adiecimus. Tria tamen præsupponentes, vt illa veritatem habeant. Primò quòd præsagia erunt non necessario, sed vt plurimum: quemadmodum aliæ naturales causæ. Secundo, vt sint: tonitrua debent esse insolita, & crebrissima. Non enim est putandum ex vno dumtaxat tonitruo, vel ex fulgore parum durante, tot mirabiles fore effectus: cum nec vnam hyrundinem facere ver, certum sit. Tertio, quòd illa præsagia in naturali ratione fundantur: quia causam naturalem habent. Sanè habent primò æquiuocam, Solem scilicet, & reliqua sidera, quæ, motu, lumine, aspectu, influxu, virtute, & similibus agunt. Secundò elementa omnia, quæ à cœlis mouentur: tertio mixta, quæ passioni subdita sunt. A quatuor igitur orbis partibus initium sumens sāctissimus hic vir, hæc præsagia scribit. Ab orièṫali plaga si exorta fuerint tonitrua secundū subtiliū Philosophorū traditiones in anni ipsius circulo humani sangui-

Bedæ venerabilis libellus de tonitruis.

Notanda circa præsagia ex tonitruis.

Tonitrua causam naturalem habent.

Tonitruorū præsagia ex quatuor mūdi plagis.

nis copiosam effusionem ipsa præsignant tonitrua. Ab occidentali quoq; climate quum surrexerint tonitrua Sapientes secundum nimiam subtilitatem indagantes, rerumq; præsagia agiliter innegligantes, mortalitatem prolis Adæ, pessimamq; pestilentiam ipso anno imminere, significare tonitrua, dixerunt. Meridiana (vt sagacis ingenij philosophi, qui intellectuali consideratione rerum præsagia notauerunt, aiunt) tonitrua incolas pelagi magna clade anni illius curriculo esse morituros, præfigurant. Boreæ verò iuxtà subtilitatem eorum, qui inuestigare rerum causas conati sunt: quando intonant tonitrua, pessimorum peccatorum, paganorum videlicet, atq; peruersorum Christianorum mortalitatem significant. Hucusq; Beda. Hæc verò non carent ratione. Orientis pars siccissima est, Cumq; ab illa exorta fuerint fulmina; quæ sicco, & calido constant: siccitatem adaugent, ac in corpora influunt. Inde bilis oritur, ex qua rixæ: vnde pugnæ, ex quibus bellum, ex quo tandem sanguinis effusio. Eadem ferè ratio est circa occasum, si ab illo exorta fuerint tonitrua. Nã siccitas etiã cum humectatione abundet: ac propterea alterantur corpora, pestisq; grassatur. Plinius libro septimo scribit diuturna obseruatione compertum esse ab ortu ad occasum, pestem ferri: ac si contra fiat, pestem vbiq; grassaturam cum alijs ominetur. Auster verò cum sit siccissima Regio ob Solis ardorem, vnde & incolæ sunt sicci, duri, nigri, & cæt. ex crebris tonitruis portendit incolis pelagi tanquam illi subiectis, magnam cladem. Nec mirum videri debet, cum & ventus quoq; sit insaluber pestifer, naturales impediens virtutes, afferens certè corporis grauitatem: ex quibus mortem sequi, par est. At borea tonitrua pessimorum hominum mortalitatem denotant: cum quia præter naturam ob frigus, tum quia ab Aquilone omne malum. Ideo venerabilis Beda mystice hæc ominatur. Præsagia deinde pro mensibus refert: suntq; quæ sequuntur. Si in mense Ianuario tonitrua perstrepant, in anni ipsius ambitu multos homines, ac pecora, oues videlicet esse morituros, syluarumq; ac nemorum sterilitatem, vel infructuositatem præfigurant. Ratio est, quia extrà suum tempus eueniunt: Solq; Saturnia signa animalis vitæ inimica inambulat. In mense Februario si tonitrua fuerint exorta, valde (vt aiunt) auribus audientium nocet, & ad aurem pertinent, qui ipsam perturbant. Ratio est ob Saturnum signi dominum, quem Sol permeat, auribus nocere solitum. Sol etenim est efficiens causa tonitruorum, vt dictum est. Martij quoq; mensis tonitrua iuxta sagacis ingenij nobilium Philosophorum inuestigationem, periculosa designant præsagia (sicuti namq; dicunt) mortalitatem, vel diem tremendi iudicij præfigurant. Naturalis causa est veris initium, in quo vapores, exhalationesq; eleuantur plus solito, tempusq; cum tempore contendit: bruma cum vere, & ver cum hyberno tempore, initiumq; est anni. Quo fit, vt ex insolitis, crebrisq; tonitruis ex Solis actione generatis, qui Arieris signum Martium, quamuis suum carpentum, cum inambulet: mortalitatem sequi, valde consentaneum est. Quod autem dicit, diem tremendi iudicij præfigurare: mystice loquitur. Nam eò mense cum productus sit mundus (vt primo de Neomenijs libro scripsimus, Capitibus 14. 15. & 16. eo factum diluuium: eo quoq; fore iudicium, creditur. Mensis etiam Aprilis tonitrua feminibus (vt aiunt) ac frugibus, in anni ipsius curriculo periculum imminere, significant: & inter vndas vasti pelagi nauigare, valde est periculosum, prænotat. Si autem aliquo in anno tonitrua Maio in mense tenuerint, ipsa tonitrua pluuiam copiosam, frugumq; ac fœni nimiam fertilitatem anno in ipso esse venturam significare dixerunt Sapientes. Ratio ex se manifesta est. Iunio quoq; in mense si in curriculo anni illius tonitrua surrexerint: piscium diuersi generis multifariam, diuersamq; multitudinem

Rationes probãtes talia tonitruorum præsagia esse vera & primò ab ortu.

Tonitruorũ præsagia ab occasu cur vera.

Plinius.

Tonitruorũ præsagia ab Austro, &c.

Ventus Australis pestilens.

Tonitruorũ præsagia à Borea, &c.

Præsagia tonitruorũ pro mensibus, & primò in mẽse Ianuario.

Tonitrua mẽsis Februarij.

Tonitrua Martij.

Tonitrua mensis Aprilis.

Tonitrua Maij.

Tonitrua Iunij.

titudinem

titudinem inter glaucicones vndas fluminum anno in ipso venturas esse, ipsa tonitrua declarant. Philosophi Iulij mensis tonitrua quocumq; in anno hominibus: in anni illius curriculo, magni imminere mortis periculum, arboribusq; nimiam in fructuositatem, præsignare dixerunt. Causa est terram vaporibus humidis, & exhalationibus calidis, siccisq; multum abundare; ac propterea infirmitatibus corpora inflammare: vnde mortes, & similia, &c. Sapientes mensis Augusti tonitrua in cuiuslibet anni ambitu, si intonuerint: pelagi pisces per turmam, atq; generationes suas, nociuumq; serpentini generis exercitum, anno in ipso esse fortiter morituros, præfigurare dixerunt. Est namque mensis æstuosissimus, cui si superuenerint tonitrua, augetur siccitas cum humiditate: ex quibus mala illa sequi maximè consentaneum est. Si aliquo in anno, Septembris in mense tonitrua fuerint exorta, in ipsius curriculo copiosam multitudinem laicorum, de hoc seculo cateruatim migraturam esse: ipsa tonitrua mysticè designant. Huius certè rei plures sunt causę. Prima est signum Virginis commune ob Mercurium. Secunda quia finis est æstus, initium verò autumni: in quo Sol æquinotiale signum ingreditur, & permeat, signum etiam populare: vnde videmus multo plures tunc infirmari, quam alio tempore, puta veris. Alia est, quia cū Sol ad Librā accedit, recedit quidē à nobis, ac propterea ob recessum corruptiones accidunt; teste etiam Aristotele libro secundo de generatione, textu 58. Postrema ratio est, tonitruorum multitudo: quæ ex calido sicco, & humido cum fiant: augetur certè significatum. Sequitur itaq; Beda. Auctores asserunt mensis Octobris tonitrua infra anni illius circulum validissimas aeris procellas, atque ingentissimos ventos, esse venturos: significare. Id comprobatum manifeste tenemus hoc anno 1606. Quādoquidem cum anno superiori die duodecima Octobris facta fuerit Parthenope maioris luminis defectio tribus horis, & paulò plus post Meridiem: nihilominus tamen die decima quarta mensis eiusdem, quæ Veneris erat: tot tantiq; fuerunt tonitruorum conflictus, strepitus, discursus: tot corruscationes, fulgetra, fulgura, fulmina cū ventis, & aquarū immēsa copia, quæ per diem durauere: vt à cunctis quidem, ne dum ciuitatis excidium in proximo, timore magno perterritis, expectaretur: verum etiam totius orbis machinæ dissolutio putaretur. Quò factum est, vt nonnulli fulgetris illis, fulminibusq; extincti fuerint: quidā verò subitò, & improuisa morte, sequenti nocte prçoccupati: At infra anni illius circulum (initio certè anni sequentis 1606. die Ianuarij septima, in qua Sancti Raimundi Confessoris illustris solennijs interfueramus) tot validissimæ aeris procellæ subortę sunt, tot ingentissimorum ventorum pugnæ tot in mari tempestates; quæ decem dierum & amplius spatio durauere, vt maxima iactura nauibus in portu subsequuta fuerit: maximaq; terræ, præsagia quidem tonitruorum mensis Octobris, vt Beda refert. Sequitur deinde Beda de Nouembri. Nouembris quoq; tonitrua in quocumq; anno sonuerint: in anni ipsius curriculo, nimiam omnium infecunditatem, sterilitatemq; imminere designant. Porrò de Decembris mense hęc ait. Fælici etiam, artificiosaq; consideratione nobilissimi ingenij Doctores, in speculo rerum spiritali cernere conati sūt: quia tonitrua mensis Decembris nihil nociuum, malumuè hominibus, seù cæteris animalibus, aut omnibus frugibus præfigurant: sed prospera, atq; saluberrima ab illis videntur esse. Ratio est, quia cum terra gelu stringatur, tonitrua non obsunt: quinimò ex vapore illo humido, & exhalatione calida, & sicca prodesse iudicatur, quia signum est temperiei. Postremo tonitruorum præsagia, quæ in singulis occurrunt ferijs, Beda venerabilis explicat. Pro quo est sciendum primo, planetariam stellam vnicuique diei præesse iuxta nomen. Qua de rę

Tonitrua Iulij.

Tonitrua Augusti.

Tonitrua Septembris.

Causæ præsagiorū mēsis Septembris.

Tonitrua mensis Octobris.

Effectus tonitruorum mensis Octobris Neap. 1606.

Præsagia tonitruorum mensis Nouembris.

Tonitrua mensis Decembris.

Tonitruorū præsagia pro ferijs.

Planetę præsunt ferijs iuxta nomen.

Sol

Planetæ præsunt ferijs iuxta nomen.

Sol diei Dominico: Luna diei Lunæ: Mars, Martis: Mercurius, Mercurij: Iuppiter, Iouis: Venus, Veneris: Saturnus diei Saturni præesse dicitur. Quoniam vnumquemq; diei suo particulariter influere: experientia testatur. Secundò annotandum est, plerasq; rationes ex his, quæ mensium tonitruis assignatæ sunt: etiã feriarum præsagijs conuenire. Insuper est animaduertendum, quod coniungendo tonitrua feriarum tonitruis mensium, mundiq; plagis: maior, certiorq; erit effectus: si præsagia conuenerint. Dicit itaq; si quolibet anno tonitrua in die Dominico tonuerint, asserunt Philosophi clericorum, atq; sanctimonialium fœminarum ingentem mortalitatem imminere: ipsa tonitrua designant. Ratio autem est, (supposito stellas in corpora directè agere, vt author est etiam Diuus Thomas pluribus in locis suæ doctrinæ) quia inter planetas Sol Religioni præest. Vnde nati sub hoc sidere Religionis sunt amatores, ac propterea peculiarem quendam influxum in illos cum habeat: indè sequitur illorum mortalitatem portendi. Quandoquidẽ vapores sunt perniciosi. Nã sunt vapores & exhalationes materia tonitruorum calidi, & sicci cum humiditate. Sol deindè calidus, & siccus deprehenditur: igitur augetur significatum. Ideo illorum mortalitatem Beda præfigurat. Sequitur de die Lunæ. Si in aliquo anno in die Lunę tonitrua fuerint exorta, turmas coniugum esse morituras, frugesq; eclipsim passuras esse: ipsa tonitrua præfigurare, aiunt. Ratio est manifesta, quia Luna coniugibus præest, & terræ frugibus. De Martis die hæc ait. In Martis die in cuiuslibet anni circulo si surrexerint tonitrua, magnificam, copiosissimamq: abundantiam frugum, terræ superficiei esse venturam, mysticè tonitrua significare, nemo dubitet. Hoc ideò est, quia Saturnus est causa penuriæ, Mars verò vastitatis: ac propterea prodigalitatis, & abundantiæ. Sequitur deinde de die Mercurij. Si forte contigerit, vt in die Mercurij se eleuent tonitrua, scorta, ac meretrices, fatuasque fœminas per agmina sua cateruatim de ergastulo carnis esse migraturas; aut humani sanguinis copiosam effusionem ipsa tonitrua pręsignare, nulli est dubitandum. Causa est, quia Mercurius opponitur Veneri: est namq; siccissimus, & maximæ ariditatis, atq; impetuosus: Idcirco mortem, vel naturalem, vel causa belli sanctissimus hic vir annuntiat. De die verò Iouis fęlicia promittit verbis hisce. Quotiescumque Iuppiter in suo die intonat, multiplicem abundantiam frugum terræ esse venturam, vberrimamque incolarum pelagi superbam multitudinem per cunctos alueos, ac turmas suas fluminum multipliciter impleturam, ipsa tonitrua pręfigurant. Ratio est, quia benignus hic planeta omni ex parte bona vbique influit: vnde dicitur Iuppiter à iuuando. Sequitur deinde de die Veneris mala ominans. In die Veneris si tonitrua contigerint, quia vel Regi interfectionem, aut validissimum bellum, multorumq; stragem ociter imminere, vel multa pecora moritura esse: ipsa tonitrua pręsignant. Sed id ratione non caret, quia Mars & si amicus sit Veneris: opponitur tamen domibus. Ideo vel Regi necem, vel alicubi bellum, aut pecora moritura esse, quibus præest Venus: prędicit. At ex parte id experimur hoc anno 1606. ob horrenda tonitrua, quæ anno superiori quartadecima die Octobris, quæ fuit Veneris (vt paulò superius enarratum est) acciderunt: sed nondum completus est effectus, qui cum pręrecitato eclipsi inambulat. Dicit tandem de Saturno. Si in Die Saturni tonitrua surrexerint, tonueritq; haud longè exindè, aut ingentem pestilentiam humani generis esse venturam, vel validissimum bellum ipsa tonitrua designant: Hucusq; Beda. Huius tamen ratio est: quia Saturnus humanæ vitæ est destructor, ac propterea pestem ob ipsum: bellum ob tonitrua ab ipso significata. Verum enimuerò (vt diximus) tonitruorum effectus, vt in pluribus erunt:

Margin notes: Tonitrua in die Dominico. — Tonitrua in die Lunę. — Tonitrua in die Martis. — Tonitrua in die Mercurij — Tonitrua in die Iouis. — Tonitrua in die Veneris. — Tonitrua in die Saturni. — Tonitruorũ effectus, vt plurimum cueniunt.

erunt: & præsertim illis euenient regionibus (quod quidem valde annotandum est) quibus signa, quæ in mensibus occurrunt, à Sole occupata, dum tonitrua fiunt: & planetæ, dominantur; alijs verò aut parum, aut nihil oberunt. Ne autem quis putet tonitruorum præsagia, vel Bedæ non esse, vel malè à nobis fuisse citata: sciant de verbo ad verbum nos explicasse, videatq; locum iam à nobis supracitatum, nempe Tomo primo suorum operum. Ita enim certior factus, dubio procul Bedæ presbyteri libellum esse fatebitur. At quis ambiget, cum suæ extent literæ ad Herenfridum? cuius instantia hunc edidit libellum ad quem etiam dixerit? Nos igitur suas excerpimus literas, quas & subiecimus: vt omni semotus scrupulo prudens lector, Bedam Presbyterum libelli de tonitruis authorem habeat. *Tonitruorū præsagia esse Bedę ostēditur.*

Bedæ Presbyteri libellus de Tonitruis ad Herenfridum.

LITERAS dilectionis, vestræ desideratas accepi (Venerande Pater Herenfride) quibus me valde laboriosum, atq; periculosum opusculum, certè obtrectatorum inuidorumq; latratibus, atq; blasphemijs patens, qui me fortasse Diabolico (quod absit) spiritu, aut iniqua magicæ excogitatione artis afflatum, & non sancti spiritus gratia illuminatum, aut rethorico spiritu imbutum, hec fecisse, & excogitasse, asserant: noua videlicet præsagia rerum, quasi ore prophetico subire iussisti. Obsecrantes scilicet, firmiterq; sæpissimè præcipientes, vt de sermone aliquid vtrobiq; deesse constat: quid mystice tonitrua præsignant iuxtà ingenioli mei ingniculum in latinum vertere sermonem. Vestris autem præceptis obtemperans, idcircò hoc opusculum perficere maximè studui: re vestra veneranda petito apud me flocci pendi ab vllo videretur. Verumtamen subnixis præcibus flagito, vt contra inuidos, qui vel canino dente hoc opusculum corrodere, aut subsanare conaturi sunt: vel quasi latrantes canes aduersum me rabido ore deseuient, quiq; in eo esse doctos arbitrantur; si alijs detrahant: orationum vestrarum clypeos opponatis, & anchora sancti sermonis vestri, fideliumq; vestrorum, hoc opusculum ex sermône à fideli vestro in latinum translatum, omnimodis inuidorũ, inimicorũue detractionibus, stabilitũ, atq; illesũ permanere faciatis. Præcor etiã vos Pater Charissime, vt qui tãtum opus me subire fecistis, in sanctarũ vestrarum victimis in cõspectu altissimi pro me misero peccatore fideliter intercedatis. *Venerabilis Bedæ epistola ad Herēfridum.*

Hæc est eius epistola. Scitur quidem, quanta varia, & diuersi generis scibilia Sanctissimus hic vir scripserit: quãtoq; in pretio eius doctrina sẽper in Ecclesia habita fuit: vt nõ immeritò homilias eius quãdoq; legat. Hoc itaq; sufficere debet. *Bedę doctrina pluris in ecclesia ęstimata.*

De ventis, eorumq; flatibus, & portentis pro aeris qualitate dignoscenda. CAP. XIV.

VNVM ex meteoris, quæ in media aeris parte generantur, aereq; sunt naturæ, ventus quidem est. De quo & si superiori libro Capitibus 29. 30. & 31. quò ad ea, quæ cœlestes indicant influxus, satis dictum sit, & in nostra Anemographia abundantius digressi fuerimus: hoc tamen in loco meteorologicè de ipso dicemus vtcumque. Ventus itaq;

Ventorum cauſæ.

Gelu ex ventis.

Tépeſtas ex ventis.

Pluuia tempeſtas,& tonitrua ex vẽtis.

Pluuia, & tẽpeſtas ex vẽtis.

Ex vẽtis cardinalibus præſagiendum.

Vẽti,qui flãt, quomodo ſciendum.

itaq; iuxta Ariſtotelem generatur ex calido,& ſicco,tanquàm eius materia. Vnde diffinitur eſſe exhalationem calidam, & ſiccam, cuius exhalationis efficiens cauſa.& principalis eſt omnis ſtellarum concurſus,ſed ſolis præcipue: at concauſa,mediæ regionis frigus.De forma eius variæ ſunt opiniones,atq; ſententiæ. Sed non eſt abſurdum dicere aeris fluctum eſſe formam eius: vel eius percuſſionem à frigore. Porrò ventorum finis eſt congregatio,vel nubium diſſolutio à quibus, & pluuias, & aeris ſerenitates prouenire,certum eſt: deniq; cœli terrarumq; temperies.Dicamus itaq; quid portendunt. In gelu initio ſi venti orientales fuerint, & durabiles gelu duraturum denotant. Auſter ſi atrocius ſolito flauerit, deinde boreas flare cœperit, magnæ tempeſtatis præſertim in mari extat indicium. Borealis ventus cum corruſcatione pluuiam ſignificat: Orientalis, vel Occidentalis cum tonitruis pluuiam,vel forte tempeſtatem,vt de tonitruis dictum eſt, portendit. Ventorum mutatio pluuiam denotat. Si ventus girando, ſolis motum ſequitur,ſignum eſt pluuiæ,vel tempeſtatis: quia tunc vapores mouentur,& eleuantur ſuper vnam regionem, ſupra quam erit pluuia,vel tempeſtas. At in vniuerſum de ventis ex quatuor cardinibus pronuntiandum eſt. Igitur notato Meridionales ventos flexuoſe flare: multamq; afferre humiditatem ob Solis potentiam, cunctis quidem manifeſtum eſt. Septentrionales rectè flantes, ſerenitatem influunt,Oriẽtales ſiccitatem ob vaporum combuſtionem à Sole factam: Occidentales, humiditatem ob craſſos vapores à Sole relictos noctis tempore. Vt autem ſciatur, qui venti flant,& ex eorum flatibus quid portendant ex collateralibus: inſpice ſubiectam ventorum figuram,quam duodecim ventorum generibus dumtaxat conſtare fecimus: iuxta totidem in ſignifero ſigna. Porrò ſupra illam pone magnetis indicem,ita vt verſorium directè Aquilonem oſtendat. Deinde diligenter reſpice nubem in aerem diſcurrentem,ex qua cœli parte diſcurrat: quoniam illum certè ventum indicabit, ac quæ ſit aeris futura qualitas: oſtendet. Quòd ſi nubes non adfuerint,vide,qui in editis locis ſint indices; quam cœli partem reſpiciant: ex oppoſita namq; parte ventus flat; taliſq; erit cœli ſtatus ex ventis. Sed res exemplis illuſtrior fiat.

Praxis inueniendi, qui venti ſpirãt.


Vulturnus quomodo indagandus,& eius præſagium.

Euroauſter, & eius qualitas.

Accomodato magnetis verſorio directè Aquilonem verſus, veniat nubes ex parte Septentrionis ſubtus Aquilonem: declinetq; verſus, & prope ortum, tunc certe indicabit eſſe Vulturnum, qui vulgo dicitur, Greco Leuante. Qui ventus talem denuntiabit aeris qualitatem.Nempè ſi impetuoſe flauerit,ſiccitatem,glaciem, & ſerenitatem portendet: at ſi lentè, nubes congregabit. Aliud exemplum, ſi nubes ab Auſtro volat, parumper ab ipſo declinans, ſignum eſt ventum eſſe Euroauſtrum: qui vulgo dicitur Oſtro ſcirocco. Ergo nubes,& pluuias inducet: quia calidus, & humidus ventus eſt,ſed inſalubris.Eodem itaq; modo in reliquis operandum erit. Quod ſi nubes ab Auſtrali parte venerint, frigusq; viget: tunc dubio procul aliquis ventus à ſeptentrionali parte ſimul flat. Sed inſpice, qui prædominatur,cum plures ſpirent: talis enim erit aeris qualitas.

Ventorum

Ventorum Duodecim Grammica Apodixis pro temporum mutationibus dignoscendis, eiusque vsus.



Qui ventus spiret ex hac Grammica Apodixi facilè dignosci poteſt: ſeruatis regulis ſupracitatis. Nunc verò vt aeris qualitates ex ventis agnoſcantur (quamuis ſuperiori libro, locis iam prærecitatis, de vtriſquè ſatis dictum ſit) ſigillatim duodecim ventorum dumtaxat, qui ſunt præcipui, naturam, & qualitates dilucidabimus. Sic enim fiet: vt temporum ſtatus, ac vices ſecurius habeãtur. Itaq; poſito magnètis verſorio ad Aquilonem directè ex magnetis virtute nubes ſi ab Aquilone venerit, ſignum eſt illum ventum flare: ac propterea frigiditatem, ſiccitatemque efficiet; vnde & aeris ſerenitatem. Saluber eſt hic ventus, indurans corpora, poros conſtringens, humoresque purificans. Quò ſi Traſcia flauerit (idquè eſt à nube) qui ventus eſt à Dextra Aquilonis: tunc ſerenitatem promittes. Qui ſi frigidior fuerit, quàm vehemens: inſpiſſat in nubes; non enim repellere, tam cito poteſt exhalationes: ac propterea grandines, niues, fulmina, tonitrua expectato. Si autem ſpirauerit Boreas ventus ab Aquilonis ſiniſtra: tunc nubes conſtringet, & pluuias; & eſt ventus ſaniſſimus. Quòd ſi Vulturnus flauerit impetuoſæ (Ventus quidem ab Aquilonis ſiniſtra verſus ortum) ſerenitatem efficiet, vt iam dictum eſt; ſiccitatem, & glaciem; ſi verò lentè: tunc nubes congregat. At ſi Circius ſpirauerit, ventus propè occaſum: tunc omnia circumuoluet, atque in nonnullis locis arbores euellet: in Oriente nubila: in meridie

Aquilonis flatus natura,& qualitas.

Traſciæ flatus natura & qualitas.

Boreas.

Vulturnus.

Circius.

ridie verò serena faciet. Porrò subsolanus ventus, qui & Orientalis, atque Cardineus dum flauerit: nebulas absque pluuijs afferet. Est namque ventus saluber, & temperatus. Huic verò oppositus. qui & Fauonius, vel Zephirus ventus Occidentalis, & cardineus, temperatus, & suauis, cunctis fauẽs, generationi idoneus, per quem omnia reuiuiscunt. Africus verò à Fauonio declinans versus Austrum, calidus est ventus, frigora relaxans, pruinas soluens: floresq; producens. Eurus verò ventus ab Oriente Austrum versus declinans, latè flat: ortum nubibus irrigans: Porrò Euro Auster ab Euro deflectens Austrum versus, ventus calidus, & humidus est, ac insaluber; idcirco nubes, & pluuias inducit. Porrò Auster Africus ab Africo declinans versus Austrum ventus calidus, & humidus est, ac pestilens: lentus pluuiam affert. Auster tandem qui, & Notus, Cardinalis ventus, Aquiloni oppositus calidus, & humidus, sed pestilens, & insaluber: pluuias, & fulmina gignit, tempestates maximas excitat: ac propterea corporis affert grauitatem, cum virtutes impediat animales. De intermedijs autem ventis eadem ferè erit operatio, cum ad cognoscendum ventum flantem: tum quòque ad aeris qualitates. Quandoquidem inter Aquilonem, & Trasciam (vt hoc vno tantum vtamur exemplo) mediat certè Aquilo versus Trasciam, qui vulgo dicitur, Tramontana Maestro (sunt etenim venti in vniuersum triginta duo.) Si igitur ventus ille spirauerit, quem animaduertes ex Aquilone versus Trasciam flexuose spirante, sed non erit Trascia: tunc dubio procul dices ventum esse Aquilonem Trasciam versus idest Tramontana verso Maestro: qui frigiditatem, siccitatemque influet cum serenitate, aliquibus nubibus interpositis. Nam cum inter Aquilonem, & Trasciam sit medius, certè vtriusque naturam in aeris qualitate participabit. Porrò hac methodo ad aliorum ventorum qui mediant; naturam, & temperamentum, facilè deuenies. Sed vide libellum nostrum de ventis, seu de Anemographia, vel de AEolia. Ibi enim cuncta absolutissima, quæ ad hanc tractationem pertinent: perspicies; causam scilicet, species, locum, numerum, delectum, tempus, nomina, naturam, qualitates, effectus, tempestates, quæ per ipsos ventos fiunt: pluuias, aeris serenitatem, pluraque alia scitu dignissima singulis diebus certè vaticinanda: perpetuò duratura vsque ad seculi consumationem: iucundissima, vtilia, necessariaque terræ, marique existentibus cum diuersorum, illustrium virorum sententijs: tum Priscorum, tum quoque Neotericorum, Physicè, & Mathematicè. Illud tamen præmonentes, sicuti & præmonuimus: vt regionum qualitates considerentur. Nam Auster qui & nobis pluuiosus est, & humidus. Africæ, & confinibus suis, quinimo, & Tinacriæ, vt in pluribus, serenus existit, & siccus, & ventus qui è terræ flat (vulgo vento di terra) Neapoli serenus est; Apuliæ verò pluuiosus, & humidus: sed cogimur alias ventorum præsignificationes afferre.

Fauonius, vel Zephyrus.

Africus.

Eurus.

Euro Auster.

Auster Africus.

Auster Notus.

Praxis de vẽtis intermedijs.

Aquilonis versus Trasciam natura, qualitas cum temporis mutatione.

Authoris Anemographia, seu Æolia, hoc est de ventis libellus.

Ad vẽtos indagãdos necessariũ est regionum naturam scire.

Aliæ

Alia Ventorum Prognosticationes. Cap. XV.

CVM præcipua, & maxima quidem pars mutationis temporum ex ventis pendeat, operæpretium nos facturos esse arbitramur, si præter prærecitata, alia quæ grauissimi authores obseruarunt, afferamus: vt Philosophiæ amatoribus vtcunq; à nobis fiat satis: Quod si nõ exquisitius, in nostra Aeolia penitius diggressuri speramus. Primò itaq; dicendum est de ventorum natura, & temperamento, secundò de effectibus; incipiemusq; ab Oriente. Subsolanus ab ortu Aequinoctiali spirans aquosus est, atque attenuans: pluuias generat. Auster in vniuersum calidus est, & humidus: sed cum incipit, siccus est: cum desinit, humidus; cui sententiæ astipulatur etiam Theophrastus, qui addit & Eurum. Huius autem ratio est, quia locus vbi incipit, calidus est, vbi desinit, humidus ob mare, quod pertransit. Aquilo è contra vbi incipit, humidus est, vbi desinit, siccus: quia locus ille vaporibus plenus est humidis: sed cum per terram transeat, frigidus, & siccus redditur; quinimo locus ipse Aquilonis frigidissimus extat. Hinc est, quòd spirantibus Aquilonijs flatibus, siccantur omnia: Austrinis verò humida resultant. Magnus Albertus in sua Meteorologia lib. 3. tract. 1. cap. 2. docet, Austrum esse calidum, quia à locis maximè calidis oritur: humidum nobis, quia versus Septentrionem cum spiret, vbi abundat humiditas, suo calore illos attrahit; Aquilonem frigidum, quia ex parte frigida, siccum, quia ibi aquæ non euaporant: ex quo & nullus ibi humor adest; item quia frigidus existens, non potest attrahere. Cœcias, & Africus sunt maximè humidi. Septentrio, Thrascias, & Argestes grandinosi. Meses, Aquilo, & Septentrio nigrores efficit. Auster, Fauonius, & Vulturnus æstuosi; Hasce qualitates ex terra, & mari desumunt, vt iam dictum est. Cæcias primò nubibus cœlum densat: deinde Aphricus. Cæcias spirans, solus ad se nubes trahit: alij autem expellunt. Sereni sunt Thrascias, & Argestes, & Septentrio. Nec repugnat quod dictum est supra esse grandinosos: quia aliunde id euenit: ex se etenim sereni sunt. Procellæ generantur ex ventorum pugna adinuicem, sed præcipuè à Septentrione, Thrascia, & Argeste: gignuntur potissimum Autumno, & vere; quemadmodum Tropeæ æstate, vt plurimum. Thrascias, Argestes, Septentrio, & Meses fulgurantes sunt: sicuti cum in alios impingunt, ob robur eos sedant. Qđ si non vicissim se comprimant, atq; dissoluantur, sed ex seipsis desinant: mutantur in collaterales dextrorsum iuxta solis motum, etiam secundum Theophrastum. Qui motus cum sit duplex, proprius, & alienus, primo cum hybernas conuersiones perambulat, Orientales cit ventos: cum vernas: Aquilonios, cum æstiuas, Occiduos; cum Autumnales, Austros. Secundo autem motu, dum à mediæ noctis angulo ad Orientalem plagam permeat, subsolanos mouet: cum ab Orientali ad Meridionales, Austros: cum ab Austrina ad Occidentalem, fauonios: cum ab Occidentali tandem vsq; ad mediæ noctis angulum, Aquilonios. Sed hæc Astrologica potius sunt. Venti ad vtriusq; luminis exortum spirare incipiunt, & quos Sol exoriens sedat: Luna emergens excitat, & intendit Theophrasto. Flatus ab Ortu, & Meridie imbres portant: ab Occasu, & Aquilone frigora; author est Aristoteles probl. 26. sect. 26. quia Orientales, & Australes pluuij, & calidi sunt, sicuti Occidui, & Aquilonares frigidi, & sicci. Quem sequitur eius discipulus Theophrastus. Aquilo magnus spirans, multasque nubes afferens

Marginalia: Subsolani natura. — Austri qualitas. — Aquilonis flatus. — Magni Alberti de Austri, & Aquilonis flatibus sententia. — Venti humidi, grãdinosi, nigrores efficiẽtes, æstuosi. — Venti nubilosi. — Venti sereni. — Procellarum generatio. — Tropeæ. Venti fulgurantes. — Sol duplici suo motu dũ cardines perambulat, oẽs cit ventos. — Flatus in luminariũ exortu. — Venti à quatuor cardinibus. — Aquilo magnus, & Auster flantes.

serenitatem spondet. Auster flans æstus erit, Christus Dominus Lucæ Cap. XII.

Dies xv. post brumales cõuersiones Austrum.

Dies XV. post Brumales conuersiones, vt plurimũ Austrum præsefert Theophrasto: Et Arist. probl. 32. sect. 26. quia Sol ad Austrinum signum, & locum se conuertit. Sed & ipse philosophus lib. 2. Meteorum cap. v. ad diem septuagesimum

Arist. ad diẽ 70. retulit.

id retulit, à brumali conuersione: rationem asserens, quòd ante, Sol à loco vnde Austri oriuntur, sit remotus: vt minus possit illos excitare; quarè contradicere sibi videtur.

Philosophi contradictio tripliciter soluitur.

Sed nulla est contradictio, primò, quia in primo loco dicit vt plurimũ non semper, secundò dicitur, quòd intelligi debeat, vt initium, nam sic minus potest: dies autem LXX. absq; limitatione Austrinus est à brumali conuersione, & est validior altero, qui in initio occurrit; vel in secundo loco (& est tertia respõsio) loquitur de Etesijs Austrinis, tunc spirare solentibus.

Aquilonis crepitus.

Flante Aquilone, si eorum crepitus audiatur, quæ pridem conglutinata, cum Auster dominatur, remitti, atq; resolui solent: iudicium est in Australes ventos fieri mutationem.

Ventorum terminus.

Occidui flatus celeriter deficiunt, Aquilones impari dierum numero: Australes pari. Theophrasto, Plinio lib. 2. cap. 47. & Aristoteli prob. 9. quinimo, & Homero poetæ antiquissimo odisseæ.

Aquilonij flatus cur numero impari Austrini pari terminẽtur.

T. Aquilonis flatus duratio breuissima trium dierum numero completur iuxta Aristotelem, & Theophrastum: Austri verò quatuor. Cur autem prima numero impari, secunda pari constituatur? à locorum natura per quos venti transeunt, pendere scribit Fædericus Bonauentura annot. 45. super lib. de ventorum signis. At si qua mea est sententia, adderem ab Austri natura principaliter prouenire: qui cum sit calidus, & humidus, & per eum Sol continuò inambulet, vaporibus abundat quamplurimis, vt dictum est; quò fit, vt breuissima illorũ duratio superet breuissimam Aquilonij flatus die vno, cum minus abundet. Cum igitur istius dierum trium sit periodus, vt patet ex obseruationibus; sequitur, vt illius sit quatuor ob vapores, seu exhalationes.

Austri, & Aquilonis flatus ad inuicem diu, noctuque.

Auster cum noctu flat, vehementius flat Aquilone noctu spirante: è contra autem Aquilo cum interdiu flat, vehementius Austro flat, interdiu spirante iuxta Plinium lib. 2. cap. 46.

Venti diurni validiores nocturnis.

Qui interdiu venti flare incipiunt, diuturniores, validioresq; illis existunt, qui noctu Theophrasto. Hæc itaq; de ventis pauca sufficiant, nam satis etiam in vnoquoq; meteoro de ipsorum productione, & qualitate dictum est.

De Nubibus, & earum portentis. *Cap. XVI.*

Nubes principium cognoscẽdi omnes aeris impressiones.

IN media aeris regione inter alia, quæ ibi generantur, quæ aqueæ naturæ: nubes præcipuum obtinent locum. Quarũ cognitio ita est per quam necessaria, vt illæ sint omnes aeris impressiones cognoscendi principium iuxta Diuum Thomam: Nec immeritò. Ab illis certè proueniunt pluuiæ, nebulæ, imbres, Nymbi, Stillæ, Nix, Grando cum consequentibus: nempe pareliæ, paraselenæ, Virgæ, Areæ, Halones, Irides.

Nubium effectus.

Ipsæ quoq; indicant ventos omnes à qua parte flant: sicq; sciuntur aeris mutationes.

Nubiũ causę

A Sole omnes causantur, & ab alijs astris effectiue: materialiter verò à Terræ, & Aquarum vapore.

Nubes quid sit.

Nubes igitur vapor est humidus frigore medij aeris densatus, & concretus.

Nubes alba.

Ita vt cũ nubis vapor sit subtilis, & non spissus, albam efficit nubem: quia tunc Astrorum lumen in profundo recipit.

Nebula alba.

Quæ si ad terram ex aliquo frigore reprimitur: fit inde alba nebula.

Nubes nigra

Porrò si calor circumstans frigus expellit ad nubis interiora in spissando, fit nubes nigra quia luminis perspicuitatem non recipit; vel

vel receptam aufert. Quando autem nubis humidum subtile est, adusto terrestri admixtum, fit nubes rubea: quia lumen superius recipit. Quòd si humidus vapor inferius sit iam à Sole dispositus, ductusq; mane, vel sero, nubes purpurea erit: atq; eodem die pluuiam præfigurat. Verum si sit rorans, & in pluuiam se conuertens, ob frigus quod eam in aquam conuertit, fit viridis: lumen à superiori tunc recipiens. Nebula species est nubis, & est quasi infœcunda nubes. Vere, & Autumno existit, alijs verò temporibus, vt puta æstate, & bruma, minimè: nisi in locis paludosis, & aquosis, serenos potius dies, quàm pluuios indicat: vt plurimum, & sæpe sæpius ex nebula serenitas subsequuta est. Pluuia à nube descendit; quæ resoluta in aquam, fit pluuia. Quæ si guttatim fiat, stilla dicitur: si impetuosior, dicitur Nymbus, aut imber. Si verò congelascit, prius quàm in aquam conuertatur, fit Nix; certè ex humore mollius coacto. Est namq; Nix aqua congelata: sicuti pruina Ros congelatus. Verùm postquàm nubes in aquam resoluta est: dicitur grando. Gignitur etenim conglacinto imbre: & sæpe sæpius interdiu, quàm noctu; resoluiturq; multo celerius quàm nix: fortassis iuxta Angelicum Doctorem super Psalmum 17. quia habet similem causam generationis cum fulgure. Dicamus igitur, quid portendant. In montium cacuminibus cum incidunt nubes: pluuiam denotant. Pluuia citissima præscitur per magnam nubem Orientem ab illa mundi parte, à qua venti flant: & quò intensior, maiorq; fuerit nubes: Eò citius, certiusq; futuræ, & citissimæ pluuiæ est indicium. Primum gelu quod primo accidit in anno, si dissoluatur cum pluuia: quodcumq; subsequens gelu anno illo cum pluuia pro maiori parte dissoluetur. Calor in æstate intensior solito, & pungitiuus, pluuiam cito futuram significat. Aqua pluuialis quæ cecidit, si cito desficcetur, & vltra solitum, ac absq; vento: pluuiam magnam portendit. Nubes lanæ velleribus similes: aliquando pluuiam significant. Quæ si scissæ, & gradatæ admodum ouium gregis apparuerint: pluuias, sed non multas denotant. Nubes nigræ in aere pluuias inducunt: albæ tempore æstiuo, grandines. In bruma verò albæ nubes niues demonstrant. Nubes cum cœlo sereno in altum vehuntur, ex quacumq; mundi parte fiat: ab illa quoq; emersuros ventos, indicium est. Si nubes globarentur, & appropinquante Sole discutiantur, & hoc ab Aquilone fiat: ventos cient. Cum multæ apparuerint albæ nubes vespere præsertim ex ea parte quæ Orizontem perstringit, idq; per duos, aut tres continuos dies tempore brumæ: tunc frigoris extat signum, & niuis. Aeris turbatio ad pluuiam, & nubes albicantiores solito, si apparuerint, niuem significant: præsertim si post talem apparentiam sentiatur aer vtcumq; calefactus: nam tunc niuem cito, venturam significat. Ratio est quia in media aeris regione vnitur frigiditas, & calor inferius ad nos impulsus futuræ niuis dat indicium: ac propterea cum ningere deberet, aer tenebrosus redditur quadam alba tenebrositate: at verò cum futura pluuia sit nigra; quadam tenebrositate aer conturbabitur. Nubes vna si fit alteri contraria: tempestatis est indicium. Si in ventum resoluitur: in mari, & in terra tempestatem inducet. Si colliduntur, aerem inflammant: tonitrua, & corruscationẽ efficiunt. Nebulæ in aere apparentes, si cadant, & superius non ascendant: aeris purgationem producunt; idcirco serenitas erit. In principio gelu niues cadentes subtiles, & minutæ fortius gelu significant. Si autem latæ: cum gelu dissolutionem denotant. Si grandines magnæ, & latæ in gelu initio ceciderint: gelu dissolutionem significant. Si maris nebula terram petat vento sibi opposito flante: pluuiam denotat. Si mane nebula moram magnã fecerit circa montium cacumina, vel campanilium altitudinem, aut nemorum: pluuiam portendit. Nebula si ascendit, ita vt aer inferius serenum fiat, pluuiam indicat futuram: quia aer frigidus,

Nubes rubea.
Nubes purpurea pluuia.
Nubes viridis pluuida.
Nebula quid sit.
Nebula serenitatem indicat vt plurimum.
Pluuia.
Stilla.
Nymbus, & imber.
Nix.
Pruina.
Grãdo, & eius generat.
D. Thomas.
Nubes in mõtium cacuminibus.
Nubes magna Oriens a loco ventorum.
Gelu dissolutio ex pluuia
Pluuia Citissima.
Pluuia magña.
Nubes velleribus lanæ similes, scissæ, & gradatæ.
Nubes nigræ albæ in æstate, & bruma.
Nubes altæ.
Nubes globatæ. & à Sole discussæ.
Nubes albæ vespere tempore brumæ & cet.
Nubes solito albicãtiores cũ aeris turbatione.
Nubes alteri aduersa.
Si in ventum resoluitur, si plures colliduntur.
Nebularum casus.
Niues subtiles, minutæ, aut latæ,
Nebula maris terram petens.
Nebula mora magna circa montiũ cacumina, &c.

Ptolemæi ſententia de nubibus floccis lanæ ſimilibus.

gidus,& humidus iterum eſt eleuatus. At vero ſi nebula in minimas reſoluitur guttas: ſerenitatem promittit. Ptolemæus locis iam ſuperius citatis habet,nubes in quibuſcunq; finibus conſpectas, aſſimiles floccis lanæ: nonnunquam hyemes, hoc eſt pluuias cum frigore, non hyemis tempus afferre: vt explicat Haly, cui conſentit Cardanus. Ratio eſt,quia vapor humidus valde copioſus,& craſſus:ibi reſidet; quandoquidem flocci illi craſſitiem, ſpiſſitatemq; demonſtrant æqu abiliter. Aquarum atq; niuium multitudo in hyeme, æſtatem fore calidam promittit: at paucitas, aquarum multitudinem in æſtate denuntiat. Aquæ abſq; Sole,dum incaleſcit; aquarum copiam denotant. Calor nobis inferior frigus portendit. In aere ſi nebula alba apparet æſtatis tempore,tempeſtatem futuram indicat. Priſcorum verò ſententias, & noſtrorum etiam opiniones circa nubium generationem conſulto omiſimus, cum quia in noſtris meteorologicis libris illas adduximus,tum etiam in libro,cuius inſcriptio eſt, opiniones hominum de Deo,& creaturis; ſimiliter hæc,& alia ibi luculenter digredimur.

Nebula alba æſtatis tempore.

Aliæ nubium præſignificationes cum Maiori prædictorum explicatione. Cap. XVII.

LIBET etiam hoc in loco circa prærecitata nubium portenta,alia quoq; afferre, quæ à viris doctiſſimis varijs in locis obſeruata ſunt,& pertractata,quæ ſupradictorum dilucidationi maximè conducent. Nubibus itaq; ſimul coaceruatis, ſi aliæ ad eas occurrerint, illis tamen immotis permanentibus, tempeſtatis profectò ſunt nuntiæ. Quòd ſi mare cingant ſerenitatem portendunt; quemadmodum etiam ſi pluuia cadente, ad occaſum æreum referant colorem, vt plurimum poſtero die ſerenitatem præſagiunt Theophraſto,Arato,Theoni, & Plinio. Quòd ſi fuerint ſiccæ, ac aquarum expertes, cœlo perturbato, ſerenitatem quoq; ſpondent. Sicuti ſi magna mole nubes aſſurgens,ac tumida,ad ſerenitatem mutari tempus, oſtendit. At verò ſi talis nubes ad montis verticem recta ſteterit: tempeſtatem indicat Theophraſto ex Archilochi Poetæ teſtimonio. Si nubecula ſereno cœlo extenta in longum:& diuulſa in aere apparuerit: ſignum eſt,nondum eſſe ſedatam tempeſtatem. Quando nubes, vt vellera lanæ apparuerint: pluuiam ſpondent Theophraſto,Arato,& Virgilio. Plinius verò cum tales nubes ab Oriente, & multæ conſpectæ fuerint: in triduum aquas præſagire, affirmat. Sed prærecitati authores cum Theone,& Ptolomæo ſemper,& vbiq; cum apparuerint: pluuias prænuntiari,fatentur. Petrus Ramus Virgilium canentem

Nubes ſimul coaceruatæ.

Mare cingentes.

Nubes ærei coloris.

Nubes ſiccæ.

Nubes recta in montis vertice.

Nubecula in longum extenta.

Nubes vt vellera.

Rami opinio

Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.

explicat,ac ſi loqueretur de lanæ floccis per aera volantibus. Verum doctiſſimis viris manifeſtum eſt,Poetam loquutum de nubibus, quæ ſimiles ſunt lanæ velleribus,non de lanæ floccis. At qua ratione Virgilius tales nubes tenuia vellera appellauit,cum ſint denſiſſimæ? reſpondetur primò,quòd tenuia vellera dixit relatiuè ad alias denſiores. Secundò tenuia vellera vocauit ob albeſcentem colorem. Tales itaq; nubes cum vndiq; æqualiter conſtent; denſitare velleribus ſimiles dicuntur; ideſt albæ. Nonnulli quoq; rentur tales nubes,velleribus ſcilicet ſimiles,imbres ſignificare. Nubes ab occaſu veniens nimbum deſignat. Chriſtus Dominus Lucæ cap. 12. Nubes vnde exoriri, & moueri videbitur, inde ventum

Dubitatio contra Virgiliũ. Reſpõſio duplex.

Nubes ab occaſu.

expecta-

expectato. AEstiuis temporibus, si nubes siccæ exoriantur: ventum indicant. Nubes in montium summitatibus considentes, ac coaceruatæ, pluuias, aut ventos ex ea parte, qua consident, prædicunt. Itaq; in vniuersum omnes montes, qui vim habent significandi, vt sunt altissimi, & mari proximi, si cacumina absq; nubibus apparuerint, serenitatem: si cooperta, australes ventos, pluuias, vel tempestates annuntiant. Theophrastus de Mysio, Athos, Olimpo, & pelio præsagit, & quæ de Parnasi parte ad fauoniū, atq; ad occasum vergente scribit: eadē de Vesuuio Neapoli prædicere possumus; nam altissimus est, & mari proximus. Itaq; si Aquilone dominante eam Vesuuij partem, quæ ad fauonium, atq; ad occasum vergit, nubibus stipātam viderimus: proximā reputabimus esse tempestatem, ac futuros imbres, & pluuiam. Sicq; in diuersis mundi partibus prudens Philosophus vaticinari ea, quæ circa temporum mutationes eueniunt: obseruatis ijs, quæ circa montes obseruanda veniunt, vt iam dictum est. Vniuersaliter itaq; duo in nubibus ob prædictionem consideranda sunt: forma, & color, talis namq; erit temporis qualitas. Et quo ad formas, nimirum nubes si sublimes fuerint, tarde pluuiam casuram pronuntiant, si humiles, citò: raræ, paucam, & breuem: densæ, magnam, & diuturnam portendunt. Sed quæ ad modum densæ sunt, tenuem quoq; pluuiam, sed diuturnam promittunt: altius autem plus solito positæ, iam cadere incipient. Quod si nullæ nubes instar velleris, aut lanæ depexæ æthera circumdederint, præsertim si nebulæ ima petant, ac campis recumbant: certè serenitatis est indicium. Quò verò ad colores attinet, sciendum est, plerumq; in æthere coire nubes quadruplicis coloris: nigras, rubentes, albicantes, & virides Nigræ ex se, vt plurimum, tempestuosæ sunt, & frigidæ: rubentes, ventosæ: albicantes, serenæ: virides, pluuiæ. Hæ autem si nigro permisceantur, funestæ sunt, cum lapides iaciant: albicantes, quamuis ignem iaculasse compertæ sint, extra noxam tamen plerumq; habentur, nisi multa ariditas fulmen exciperet. Fulminis quoq; colores rubro, claro, albo, flammescenti, rutiloq; aut instar niuis candidæ distinguuntur. Quorum rubens formidabilis, clarus, albus, quod plerumq; discetur, minus nocens offenditur: flammescens verò, ac rutilus penetrat nonnunquā & incendit. Idcircò Magnus Albertus pernitiosissimum illud arbitratus est. Hæc itaq; de nubibus, & earum prognosticationibus in consideratione veniunt. Nunc autem de niue, eius generatione, & de consequentibus dicendum remanet. Niuis generatio à multis variè assignatur. Sed hìc non est locus suus, cum alibi scripserimus. Nunc verò raptim occasione prædicendi illam. Nix iuxta Aristotelem primò Meteor. ex diffusa nube, & rara gignitur in medio aeris interstitio, in bruma, vel in veris initio flante Aquilone, & illa est sua proxima materia. Efficiens verò propinquum intensa frigiditas per aerem diffusa, quæ nubis partes, priusquam in aquam resoluantur: præuenit, & possidet. Ioanes Baptista de Porta vir doctissimus in suo secundo libro de Aeris transmut. cap. 7. propriam ponit opinionem de niuis generatione, dicens sic gigni. Agitata aqua interueniente aere, spumescit, sic agitato ventis aere iam iam roscido, & in nubes coalito, spumas concipit, quę inhorrescente frigoris rigore, in niuem concrescit. Sed hæc sua opinio est Aristotelis in libro de animalium ortu; vbi niuem spumam quamdam esse, sentijt: multum aeris in ea contineri, qui ex humidi attritu attrahitur. Verum alia, quæ ibidem, & in alijs libris contra Aristotelem scribit, alias videbimus, quam veritatem contineant. Quo verò ad prognosticationem attinet, hæ sunt rusticorum regulæ. Si aer calefiat nubibus apparentibus, calorem paulatim expellens: niuem casuram portendit; ea rectè, quia materia niuis proxima est nubes valde calida. Item aer turbidus, si albescat, atq; ad claritatem declinet

Nubes in mōtium sūmitatibus.
Montes nubibus expoliati, atq; obuestiti.
Præsagia de Vesuuij mōte Neapoli.
In nubibus duo consideranda forma & color.
Nubium colores q̄d prę sagiunt.
Fulminum colores quid vaticinātur.
Magnus Albertus.
Niuis generatio.
Niuium causæ.
Io. Baptistæ de Porta opinio de niuis generatione.
Io: Baptistæ de Porta opinio est Arist.
Rusticorum regulæ de niuium casu.

net clara turbatione, niuem portendit, iam in præcedenti capite tetigimus. Ratio eſt, quia nix fit ex nube rara, & diffuſa, ac ideo diaphana, igitur alba. Ergo benè prognoſticantur ruſtici de aere turbido albeſcente, &c. Plutarchus in lib. de primo frigido. Auſtro prius flante, vt diſponatur aer; deinde ſpiret borea: niuis illicò caſuræ nuncia eſt. Affert prouerbium.

Plutarchi præſagiū de niue.

Auſter ſi Boream exciuerit, illicò ninget.

Dicamus deinde de nubium adiunctis cum conſequentibus.

De Nubium adiunctis, & eorum ſignificationibus. CAP. XVIII.

Colores, & reflexio radiorum Solis, & Lunæ ſunt nubium adiuncta.

NVBIVM adiuncta ſunt, vel colores, vel reflexio radiorum Solis, aut Lunæ in ipſis. Variantur quidem colores in nubibus, & in diuerſis cernuntur figuris: prout admiſtus ignis vel excedit, vel exceditur. Ab his tamen coloribus, & figuris nihil certi circa aeris qualitates portendi poteſt, niſi quæ iam tetigimus: & iuxta alios quandoq; ventum, quandoq; pauculas aquæ guttas excitare: ſed vt plurimum verò aeris ſerenitatem, tranquillitatemq; promittunt. At reflexio radiorum Solis, aut Lunæ exprimit, vel Solis imaginem, ſeu imagines; vel Lunæ. Nam plures Soles, vel plures Lunæ in ortu, aut occaſu fulgere exiſtimantur. Solis imagines parelia dicuntur: Lunæ verò, paraſelene. Vel illa reflexio lineam oſtendit aliquando rectam, vt virge, nonnunquam verò curuam: & hanc vel integram, vt circulum: vel dimidiatam, vt arcum. Circulus integer Halonem Græcè, ſeu Aream, aut coronam latinè exprimit: dimidiatus vero iridem. De parelijs, & paraſelenis primò dicendum eſt, quid ſint, & quid portendant: deinde de Iride ſeorſum. Quid ſit parelius ex dictis iam patet, non niſi reflexio radiorum Solis in nube denſa, & æquabili: quæ ad latus Solis exiſtens, vt ſpeculum, Solis radios recipit: coloremq; eius inde refert. Vnde videntur plures Soles. Pareſelena autem reflexio eſt radiorum Lunæ in nube etiam æquabili, & denſa; quæ ad Lunæ latus exiſtens, & tanquam ſpeculum, Lunæ radios recipit, indeq; eius colorem exprimit. Vnde videntur plures Lunæ, tametſi re vera vna eſt tantum Luna, & vnus Sol: ſed ex refractione radiorum vtriuſque luminis in nube, oriuntur idola, & imagines Solis, & Lunæ. Hinc habemus materiam, formam, & horum efficientem cauſam: quæ ad illa producenda concurrunt. Nam materia pareliorum, & pareſelenarum iam explicata eſt: vt ſit nubes denſa, & æquabilis Solis obuerſa ex obliquo ad latus. Forma verò refractio radiorum ſolarium, vel lunarium in nube ad latus vtriſque luminis exiſtente. Dicimus vtriuſque luminis ſeorſum, atque diſiunctim; puta vel Solis, vel Lunæ. Dicimus ad latus fieri ad differentiam Halonis qui ſub Sole fit, vt dicemus; & iridis, qui è regione Solis producitur: ſed hæc meteora fiunt ad latus. Quæ nubes radium recipit velut ſpeculum. Et quemadmodũ ob eius denſitatem à leui aere aſpectus frangitur: ita profectò colorem, qui in Sole eſt, vel Luna, apparere facit. At efficiens illorum cauſa eſt vis cœleſtis, quæ nubis materiam attrahens, illam præparat: vt huiuſmodi non aliam formam recipiat. Quid verò portendũt, quod eſt finalis illorum cauſa, dicendum remanet. Quotieſcunque igitur parelia, ſiue paraſelenæ apparuerint, tunc pluuiam ſignificabunt magnam: præſertim ſi Auſtrum verſus apparuerint. Eſt etenim ea cœli regio in aquam magis mutabilis

Luminarium imagines.

Parelius quid ſit.

Paraſelene.

Pareliorum, & paraſelenorum cauſæ.

Pareliorum, & paraſelenorum portenta.

quàm Aquilonis: cuius aer non ita facilè in aquam conuertitur. Thimon in sua meteora dicit, parerellos (ita parelia vocat) circa Solem, quando scilicet binus, vel trinus apparet, futuram pluuiam, & magnam denotare: cum illi vapores sint humidi, multi, ac supremè eleuati. Nescimus autem cur parelia vocet parerellos, nisi velit sumere pro virgis: quæ cum lineam rectam ostendant, parerellorum similitudinem habent. Nam parelia solis idolum referunt: pararelli lineam rectam, vt virga. At dicamus de Halone quem latini dixere aream, aut coronam. Halo nihil aliud est nisi luminis refractio secundum circulum facta in humido vapore: inter visum, & corpus luminosum posito. Ex qua diffinitione habes primo, quæ sit eius materia, certè vapor humidus inter luminosum corpus, & visum nostrum interpositus. Secundo quæ sit efficiens, nempe lumen: nam id Halonem efficit. Tertiò quæ sit formalis, non nisi luminis ipsius refractio in hoc vapore circulariter ad aspectum nostrum. Nam ad angulos æquales restringitur lumen: idcirco circulariter videtur ob æqualem luminis refractionem ad visum aggregati. Quid autem Halo, siue Area, aut Corona significent: dicendum est. Halo si circa peripheriam spissatur, & nigrescit, vel viridescit: humidas impressiones casuras denotat. Si attenuatur, & deficit, vel id æqualiter fit, vel vno loco, vel pluribus locis: si vno loco, & in vna parte rumpitur: ea quidem ventus accidet. Nam & hæc vaporis diductio à flatu fit: qui certe iam cœpit, sed non dum in terris sentitur. Si vero pluribus in locis laceratur, & frangitur: tempestatem ingruere scribit Seneca. At verò si æqualiter deficit, & dilabitur: quietem, & aeris serenitatem promittit. Alij verò arbitrantur, quòd quando circa Solem, vel Lunam apparet: quandoq; eum significare ventum, quandoque pluuiam. Nam si non disgregantur in aliqua parte, nec cito euanescit: tunc dubio procul pluuiam portendit; vt plurimum verò ventos significat. Conformia & hæc sunt his quæ Ptolemæus scripsit libro secundo Quadripartiti capite vltimo: de quibus & nos in præsenti libro capitibus, tertio, quarto, & quinto, ad duo lumina relatis, mentionem fecimus. Et nunc quoq; dicemus, radios, nubesq; subrubras, & refractiones, vt areæ, & virgæ, ventos ex ea parte significare in qua similia cernuntur. Quæ si sub pallida, obscura, vel nigra fuerint, quæ apparent: imbres, hyemesque denuntiant. Porrò Cardanus qui Ptolomæum egregie explicat, ac commentatur doctissimè circa areas digreditur: nempe quòd si vna fuerit, & paulatim euanescat: serenitatem annuntiat. Si duæ, aut tres, hyemes significat. Quòd si cum hoc rufæ fuerint, aut quasi laceratæ, hyemes, magnosque ventos: sanè, à ventis prouenit laceratio. Spissæ ac caliginosæ, niues, & hyemes: laceræ verò nigræ, aut luridæ vtrumq; portendunt. Generantur vtiq; Halones temperato, ac tranquillo tempore. Quandoquidem magnus calor vaporem dissipat: & intemperatum frigus nimis condensat. Idcirco quieto tempore fit ex vapore in aere existente raro, & in nubem noodum contracto. In cuius centrum si vtriusque luminis, vel Lunæ, vel Solis radius cadat: fit circulus post circulum, quemadmodum lepis in aquam quietam proiectus; facit circulum post circulum paulatim euanescentem. Ita ex illo vapore fit circulus post circulum: nam impulsum impellentem formam insequitur. Cumque omne lumen naturaliter sit rotundum, ideo vapor ille rotundatur: Nam & duo lumina circa quæ apparent: peripheriam habent, & circulum. Sed & de nubium adiunctis, earumque significationibus distincto capitulo ad pleniorem illarum intelligentiam, statim dicemus.

Thimonis sẽtentia de parelijs.

Parelia vocata à Thimone parerelli.

Halo quid sit

Halonis causæ omnes.

Halonis, seu areæ, vel coronæ portenta.

Senecæ portenta.

Aliorum portenta.

Ptolemæus.

Arearũ, virgarum, & similium significationes.

Cardani portẽta de areis virgis, & similibus.

Halones quãdo generantur, & quomodo fiunt.

Adiunctorum nubium portenta. CAP. XIX.

Circulorum, arcarum, & similium portenta iuxta Plinium.

Circuli duplicati circa Solem quid presignificat iuxta alios.

At verò circa portenta conuenit supradicta augere, explicareq́; . Plinius lib. 2. cap. 3. asseuerat circulos repentinos rubei coloris plurimum esse prodigiosos: quippe qui bella præsagiunt ob longiorem solis defectum, continuumque pallorem. Ex quo alij occasionẽ sumpserunt philosophandi, dicentes; tales circulos in Sole, seu circulos circa Solem duplicatos, portentosa tonitrua, atque fulmina, quæ ædes, & iumenta prosternunt, præsagire: insuper captiuitates, & hominum interfectiones, accolarumq́; rapinas, hostiles classes, piratarum incursiones, grassationesq́; , atque incendia; quinimò circa veris finem, circulis euanescentibus pluere solent sulphurea grana cum vapore fœtido, moxque sequuntur horrenda tonitrua, ita vt audientes contremiscant: rapidaq́; flumina plus solito niuium resolutione excitata, omnia suo versu obruere solent, ac dispergere. Vnde autem tot pessimos futuri temporis euentus habent? sunt qui rentur vel sui natura, vel alia secreta ratione. At certè dubitamus hæc, & similia ab hisce circulis, & Halonibus proueniri, cum vltra duas horas, & dimidiam durare minime possunt: qui igitur fieri poterit, vt tot effectus durabiles à causa parum durabili proueniri possint? nam de Cometis non est ambigendum ob diuturnitatem. Quod si dixeris, eclipses parum durant, nihilominus tamen tot mirabiles producunt effectus: Respondetur, non esse eamdem rationem; nam in Lunæ defectu aufertur totaliter lumen, in Solis labore impeditur: quod quidem inferioribus malum iudicatur, quæ vtriusq́; luminis lumine gubernantur. Quæ si dixeris hæc quòd non simul, & coniunctim, sed diuisim eueniet: hoc est, supradictorum aliquando quædam, quandoque alia, id dubio procul sufferri potest. Sed referamus nos ad aeris, temporumque mutationes, & dicamus in vniuersum de parelijs primò, & virgis: secundò de Coronis, & Halonibus, tertio de Nebulis.

Circuli euanescẽtes circa veris finẽ.

Halonum, & circulorum duratio.

Argumentũ.

Responsio. Responsionis confutatio.

Pareliorum significata.

Parelius inde aquas, aut ventos promittit: vnde apparebit. Alij habent parelios semper aliquid singulare significare cœlitus, quod certè intelligendum est, cum fiunt crebriores. Item si duo parhelij (hoc est soles alteri iuxta Theophrastum) appareant, vnus ad boream, alter ad Austrum, simulque Corona: celerem imbrem nuntiant. Aristoteles author est, parelia magis pluuias indicare, quàm virgas. Virgæ pluuiarum indicia sunt, quemadmodum parelia, coronæ, & irides, sed imbecilles excitant, modo ad meridiem fuerint, nunc ad Septentrionem exortæ iuxta Theophrastum. Causa est, quia virgæ semper ad latus generantur, vel australe, vel boreale, vt Author est Aristoteles 3. Meteor. Cap. 6. numquam ad ortum, seu ad occasum: rursus Oriente, & Occidente Sole, sed vt plurimum Occidente, in medio nunquàm, vel raro. Corona si æquabilis concrescat, & emarcescere videatur: serenitatem portendit Theophrasto, eidem quoque si atræ, & nigræ fuerint, pluuias, ac magis si vesperæ contingant, ob humiditatem. Sed ante eum suus præceptor Aristoteles docuit, nigram coronam imbres præsagire: si frangitur, ventos: si emarcescit, serenitatem. Plinius circa duo lumina coronarum apparentias sic distinguit. Si circa Solem Occidentem candidus circulus fuerit, noctis leuem tempestatem: si nebula vehementiorẽ, si cadente Sole, ventum. Si ater circulus fuerit, ex qua regione is eruperit: ventum magnum. Circa Lunam si caligo orbis nubem incluserit, ventos, qua se ru-

Theophrastus.

Aristoteles.

Virgæ cur imbecilliores pluuias excitãt, quã parelia, coronæ, & irides.

Arist. opinio de generatione virgarũ.

Coronarum præsagia.

Arist. portenta de corona.

Plinij vaticinatio de coronis circa luminaria.

se ruperit: si gemini orbes cinxerint, maiorem tempestatem, & magis si tres erũt, aut nigri, aut interrupti, atq; distracti. De coronis verò quæ fiunt circa alia sidera inquit; si stellarum errantium aliquam orbes incluserint, imbres. Circuli noui circa sidera aliqua, pluuiam. Aratus autem ante eum habet, quòd si nigra fuerit corona, ac stellæ ambæ eodem colore, pluuiam minitari: coronas verò soli propinquas, ac impensas, nigrescentes, tempestatem: non propè, nigrescentes, serenitatem polliceri. Sed Aristoteles tertio Meteoro. Scribit omnem coronam simpliciter esse bicolorem, ac proinde pluuiam significare: nonnisi quia vaporibus concrescentibus oritur, quod est imbrium ratio. Quò circa coronæ à caligine, quæ circa luminaria cogitur, fiunt, aspectum reflectente: vnde sub Sole, & Luna efficiuntur: quemadmodum iris è regione, parelia, & virgæ ad latus, vt iam supradictum est. Circa Lunam sæpius, quam circa Solem fiunt: quia Sol calore suo concretionem dissoluit. Quare si circa Lunam fuerint, magis flatum decernunt, quàm si Solem circundauerint: quòd si circa vtrumq; lumen disrumpantur, ventos proximos esse, monent Theophrastus: & ex qua parte se ruperint, ventus excitabitur; idq; communiter est receptum. De nebulis iam dictum est, & dicatur, vel nullos imbres, vel paucos regulariter esse expectandos: nam serenitatis sunt nunciæ. Verumtamen iuxta Theophrastum ad Lunæ configurationes, & schemata relatæ, tum flatus, tum quoq; imbres præsignificare solent. Igitur ex nebulis, quæcumq; ceciderint cornuta Luna, tunc temporis flatus prænuntiant: quæ verò pleniore, tunc imbres fore, minantur, & quò magis in alterutram harum configurationum increbuerint: eò magis hæc fore, præmonstrabunt; quia etiam cum decidentibus nebulis surgentes prædicunt.

Coronę circa sidera.

Arati opinio de coronis.

Corona omnis bicolor est iuxta Arist.

Coronæ, parelia, virgæ, Irides quomodo fiunt.

Coronarum disruptio ventos ostendit.

Nebulę quid portendunt ad Lunam relatæ.

De Iride eiusque causis. CAP. XX.

QVEMADMODVM parelia ad solis latus, Halones sub Sole: ita iris è regione Solis gignitur in nube, quæ in guttas dissolui iam incipit: in quas radij incidentes refractione sua pingunt nubem. Est namque iris arcus varios habens aduerso Sole colores in nube, quæ sit rara, concaua, rorida idest aquosa, ac inæquali ex reflexione radiorum Solis oppositi: sicuti videmus radium in aqua fulgentem relucere ad parietem. Ideo nonnulli dicunt arcum reflexionem esse luminis in nube opposita. Aristoteles in suis meteoris sentit arcum esse refractionem visionis in Solem. Dicit.n. ἀνάκλασις ἡ ἶρις ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιον. Verum enimuero vtrumq; certe concurrit: nempe radij refractio, & luminis reflexio. Nam radij refractio nubem pingit, lumenq; intendit: vt ob radij duplicationem magis fiat visibile. Ad id lumen reflexione delatum ad visum: in primis arcum efficit, atq; informat. Vnde Iris iuxta quod videns mutatur, mutatur & ipsa: & ad quodcumque latus mouetur, ad idem inclinat & iris. Quod certe Opticis occasionem dedit admirandi, dicendique iridem insequentes fugere, & fugientes insequi. Quod pulcherrimo disticho enigmatice explicuit Doctissimus Freigius in sua meteorologia, dicens.

Iridis generatio.

Iridis diffinitio.

Iris iuxta Arist.

Ad Iridem radij refractio, & luminis reflexio concurrunt.

Si fugio sequitur, sed me fugit illa sequentem:
Res varia, & mira est, dic mihi quaeso quid est?

Iris cur mutatur, ad mutationem videntis.

Proculdubio reſpondebis: iris eſt. Vnde autem id prouenit, expendere licet. Optici ex lineæ concurſu ad viſum reflexione progredientis cum perpendiculari linea à puncto rei viſæ ducta ſuper ſuperficiem corporis à quo fit reflexio formæ viſæ, prouenire oſtendunt. Ex hoc enim quod multi radij ſimul congregati ad viſum reflectuntur à diuerſis partibus materiæ iridis, cum generatur iris, ſecus nõ fieret: ex hoc certè ſequitur, quòd prout viſus mutat puncta ſua in materiam iridis, mutatur & ipſa iris: & quocunq; ſe vertit videns, vertitur & iris: nam ſemper radij comitantur vniformiter viſum, & iridem. Ex quibus habetur, quæ ſunt iridis cauſæ: formalis ſcilicet, materialis, & efficiens. Formalis eſt ipſa refractio radiorum luminis in vapore rorido: qui dum in guttas diſſoluitur, fiunt illæ vt ſpecula, in quas radij reuerberantes, ſua refractione colorant nubem: atque ad viſum delati, formam arcus reddunt. Materialis eſt roridus vapor, inter guttas quæ dilabuntur, medians, & aqueum vaporem: leuitatis multum continens, nondum in aquam redactus: ac propterea ſuſpenſus manet ne dum propria leuitate, ſed regenerantis virtute. Dum vero vel à frigore, vel ab aliquo alio agente in aquam redigi incipit: dum dilabitur, euaneſcit & iris. At efficiens cauſa ſolis radius eſt, vel Lunæ: aut in vniuerſum lumen. Optici ſentiunt eſſe formas radiantes. Nam ex reflexione luminoſi corporis ad viſum: fit iris. Sanè ab omni corpore diaphano inſpiſſato, vt ſunt nubes, vapor, aqua, vitrum, Chryſtallus, aer denſatus, & ſimilia reflectuntur radij. Cum itaq; ſoli aduerſatur nubes, vel vapor roridus: tunc profectò ex radio ſolari in nubem, vel in vaporem roridum incidens: fit reflexio. Nam ſolaris radius in nubem, vel in roridum vaporem incidens: reflectitur. Huius tamen rei cauſam, ſi ſubtilius expendere deſideras: vide quæ ſcripſerunt optici, præſertim Vitellio, & Alacenus de luce, vmbra, colore, viſus natura, facultate, veritate, hallucinatione: è ſitu, motu, numero, quantitate, figura, & de adiunctis omnibus; inde certè aſſequeris, quod cupis. Ex quibus omnibus ſequitur ſubiectum adæquatum opticæ, & proprium, eſſe colorem, & rem lucidam vmbram, vel corpus lucidum coloratum, & denſum: Quia, quæ videri debent, lucida, colorata, & denſa eſſe oportet. Requiritur ergo ad videndum corpus, vt ſubiectum, quo viſio terminetur: quandoquidem abſq; eo nec lux, nec color, nec denſitas eſſe poteſt, ſunt etenim illius comites, & adiuncta. Ita quoque abſq; luce colores non apparent, abſq; denſitate viſus tranſuolat, & penetrat, ac propterea requiruntur corpus, lux, color, & denſitas. Corpus quidem cum ſuis adiunctis, vt ſunt motus, quies, locus, quantitas: qualitates etiam in figura, ſitu, aſperitate, lenitate, ſiccitate, humiditate, &c. Quare ſubiectum commune opticæ erit corpus cum omnibus his. Eſt namq; optica, ſcientia de ratione videndi, & geometria in luce, vmbra, colore, viſus natura, facultate, &c. aut, quòd viſus ipſe rectus ſit, vel ſpeculorum reflexione, vel mediorum refractione ob diuerſorum denſitatem, & raritatem. Primum fit per radios rectos in aere. Secundũ per refractos, vel ad angulos æquales in prohibentibus penetrationem, vt ſunt ſpecula, plana, caua, conuexa, ſimplicia, compoſita, & hi propriè reflexi dicuntur, ſeu reuerberati: vel ad inæquales in penetrationẽ minimè prohibẽtibus, vt ſunt humor, aqua, & ſimilia: & hi dicuntur refracti ſecundum genus, reflexi à cæteris. Sed hic non eſt ſuus locus, hæc, & ſimilia pertractare, alibi etenim digreſſi fuimus. Vnum tamen maximè adnotandum eſt, quod docet Vitellio in ſua Optica lib. 10. Nempe, cum in medio denſiori res viſa reperitur, oculus in tenuiori; tunc locus apparens ſemper eſt oculo propior quã verus: ſi aũt res viſa è regione in tenuiori medio, viſus verò in denſiori, locus apparens remotior eſt vero. At tandẽ ſi res viſa, & viſus in eodem medio conſiſtant, tunc apparens locus cum vero coincidet: & erunt idem.

Iridis cauſæ formalis, materialis, & efficiens.

Iridis cauſæ iuxta opticos.

Vitellio, & Alacenus.

Propriũ Opticæ ſubiectũ adæquatum.

Ad videndũ neceſſaria.

Subiectũ cõmune opticæ.

Optica ſciẽtia quid.

Viſio recta, reflexa, & refracta.

In lib. De opinionibus hominũ, &c.

De

De coloribus iridis. CAP. XXI.

ADMIRANDA quidem, & iucunda est inter cætera in aere visa, quæ in medio generantur, iris apparitio, constructioq;. Quippe, quæ tantorum colorum varietate exornata conspicitur: quod multis viris acuto ingenio præditis occasionem dedit dubitandi, inquirendi, philosophandi, determinandiq;. Nos itaque de eius coloribus, vnde proueniant, dicemus primo. Et quamuis id ex parte iam tactum sit: nihilominus tamen exquisitius quoq; manifestabimus. Videbimusq; quot numero sint, & quales sint: & cur non Solis, aut Lunæ imagines referat, vt parelia, aut paraselenæ, vel speculum: deinde cur arcus formam exprimat, & non circuli, vt Halo, & Area. Sciendum itaq; est, lumen quod naturaliter, est lucidum, recipi in nube inæquali atq; dissimili: & quæ sit dissoluta in plurimas, easq; minutas guttas. Inde sequitur, vt varijs pingatur coloribus: secundum quod lumen miscetur cum vmbra huius, vel alterius corporis. Manifestum enim est, quòd lumen dum res coloratas transgreditur, illarum procul dubio colorari coloribus. Patet de radio per vitrum coloratum transeunte, quod induitur colore vitri: quia lumen reflexum secum defert colorem rei, à qua reflectitur ad visum. Alij verò addunt nubem circumstantem, illam quæ est rorida, vbi fit iris: adiuuata colorum varietatem. Verum enimuero diuersa corporis roridi positio propriè efficit, vt sit diuersa colorum varietas: prout diuersi colores in iride diuersimode miscentur: qui quidem miscentur, & transuehuntur ratione materiæ, vmbrarum, & locis. Exemplificant nonnulli de vestibus in quibus cum duo, vel tres tantum colores extiterint: nihilosecius diuersorum mixtura gignitur; quia lumini permiscentur. Quandoquidem non est idem purpuræ color ad album relatæ, & ad nigrum: quia proximi coloris claritas, vel obscuritas aut illam intendunt, aut remittunt. Afferunt quoq; exemplum de coloribus qui in collis Columbarum, Pauonum, & Anatrum apparent. Nam cum ex pennarum inæqualitate modo huc, modo illuc iaciantur vmbræ lumini permixtæ: fit, vt ex his quoq; diuersi vtrinq; consurgant colores. De numero autem colorum quot sint, & quales sint: reliquum est examine. Nonnulli dicunt iridem totam albam aliquando apparuisse. Id verò à tribus potest prouenire causis, vel à nimia vaporis densitate, ob quam lumen vaporem penetrare non potuit: quare reflexio in superficie facta est, ac lumen à corpore permixto colorem recipere nequiuit: Vel à vaporis raritate ob quam magnus luminis fulgor illum circumfudit: vel à visu in optima existente dispositione cum respectu sui ipsius, tum etiam distantiæ ad rem visam proportionatæ. Aristoteles tres tantum colores iridis præcipuos posuit: puniceum, viridem, & cæruleum. Puniceus color à loco dicitur scilicet a Phœnice, vel à gente hoc est à Phœnicibus. Hoc colore librorum titulos notabant veteres in Phœnicum honorem, atq; memoriam: quos literarum fuisse inuentores dicebant; vti scripsimus libro secundo cap. 15. de libro Apochrypho. Hinc color propriæ flagat velut viola flammea: plerisq; purpura olim vocata. Viridis color qualis sit, herbarum multitudo docet: sanè manifestus est omnibus. Cœruleus color cœlestis sereno Cœlo, dictus quasi cœluleus. His e tribus præcipuis coloribus exornari iridē scribit Aristoteles: puniceo scilicet, viridi, & cœruleo. Puniceus extimam arcus circumferentiam ambit. Fit autem à nube, à lumine, à visu. A nube densiori, sed rorida: à lumine refracto, sed

Iris apparitio atq; constructio.

Nubium colores ex lumine.

Nubes roridæ adiuuat colorũ varietates.

Vestis tricolor multiplicis coloris apparet.

Colores diuersi in collis columbarum, pauonum, & anatrum.

Iris alba quã apparuit.

Iridis colores iuxta Arist.

Puniceus color in Iride à quibus fit.

ſed reflexio: à viſu remotiore, ſed debili. Nubes enim tota luminoſa eſt: ſed ſuperior eius pars tantum lumine fulget: quia plurimum aquæ continet. (Diximus iam nubem eſſe roridam, ideſt aquoſam) Inde fit, vt fit ſpiſſior, atque nigrior: Igitur color redditur puniceus. Lumen deinde dum à diuerſis ſuperficiebus in nubis pro fundo æquidiſtantibus baſi pyramidis primæ illuminationis reflectitur: ſemper æquales angulos efficit. Ideo cum ad viſum reflectitur: per ſuperficiem prioris pyramidis viſui proximioris reflectitur. Igitur lumen ob refractionem, & ob longiorem viſus diſtantiam à viſibili, vel è contra, debilius cernitur: quia viſus debilitas ex longiori viſibilis à viſu remotione cauſatur. Cumq; ſit colori nubis nigro admixtum, quia præſupponitur fieri in nube denſiori, ſicuti re vera lumen in illa recipitur: apparet quidem ex lumine color puniceus; qui idem lumen eſt.

Opticæ Axioma. Ariſtoteles. Fulgidũ per nigrum aut in nigro cur puniceum.

In Optica verum Axioma proponitur, Album ſcilicet per atrum viſum: puniceum apparet. Conforme quidem his quæ Ariſtoteles ſcripſit in Meteorologicis libro tertio, capite quarto: quod fulgidum per nigrum, aut in nigro apparet puniceum. Huius ratio eſt, quia vapor à luminoſo corpore remotior, fit ſpiſſior, atque nigrior. Cum igitur vaporis nigredo debiliori lumini permiſcetur, ipſum denigrat: & viſui offuſcatius offertur. Et quamuis ſit lux: fuſcus nihilominus redditur medius aer ob nubilum.

Color viridis in Iride quomodo gignitur.

Color viridis πράσινος à Græcis dictus, in iride ex concurrentibus ſex circumſtantijs gignitur: ſcilicet ex maiori luminis mixtione in nubis nigro, ex minori refractione: ex reflexione. & viſu ſub maiori angulo: ex ſitu in minori diſtantia, ex radiatione in ſpiſſiori materia: & deniq; quatenus lumen illud pluribus permiſcetur vmbris. Ita enim lumen in tali materia reflexum, refractum, mixtum, locatum, irradiatum: viſum, viride cernitur.

Color cæruleus in Iride ex quo oritur.

Color cæruleus ex vaporis multitudine conſurgit, ac prout pluribus vmbris permiſcetur: ſed præſertim ex continguitate ad puniceum, & viridem ſic emergit.

Raphaelis Volaterrani opinio de ortu colorũ viridis, & ſemicerulei in Iride.

At Raphael Volaterranus vir clariſſimus in argumentum ad primum Meteorologicorum Ariſtotelis librum habet: reliquos colores, puta praſinum, qui & viridis, & ſemicerulæum, non ob nubilum ſpeculum fieri, ſed ob viſus debilitatem ſic nobis reddi: nam in obſcuro caligantes oculi, ſub viride quid videre, videntur.

Color quartus in Iride, q & flauus.

Alij quartum addunt colorem, nempe flauum: Ab Ariſtotele locis prærecitatis xanthum appellatum. At hic ex puniceo, & viridi conſurgit: non enim eſt ab alijs diſtinctus. Flauus certè color ex puniceo ad viridem relato emergit. Quemadmodum etiam ſuperior iridis color in atra nube exiſtens, flauus apparet.

Iridem quatuor colores ex quatuor elementis cõtrahere, ait Beda.

Verum Beda ſanctiſſimus, & doctiſſimus vir, iridem ex quatuor elementis quatuor contrahere colores conſtantiſſimè affirmat: rubeum ſcilicet ex igne in ſummo: viride in imo ex terra: ex aere iacincinum: ex aqua verò ceruleum.

Iris tricolor apparet iuxta Ariſt.

Sed iuxta Ariſtotelem (vt dictum eſt) tricolor apparet. Primus rubeus, vel vinoſus, ſeu punicæus: qui ex radio ſuperficiem rotunditatis nubis tangente, conſurgit. Hunc ſequitur ceruleus, ſeu glaucus: color certè mixtus iuxta qualitatem dominantem in medio nubis. Poſtremus eſt viridis: vbi vapor magis eſt terreſtris.

Iridis colores nec diſtingui, nec pingi poſſunt.

Hos colores ſenſim diſtinguere nullus poteſt, etiam pictor iuxta Ariſtotelem: quia per lineam picta diſtinguuntur, horum verò colorum nullus per lineam ab alio diſtingui poteſt.

Iridis colores ab Ariſt. explicatæ.

Iridis colores exemplis quibuſdam explicat Ariſtoteles tertio Meteorologicorum libro c. 4. nempè exemplo Auſtri: Qui dum ſpirat, circa lucernas in hyeme apparent irides, vt dicemus in ſequenti libro conſpiciuntur maximè ab humidos habentibus oculos: quia horum viſus ob debilitatem refrangitur. Fit autem ab aeris humiditate, ab euaporatione, à flamma defluente, & miſta: Nam fit tunc ſpeculum, & propter nigredinem quoq;. fumoſa etenim eſt illa euaporatio. Sed lumen, aut color, nec albus, nec puniceus redditur propter viſus tenuitatem, qui refrangitur,

& nigrum

& nigrum ſpeculum: apparet verò purpureus, & Irinus circulariter. Id quoq; in alijs quandoq; cernitur, puta in collo Anatrum, columbarum, pauonum: in aranearum telis, in vitris & ſimilibus. Exemplo etiam id oſtenditur aquæ, per remos latæ, aquæ per manum rorantis, ſparſæ: aquæ itidem ore vrinantium diffuſæ. Illa etenim ob diuerſam radiorum reflexionem in iſtis guttulis formam iridis exprimit: ſed colorem purpureum, vt in lucernis, non puniceum. Inſuper aqua ex fiſtula ſoli obuerſa defluens: arcum diuerſi colorem refert; ſic quoq; in nube diſpoſita accidit. Cur autem iris colorem referat, non autem ſolis idola, vel lunæ, vt parelia faciunt, & ſpeculum? Cauſa duplex eſt: ſcilicet multitudo refractionum, & nubis raritas: quæ receptam formam continere non poteſt; ob vtrumq; etenim rei viſæ imago ad viſum peruenire nequit. At in parelijs, & in ſpeculo; quia nubes leuis eſt, & continua: ſolis imago, vel lunæ aliquando cernitur.

Iris in collo anatrum, columbarũ, pauonum, &c.

Iris qui oſtẽditur in diuerſis rebus.

Iris colorem refert, nõ luminariũ idola, & cur.

Cur iris figuram arcus exprimit, & non integrum circulum. CAP. XXII.

HACTENVS de coloribus iridis dictum eſt, & cur vtriuſq; luminis imaginem non oſtendit: vt parelia, & ſpeculum. Nunc reliquum eſt inueſtigare, cur figuram arcus, & non integrum circulum, ſicut in Halone exprimit, ſanè dictum eſt Halonem ſub ſole fieri, ſicuti parelia ad latus: iridem verò ex aduerſo ſolis. Hinc ſequitur, quòd cum Solis centrum conueniat cum centro viſus, & iridis in hoc, quod ſemper in eadem linea recta, quæ eſt axis pyramidis illuminationis vaporis roridi, conſiſtant: vel ſemicirculum ſupra Horizontem exiſtere ob centrorum oppoſitionem ex diametro: dum ſol in Oriente, vel Occidente fuerit: vel cum ſolis centrum ſupra Horizontem eſt eleuatum, cerni arcum ſemicirculo minorem: quia tunc ſub Horizonte cenrrum circuli baſis pyramidis irradiationis deprimitur. Quanto enim ſolis centrum eſt magis ſupra horizontem eleuatus, tanto magis deprimitur arcus: ac propterea tanto minor ſemicirculo apparet. Inde eſt, vt in meridie exiſtente Sole, arcus minimus apparet: quia tunc Sol altiſſimus exiſtit. Itaq; dum iris apparet, aut Sol ſupra eſt Horizontem, aut in horizonte, in occaſu, vel ortu: ſi in horizonte, tunc ſemicirculum efficit: ſi ſupra horizontem, minorem arcum ſemicirculo. Cauſæ ſunt iam aſſignatæ. Nonnulli dicunt, aliquando poſſe conſpici integrum circulum fortaſſe ex luminis ſolaris reuerberatione à nube ad terram, vel ad aliam nubem: vbi ſit vapor roridus in medio, & viſus inter vaporem, & nubem à qua fit reuerberatio: ſed id nunquam legitur accidiſſe. Quinimò Ariſtoteles tertio meteorologicorum lib. cap. 5. firmis demonſtrationibus oſtendit impoſſibile, fieri in iride integrum circulum. Vide ibi. Verum cur iris circularis, & concaua videatur, & cur huiuſmodi reflexio formam arcus referat, non aliam: tametſi hoc tactum ſit; nihiloſecius aliam adducemus rationem. ſciendum itaq; eſt, ſolis lumen totum recipi in nube rotunda, in qua fit iris, ita vt omnes radijs in illa iaciantur: Nihilominus tamen, non omnes concurrunt ad viſum in eodem puncto, neq; extrinſeci, neq; intrinſeci, qui ſuperficiei totius roridæ nubis incidunt: ſed illi dumtaxat, qui ad vnum punctum axis pyramidis radialis reflectuntur. Id autem non caret ratione. Porro in ſuperficie plana aquæ ſi reluceat interdiu Sol, clarum certe eſt, in qualibet

Arcus ſemicirculo minor quando appareat.

Arcus ſemicirculo æqualis.

Circulus integer in Iride, quòd poſſit fieri ſentẽtia aliquorum.

Opinio prædicta reijcitur.

Secunda ratio cur iris circularis, & concaua videatur.

Rationis prędictæ probatio.

illius

illius puncto reperiri Solis formam: Attamen non videtur niſi in aliquo loco, à quo fit reuerberatio ad viſum. Quod ſi mutetur locus, prima ſolis forma deperditur: rurſum alia Solis forma acquiritur,cuius reflexio ad viſum dirigitur. Similiter noctu in eadem ſuperficie plana aquæ, in qua in quolibet puncto eſt forma Lunæ,vel Stellarum,illarum præſertim quæ vmbram iaciunt, vt Venus, & Iuppiter,& fixarum, quæ ſunt inſignis magnitudinis: nulla illarum certè videbitur niſi in aliquo determinato loco, à quo ſcilicet fiet reuerberatio ad viſum. At loco illo permutato,rurſum alia luminoſi corporis forma videbitur: ſanè illa cuius reflexio dirigetur ad viſum,tametſi lumen totam repleat ſuperficiem. Sed praxi mathematica id oſtendemus. Apodixi ſcilicet certiſſima,quæ non fallit:qua vtuntur optici,& in ſua Meteorologia adducit Freigius vir Doctiſsimus, & eſt comunis mathematicorum doctrina. A punctis itaquè reflexionis ad lineam ipſi totali conſiſtentiæ vaporis incidentem à centro luminoſi corporis perpendiculariter, ſi ducantur orthogonaliter tres,vel plures lineæ: illæ quidem erunt in eadem ſuperficie. Hæc propoſito patet per quintam propopoſitionem. 11. quæ per 32. & 26.p.1.erunt æquales. Ergo in puncto concurſus earum in axe eſt centrum circuli per 9. prop. 3. Cumq; partes totius radij non ad æquales angulos reflectantur,non apparet circulus integer: quamuis lumen per totam roridam nubem fuerit ſparſum. Sed dices, hæc contradicere his, quæ paulò ſuperius enarrata ſunt. Quandoquidem ibi dictum eſt, quòd & ſi totus vapor Soli oppoſitus, Solis radijs pingatur: nihilominus tamen cum de lumine tantum illud cernitur,quod de ipſo eſt reflexum ad vnum punctum axis pyramidis radialis ſecundum ęquales angulos,ſequitur iridem videri tantum circularem: nunc verò dicitur, quia totius radij partes non ad æquales angulos reflectuntur: quamuis lumen per vniuerſam ſit ſparſum nubem, ſequitur non videri integrum circulum. Hæc quidem contraria ſunt adinuicem,& peremptoria. At dicimus vnum alteri non obſtare: ſed vtrūque eſſe verum. Nam primum dictum eſt de iride,cur videatur tantum circularis,& non alterius figuræ: & reſponſum eſt, id prouenire à lumine reflexo ſecundum æquales angulos ad vnum punctum axis pyramidis radialis: ita vt reflexio luminis ad æquales angulos ſit cauſa,quòd iris videatur circularis tantum. Secūdum verò dictum fuit de iride, cur non videretur integer in ipſo circulus: & reſponſum quoq; fuit,id prouenire à partibus totius radij,quæ non ad æquales angulos reflectuntur. Hoc eſt, non omnes partes luminis ad omnes æquales angulos reflectuntur. Tametſi maius lumen cuius imago eſt iris,ſit rotundum:totamquè nubem lumine repleat, quia tamen longe eſt à nubibus altius ſuperiorem nubis partem tangere videmus: ac propterea arcualem figuram ei imprimit. Vnde quanto illud ortui eſt propinquius, vel occaſui: tanto è regione apparet iris maior. Videretur itaq; integer circulus,ſi ad omnes æquales angulos lumen reflecteretur. Et ratio eſt,quia radij qui ad angulos reflectūtur,maiores quā ſit anguli radiorum ad viſum reflexorum,vltra punctum viſus,ad alium axis locum reflectuntur: ſed eis qui ad viſum perueniunt,minores, ad alium axis locum infra centrum viſus concurrunt. Quo fit,vt neutri videantur, niſi fortaſſe ab his qui in horum concurſuum locis conſiſtunt, atq; degunt. Hinc oritur,quod iuxta alium, & alium locum ad quem mouetur videns, aliam nunc, deinde aliam conſpiciat iridem:& quandoq; plures. Ex viſa enim mouentis ſe id prouenit. Incidit namque in puncta viſus aggregationis diuerſorum radiorum, dum mouens progreditur, & regreditur. Vtrum vero plures irides ſimul fieri poſſint, & conſpici,ſimul tempore: dubium eſt. Nam quòd duæ,eſt manifeſtum, & nos ſæpe vidimus: tres autem fieri negat Ariſtoteles libro tertio Meteorologicorum ſuorum cap.4. & cre-

Apodixis mathematica certiſſima. Freigius.

In iride cur non apparet circulus integer.

Doctrina, quæ ſuperiori cōtradicere videtur.

Reſpōſio ad contradictionem.

Iris quando videretur integer circulus.

Iris alia, & alia videri poteſt iuxta videntis motum.

Vtrum plures irides ſimul fieri poſſint.

& credimus verum dicere. Quia secunda iris cum sit obscurior prima, sequitur, vt tertia (si fiat) valde debilis existat: quia refractio debilissima est impotens ad Solem pertingere. Verum enimuero ratio, quæ nos suadet, cur iris non videatur circulus integer (& est nostra) est, quia cum illa fiat in nube non densa, sed rara, roridа, & aquosa: quæ iam resolui incipit: & quæ participat terram, vel mare, vel vtrumq; tanquam basim: terminanturq; ambæ iridis partes, seu cornua, vel supra terram, vel mare, aut super vtrumq; impossibile est, vt integer fiat circulus: sed tãtum illius apparere necessum est, quantum à terra per aerem est vapor roridus eleuatus: supposito semper ab illa aeris parte vsq; ad terræ, vel aquæ superficiem, roridam nubem in aquam continuo resolui: quod certè super terræ superficiem fieri, luce clarius constat. Verum enimuero pulchra iris conspicitur singulis diebus in estate, mane intra nostram cameram ad murũ ex Solis reuerberatione, ad vitream fialam aqua plenam in fenestra degentem, cum omnibus coloribus picta, quemadmodum cœlestis cernitur: sed positu è contrario. Nam semicirculi peripheria ex imo in altum consurgit, ita vt cornua non terram petant, sed cœlum. Tametsi cõuexi peripheria alicubi, sed præsertim imum versus dilatetur vtcumq; concaui verò perfecta remanente. Sed iris non durat ob Solis motum, & recessum, sed paulatim absumitur, & euanescit: Sole paulatim abscendente. Idcirco Ptolemæus reponit irides inter ea, quæ solum videntur, & non sunt: quia nulla substantia constant, vt cætera in aere visa (præter areas, parelia, virgas, & similia) quoniam non sunt nisi luminum reuerberationes, reflexa, & refractiones. Quæ vtiq; nulla substantia constare videntur: sed apparent substantiam habere. Omnia namq; similia per Solis refractionem ad nostrum visum fiunt. Nam aer lucis refractiones recipiens, & visus, cum per lucem visus exercetur, phantasiam diuersorum præbet colorum simul: & causa omnium horum est. Superius dictum est, visum refrangi cum luce, ab aqua, ab aere denso, ab omnibus leuorem in superficie habentibus. Emphasis in colore non in figura fit: figura verò diuisibilis. Sed quæ per emphasim apparent: indiuisibilia sunt. Iris igitur iuxtà Ptolomæum nulla substantia constat, quia ex refractione fit: cum scilicet Sol per Cathetum superstat nubi ad pluuiam plerunq; paratæ, nondum tamen pluere incipienti.

Iris cur non videatur integer circulus, & est ratio nostra.

Iris pulchra, quæ singulis diebus in camera authoris conspicitur in æstate.

Irides nulla substantia constant.

Iris cur nulla substantia constat iuxta Ptolemęũ.

Iridis Portenta. CAP. XXIII.

IRIS in signum fœderis data est à Deo Noe, ne deinceps diluuij aquis mundus periret: pollicitatione sempiterna, pactoque diuino id statuit, dicens. Arcum meum ponam in nubibus: & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem. Sic legitur Genesis capite nono. Ideo Ecclesiastes 44. cap. dixit. Vide arcum, & benedic qui fecit illum. Quasi diceret, quia non erit amplius diluuium super terram: nam arcus est signum non futuri diluuij. Vnde & quidam perspectiui sentiunt, iridis generationem, apparitionemue, excludere caraclismum, hoc est generale diluuium; Ideoq; post iridem non sequi magnam pluuiam. Quare & quidam cecinerunt.

Iris cur data Noe.

Arcus cœlestis signũ est non futuri diluuij.

Ne timeant imbres: datus est in nubibus obses.

Arcus cœleſtis per quadraginta annos ante iudiciũ nõ apparebit.

Hinc Beda ſanctiſſimus vir autumat, quòd per quadraginta annos ante vniuerſale iudicium haud apparebit arcus. De quo duplicem aſſignamus rationem. Prima eſt naturalis, ſecunda Theologa. Naturalis eſt, quia erit ſignum deſiccationis elementorum. Theologa, quia finietur mundus per ignem. Ex quibus omnibus elicitur, primo à creatione mundi vſque ad diluuium nunquam

Arcus ante diluuium nũquam apparuit.

Pluuia ante diluuium nõ erat ſuper terram.

apparuiſſe arcum iridem. Nam dicit arcum meum ponam in nubibus. Affert verò rationem, vt ſit ſignum fœderis inter me, & terram. Quòd ſi antea apparuiſſet, non dixiſſet arcum meum ponam: quia iam poſuiſſet. Sequitur ſecundo ante diluuium non cecidiſſe ſuper terram, nec extitiſſe pluuiam: terra verò aquis fontium, & rore copioſo irrigabatur. Quamobrem fructus & herbæ ſuauiores erant, & ad nutriendum maioris virtutis, atq; efficaciæ, quàm poſt diluuij tempora. Nam aer tunc nec ventis, nec nubibus, nec pluuijs, neq; cæteris paſſionibus perturbabatur: quemadmodum & nunc perturbatur, atque in pœnam peccati diſtemperatur.

Iris cur eſt ſignum non futuri diluuij.

Iridis portẽta.

Cur autem iris eſt ſignum non futuri diluuij? Ratio eſt, quia cauſatur ex vaporibus non omnino ſiccis, nec omnino calidis. Significat quippe diluuium non futurum, non omnino: ſed quamdiu Sol & vapores in eadem ſunt diſpoſitione; ideo ſæpe euenit, ſed particulare. Quid verò portendit: reliquum eſt dicere. Nonnulli autumant, quòd cum iris apparet, ſignificat pluuiam, ſed non magnam: tametſi ſemper fiat in nube rorida. Quare ſi ventus contra Solem ſpiret, tunc iride

Iris quando futuram pluuiam, vel præteritam ſignificat.

Ex iride ſerenitas, pluuiæ, flatus.

apparente: futuram pluuiam pronuntiat. Si verò à Sole veniat ventus, apparente iride: præteritam fuiſſe pluuiam ſignificat. Ratio eſt, quia iris ſemper fit nube deſcendente, vel occurrente. Iris verò apparens aere exiſtente ſereno, pluuias futuras portendit. Quòd ſi ſe extulerit temporibus pluuioſis: ſerenitatis eſt indicium. Si verò hyemali aere apparuerit per ventos, pluuiaſque breues: aeris claritatem promittit. Quòd ſi ad viriditatem plus ſolito tenderit, eò amplius pluuias denotat; ſi verò ad rubedinem, ventorum indicat flatus. Qui ſi tranquillo aere ſic micauerit: pluuias, ventoſque portendit. In vniuerſum ver ò pluuias non

D. Thomas.

ſuperabundantes ſignificat, Sole non totaliter eas deſiccante, iuxtà Diuum Thomã quolibeto tertio, quæſtione quartadecima: ſerenitatem verò parit prout cauſa eius eſt cauſa ſerenitatis. Sed adnotandæ ſunt circumſtantiæ aliquæ, vt certius

Ex iride quãdo pluuiæ inũdatio, nubiũ conatio, & ſerenitas.

ex iridis poſitu, inde aeris qualitates prænoſci poſſint. Eſt itaq; ſciendum, quòd iris pluuiæ inundationem tũc portendit: cum ſcilicet in Meridie apparet; nubium conationem, quando circa Occaſum: tunc namq; ſignificat, quòd tonabit, leuiterquè pluuet. Cum verò in Ortu, vel circa apparuerit: ſignum tunc quidem erit ſerenitatis. Quod ſi Septentrionem verſus ſub hyberno illuxerit aere: ſerenitatem quoq;.

Iridis portẽta ex Ptolomæo.

Ptolomæus verò capite vltimo ſui ſecundi Quadripartiti textu 72. ſcribit; quòd arcus quocumque tempore extiterit, ſi ſit ſerenum, hyems: ſin hyemet, ſerenitas eſt expectanda. Quod iam explicatum eſt. Affert verò rationem

Haly. Cardanus.

Hali in ſuo Commentario, quem ſequitur etiam Cardanus: quia iris fit à nube rorida ſparſa. Igitur ſi ſerenitati ſuccedit, ſignum eſt aerem humectari, ac craſceſſere: ac propterea hyemes, hoc eſt, magnos imbres ſignificare. At ſi imbribus ſuccedat, cum hi à denſis nubibus, denſoque aere fiat: indicium eſt iris, vtrumque iam rareſcere. Ideoque nec inundationes, nec ſqualores ſuc-

Iris ſereno cœlo an fieri poſsit.

cedere poſſunt: quia fit à nube rorida, & diſgregata. Vtrum autem poſsit fieri Iris ſereno cœlo? Reſpondetur toto cœlo ſereno, minimè, ſed aliqua ex parte cœli ſereni; vtique: ſicuti etiam videmus ex vna cœli parte pluere, ex alia

Iridum plurium appari tio q̃ id ſignificet.

ſerenum eſſe, & Solem lucere. Itaque erit iris ex parte cœli nubibus obuoluti, erit Sol ex aduerſo, cœlo ſereno; idque ſæpe contingit. Verùm antequam extrema huic capiti imponatur manus: referenda eſt aliquorum ſententia de plu-

tia de plurium iridum apparitione, quid significent. Sanè dicunt, quòd cum plures apparuerint, & per ventum moueantur, atque in altum plus solito eleuentur: signum esse pluuiæ futuræ. Num verò plures, quàm tres Irides fieri, & conspici possint: iam dictum est. Vtrum autem apparente iride possit ventus contra Solem flare? nonnulli arbitrantur nunquàm id accidere posse. Et credimus id sentire, quia fortè putant, ventum tunc iridem dissipare: ac propterea cessat iris, & significatio eius. Alij autem raro id euenire existimant. Sed nos non videmus, cur id accidere minimè possit: cum multoties viderimus. Nam ventus non statim id efficeret, sed in tempore: ac propterea significat aeris qualitatem pro duratione iridis. In vniuersum itaque si clara illuxerit, breuique claritas obtundetur: insinuatur aer hybernus, aut pluuius; quia congelati vapores, quibus iris constat, resoluuntur. Quod quidem æstate dumtaxat fieri putatur: quod nisi sursum ductis, & condensatis vaporibus, non poterit iris lucere. Quamuis, vt dictum est, vbi sub hyemis sereno iris appareat, serenitatem significet: quòd hac iris scilicet apparitione dessiccari significentur. Aratus verò, cum d æ fuerint irides: tunc pluuias nunciare, cecinit. Thophrastus, & Virgilius vnam iridem ad pluuiam sufficere, scribunt. Virgilius tamen magnum imbrem fore cecinit, si iris magna fuerit. Seneca primo, libro naturalium suarum quæstionum cap. 6. idem sentit, sed distinguit: videlicet, si à meridie iris oritur, magnam vim aquarum vehet: quia vinci non poterunt vehementissimo Sole, tantum est illis virium. Si circa occasum refulget, rorabit, & leuiter impluet: si ab ortu circauè surrexerit, serena promittit.

Iride apparente an cōtra solem vētus flare possit.

Iridis portēta in vniuersum.

Irides duæ iuxta Aratū. Theophrastus. Virgilius. Iridis portē ta iuxta Senecam.

De Arcu cœlesti Lunæ, eiusque portentis.

CAP. XXIV.

HVC vsque de Solis iride dictum est: nunc verò dicendum remanet de arcu cœlesti Lunæ. Quemadmodum enim maius lumen suum habet arcum: ita & minus. Differt hic Solis ab illo Lunæ tripliciter: visu scilicet, colore, & significatione. Solis namque arcus frequenter cernitur, Lunæ raro. Sane Aristoteles tertio libro suæ Meteorologiæ habet, quòd non nisi annorum spatio quinquaginta bis apparere potest. Euenit certè id, quia Lunæ, iris non nisi Luna quartadecima cerni potest, in Ortu, vel Occasu existente. Cum igitur in Borealibus signis fuerit: nec ad Aquilonem, nec ad Austrum oppositionem illam habebit, quæ ad iridem pertinet. Quod si plena in Meridionalibus permeauerit, Sol in oppositis erit: ac propterea nubes, quæ semen sunt iridis: vix in Aquilone erunt. Si autem Luna quartadecima in Ortu, vel Occasu extiterit, nempe sero, vel mane: tunc Sol ei opponetur. Igitur oppositio, tametsi recta fuerit (nam illa certè requiritur) nihilominus tamen tanta fit aeris disgregatio: vt vix nubes in tanta densitate, continuatæque, quantam expostulat, ibi esse possit: nisi alicuius Stellæ influxu; quæ non nisi in quinquaginta annos bis in tali dispositione inuenitur. Vtrum verò hoc aliquando fuit, vel esse possit: dubium est apud scriptores. Nā & id Aristotelem non asserendo sensisse autumant: sed referendo.

Iridū vtriusque luminis discrimen.

Iris Lunæ quot annorū spatio cerni possit.

In arcu lunę luminarium oppositio requiritur.

Arcus lunæ color albicans, & cur.

Differunt secundo colore, non enim color eius est puniceus, viridis, vel cæruleus, aut flauus, vt color Solis: sed est albicans. Lumen etenim in nocte album videtur. Ratio est, quia noctis frigus nubem condensans non finit Lunæ radium ob tenuitatem in iridis profundum penetrare: ac propterea nubes in superficie illustratur. Vnde albedo cernitur, quæ in sola nubis superficie gigni, par est. Porrò rubedo ex lucis immutatione in profundum humidi fumosi resultat: viriditas ex lumine penetrante in humidum aqueum consurgit. Idcirco color iridis Lunæ albicans erit. Discriminantur tertio significatione, quia iris Solis etsi in serenitate apparens, pluuias significet: Nam ideo Græcis dicitur ab εἴρω, quia prædicit, & significat pluuiam, si post pluuias, serenitatem: nihilosecius apparet quoque, & præcipuè in signum diuinæ clementiæ, vt iam ex Genesis cap. 9. elicitur. Has ob res Græci Solis iridem arcum Deymonis, hoc est sapientiæ vocabant. Testatur Ioannes à sancto Geminiano vir doctissimus Ordinis Prędicatorum in sua de exēplis, rerumque similitudinibus summa, de cœlo, & elementis capite 40. seu Helũiccus Theutonicus etiam Ordinis Prædicatorum: Isiodistas, qui omnia naturalia Dijs attribuebant; dicere; Solis iridem signum esse clementiæ: quia calor ex aqua, & igne mixtus signum est, quòd neq; per aquam, neq; per ignem mundus sit periturus: Deymone, idest sapientia prouidente. Ideo Catholici Doctores præsertim Venerabilis Beda (vt superiori capite citauimus) arbitrantur, quod ante iudicium per quadraginta annos iris non apparebit: vt ostendat diuinam clementiam à mundo tunc amouendam; ac propterea mundum finiendum. Quod sanè constat Sanctorum Doctorum testimonio, præcipue scholasticorum, asserentium ex scripturis: mundum igne, quem conflagrationis vocant, destruendum. At Diuus Thomas Doctor Angelicus, Diuinæq; voluntatis interpres illustrius præ cæteris id docet pluribus in locis suæ doctrinæ: sed præsertim 4. sent. dist. 45. & 47. &c. vbi habet purgationem elementorum in fine mundi fore per ignem: quia ignis similior est gloriæ, & actiuior, minusq; inficitur; eundemq; ignem purgaturum non solum mundum, sed electos. Qui ignis mundum conflagrans, quò ad purgationem præcedet iudicium: quò autem ad impiorum inuolutionem, sequetur iudicium. Qui ignis ex supernaturali congregatione omnium causarum ignis, causabitur: Ascendetq; tantum, quantum aquæ diluuij ascenderunt, scilicet vsq; ad medium aeris interstitium: nam aget vt instrumentum diuinæ prouidentiæ, & virtutis Dei. His de causis non apparebit amplius iris, cuius apparitio signum est Diuinæ clementiæ: non apparebit quidem (inquit Beda) per quadraginta annos ante iudicium. Sed dicamus de arcu cœlesti Lunæ, quid portendit dum apparet. Iris itaq; Lunæ dum apparet, sapientes dixerunt, quod auram instabilem, instabilemq; ventos portendit, ac longam, & sæuam tempestatem: quia rara & insolita.

Margin notes: Iris apparet in signum diuinæ clementiæ. — Iris arcus Deymonis vocatus a Græcis. — Io. a S. Gemiriano. — Helũiccus. — Mundus igne finiendus. — D. Thomas. — Ignis ascensus in fine mundi. — Iris per 40. annos nō apparebit ante iudicium. — Arcus Lunæ portenta.

De igne præcedente, & subsequente, & de significationibus eius. CAP. XXV.

DIXIMVS de Meteoris quæ in media aeris regione accidunt, quæ alias fortuitæ tempestates nuncupantur: reliquum est dicere de his, quæ in infima generantur. Et quemadmodum illa in triplici seiungi ordine ostendimus, nã quædam naturæ sunt igneæ, quædam aereæ, alia verò aqueæ: ita & hæc quæ in infima generantur; quædam ignea sunt, aliqua aerea, nonnulla verò aquea. Ignea sunt faces, & ignis prȩcedens, & subsequens, qui alias appella-

Margin note: Meteora quę in infima aeris regione generantur.

tur

tur ignis fatuus, aerea sunt terremotus: Aquea autem ros,& pruina. Nos igitur primò de igne præcedente,& subsequente seu fatuo dicemus: deinde de rore, & ac eorundem significationibus,nam de terremotu in sequēti libro dicemus. Ignis itaq; præcedens,& subsequens,seu fatuus est meteoron ex fumo pingui,vnctuoso, & inflammabili proueniens: qui aeris nocturni frigiditate coadunatur, & condensatur vsq; ad incensionem stellarum vi præcipue ignearum. Ex quibus habetur primò causa eius efficiens, nempe stellarum influxus: solis præcipuè. Materialis secundò quæ est fumus ille pinguis, vnctuosus, & inflammabilis. Formalis tertiò quæ est duarum oppositarum qualitatem inter se pugnantium concursus. Quandoquidem concurrit vapor qui est calidus,& aer noctis qui est frigidus: & in tantum agitantur,donec vapor incenditur. Vocatur ignis præcedens,vel subsequēs, quia nauigantibus, & iter facientibus sæpè apparet: vel præcedendo, vel sequendo: vocatur fatuus quia præter motus iam dictos, quandoq; non fertur, sed sedere conspicitur: atq; ob hanc anomaliam fatuus appellatur. Quid verò significet, quod est eius finalis causa? Seneca scribit, quòd significat tempestatem frangi,& desinere ventos. Sed est annotandum tres eius esse species,duas proprias: vnam verò additam. De addita Virgilius AEneidorum libro secundo, sic cecinit; dum Ascanij caput lambere visus est.

Ignis fatuus quid sit.

Ignis fatui causa efficiens,materialis, & formalis.

Ignis meteoron cur vocatur præcedens, subsequens, & fatuus.

Ignis fatui causa finalis.

Ignis fatui species.

Virgilius.

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, factusq; innoxia molles
Lambere flamma comas,& circum tempora pasci.

Huius quoq; meminit Liuius libro primo, de Seruio Tullo: & Macrobius libro tertio Saturnalium cap. 3. Propriarum verò prima est simplex, & solitaria: & dicitur Helena; altera autem est Gemina, quam Castorem & Pollucem appellant. Addita dicitur ignis capita Lambens. Horum ignium vnusquisq; aliquid portendit. Primus qui dicitur Helena perniciosus est: nam significat tempestates futuras. Indicium certè est, regionem illam abundare materia ex qua tempestates gignuntur. Secundus qui Castor,& Pollux dicitur, saluber est. Nam face illa omnium tempestatum materiam absumi, indicium est. Porrò tertius qui est additus, qui Lambentis capita nomen sortitus est: iuxta aliquorum placitum prodigium est; cum non habeat sufficientes causas physicas, nec effectus certos, & ordinatos: ac propterea vel mali genij præstigiæ sunt, vel diuinitus proponitur. At hi viri hallucinantur facile. Opinio hæc à Virgilio ad alios deriuata est: ac propterea Poetica. Fingit namq; Poeta,& multa suo adinuenit ingenio: pleraq; adumbrat vt pictor, describitq; sua carmina veste. Nec omnia quæ congerit, veritatem habere cernuntur. Igitur hic ignis aut est fictus, aut est meteoron. Si meteoron,causam naturalem habet: ergo & effectum. Si est fictus,nec diuinitus proponitur: nec mali genij præstigiæ sunt. Tametsi non negamus posse hunc, vel similem à Deo oriri. Quemadmodum de lumine nauigantibus apparente in sublimi nauis,qui fluctibus hinc,inde iactati,mortem metuētes:dum sanctum Telmum Ordinis Prædicatorum insignem nauigantium patronum, humiliter præcibus votibusq; pulsant: subito fax luminosa conspicitur,sanctum adesse indicans;ac propterea liberos à periculo se certè sciunt: vt in eius mirabili vita legitur. Quandoq; autem à Diabolo oriri potest,vt sit ipse met: vel vt fallat, vel vt liberet, sic Deo permittente: quo in posterum fide ei adhibita,aliquid denuntiet: ac tandem decipiat. Hic certè est finis eius. At verò nos credimus meteoron esse (modo ex se appareat) ac ideo significare temporis mutationem ex tonitruis,quæ ex calido & sicco fiunt. Idq; ex eiusdem Virgilij carminibus paulo inferius positis, loco iam præcitato,elicitur. Vbi post Anchisis orationē ad suum Iouem ita Poeta cecinit.

Macrobius.

Ignis fatui species propriæ.

Species addita.

Ignium portenta.

Ignis additi prodigiū iuxta aliquos.

Opinio reijcitur.

Lumen nauigantibus apparens à S. Telmo.

Lumen quādoq; a Diabolo ortū potest,vt fallat.

Ignis meteoron quam tēporis mutationem significat.

Vix

Vix ea fatus erat senior: subitoq; fragore
Intonuit læuum: & de cælo lapsa per vmbras,
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Tonitrua igitur cum consequentibus significare possunt hæ faces: loquendo de ignibus, seu flammis comas lambentibus; vel caloris suffocationem, vel ventos, aut pluuias iuxta temporum qualitates.

De rore, & quid significet. CAP. XXVI.

De Terremotu cur hic nõ agitur.

LOCVS hic postulare videbatur, vt de terremotu primò sermo fieret; cum dixerimus esse de numero imperfectorum corporum, quæ in infima aeris regione gignuntur, & naturæ aereæ. Verum enimuero cum non in sublimi fiant, sed infra terram, quamuis à ventis in ea inclusis: ad eam tamen tractationem illos retulimus, quæ temporis mutationem iuxta terrestrem theoriam respicit: quia reuera res terrestres sunt. Dicemus itaq; de reliquis, quæ in eadem infima aeris parte generantur, & sunt materiæ aqueæ: vt Ros, Pruina, Grando, &c. Gignitur itaq; ros flante Austro, non Aquilone, præterquam in Ponto: Author est Aristoteles in calce Decimi capitis libri primi suæ Meteorologiæ. Quia Aquilo sua frigiditate rorem dispergit, Auster verò gignit: nam hic caloris temperiem influit, ille exhalationis extinguit caliditatem. Est etenim ros, vt dicemus, pluuia pauca iuxta Aristotelem. At cur Aristoteles id scripserit: nescimus. Cum in Italia oppositum cernatur, nempe rorem gigni flante Aquilone: Nam Austro spirante, obnubilatur aer; ac propterea impeditur roris generatio ob nubes. Cum igitur tempore existente sereno gignatur etiam iuxta ipsum; par est gigni flante Aquilone causa serenitatis, non Austro causa inuolutionis nubium. Quod si in Aristotelis regione Auster causa serenitatis est, verùm dicit Aristoteles: sed non erit vniuersaliter. Dicamus igitur, quòd vbi fuerit serenitas siue Austro flante, siue Aquilone non fortiter, posse gigni rorem: sed certius, meliusq; dum spirat Aquilo: à quo rorem constringi necessario sequitur, & dum flat Auster illum solui ob calorem: omnibus manifestum est; sed iuxta regionum qualitates. Cur autem in Ponto non flante Austro, sed boréa ros gignatur? causam assignat Aristoteles locis iam prærecitatis, quia quod nobis Auster: illis Aquilo facit. Auster in Ponto nõ sic facit temperiem, vt fiat vapor: boreas verò ob frigiditatem antiperistasin faciens, congregat, vnitq; calidum: vnde plus vaporat. Ostendit id Aristoteles ex puteorum vaporationibus borealibus magis, quam Australibus. Hæc ratio confirmat certe nostram iam paulo ante allatam contra Aristotelem. Bene tamen verum est, dari Austros serenos, & in illis posse fieri rorem, non est dubitandũ. Fit itaq; ros ex vapore humido, non congelato, sed stillante: temperato, & sereno existente tempore. Nam si serenum abfuerit, Solis vicinatio impeditur: ac propterea non eleuabit vaporem, qui est roris materia. Quòd si fuerit æstus, vapor ipse consumetur ob subtilitatem. Nam inter humidos vapores subtilior est roridus: idcirco ad supremum aeris intersticium exclusiuè attollitur. locus quippe ille cum sit inter calidissimum, & frigidissimum medius, temperatus est: ac propterea calor æqualiter agit, congelationem impediens, & frigus comprimens. Locum illum Aristoteles strictum vocat, quia inter duo extrema iacet, & clausus est. Cõformia

[Margin notes: Roris generatio iuxta Aristotelem. — Ros quid sit. — Dubitatio cõtra Aristotelem. — De roris generatione vera opinio circa flatus. — Roris generatio in Ponto. — Ad roris generationem quæ concurrunt. — Aristotelis doctrina.]

formia sunt hæc doctrinæ Aristotelicæ locis iam paulo superius citatis. Inquit enim, rorem fieri ex vapore in aquam concreto. Et neq; sic fuerit æstus, vt exsiccetur sursum ductum, neq; sic frigus, vt congeletur vapor ipse: propterea, quòd aut locus calidior, aut tempus sit. Fit enim magis ros in temperie, & in temperatis locis. Ros itaq; neq; gelu, neq; ardoribus fit, neq; interdiu, sed serena nocte, & in aurora, neq; ventis spirantibus, sed silentibus. Nam nihil attolli certum est, nisi cœlo sereno, nihilq; flantibus ventus consistere potest. Rerum cœlestium periti inquiunt, rorem à Ioue, & Venere effici. Verum causa eius efficiens propria est Luna: vnde dicitur roris mater. Nam suæ humiditatis vim aeri imprimit, ipsumq; subtiliter immutans: in eius superficie rorem gignit. Id manifestum est, quia æstiuo tempore quo Luna est serenior, & pleniore lumine gaudet, eò abundantior ros super gramina, & res humentes cadit, atque visitur: è quibus guttatim colligitur. Materialis autem est vapor ille humidus: formalis verò est illa vaporis concretio. Quid autem portendat, & significet: dicamus. Si mane ros non apparuerit cœlo existente sereno, dum tamen à vento non impediatur: pluuiam, vel gelu significabit iuxta anni qualitatem. Semper etenim roris defectus tempore debito pluuiam significat. Roris casus temporis serenitatem indicat: & quò abundantior cadit, eò certioris serenitatis est argumentum. Insuper caloris temperiem, & refrigeria præstat: multarum quoq; rerum copiam innuit. Quandoquidem terram fœcundat, in seminibus medullam ampliat: vbi enim ros non cadit, locus sterilis existit. Fauet huic scripturæ authoritas secundi Regum capite primo de Dauid montes Gelboe increpante: ne caderet super illos amplius pluuia, neq; ros, quia ibi ceciderant fortes Israel. Sanè sic dixit. Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniant super vos, neq; sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo, &c. Ros itaq; rerum copiam promittit. Sed & Ostreas quoq;, & maris pisces impinguat, in cõchilibus margaritas generat: in aliquibus regionibus oues rore pascuntur. Pullos coruinos antequam nigrescant, cibat, sustentatque. Manna roris species est, sicuti mel species mannæ, & roris. Cicadas quoque pascit, atque nutrit, ac demum nocturno tempore cadens venenosa animalia arcet. Multa similia in viris illustribus de rore inuenies: lege illos.

Roris causa efficiens propria.

Roris causæ materialis, & formalis.

Roris præsignificationes.

Roris vtilitates.

Ostreæ, pisces, Margaritæ: oues: pulli coruini.

Manna, mel, venenosa animalia.

De Pruina, & quid significet. CAP. XXVII.

QVEMADMODVM ros è vapore humido gignitur in medio aeris interstitio, sereno tempore: ita & pruinam fieri, par est. Eorum generationem Aristoteles in suo libro Meteorologiæ primo, capite decimo, explicat sic fieri. Quandoquidem ex eò quod de die euaporat, quantum non suspensum fuerit propter paucitatem sursum ducentis ipsum ignis ad eam, quæ eleuatur aquam: iterum deorsum latum, cum infrigidatum fuerit nocte, vocatur ros, & pruina. Conueniunt itaq; ambo, quia in serenitate, & tranquillitate fiunt. Non enim eleuaretur non existente serenitate; neque consistere possent spirantibus ventis. Quare Pruina in montibus altioribus minimè gignitur: quia vapor nón longè suspenditur. Aristoteles duplicem causam affert, vna quidem est, quod sursum ducitur ex summissis, & humectis locis. Vnde erit veluti portans onus maius sursum ducens caliditas, quam secundum seipsam non potest eleuare ipsum ad multum

Pruinæ, & Roris generatio ex Aristotele.

Pruinæ, & Roris conuenientiæ.

tum altitudinis locum: sed prope dimittit iterum. Altera verò est, quia difluit maximè aer existens in altis, qui talem (vt diximus) dissoluit consistentiam. Verum differunt adinuicem, quia roris vapor in æthera tenui systasi defertur: & fit ros, atq; stillat. Prima verò est ferè glaciara: quam Græci δροσοπάχνην vocant. Hæc rursus hyeme fit, & in hyemalibus locis: ille temperatis temporibus, & mitior. Fit igitur Pruina quando vapor congelatur prius, quàm in aquam concretus fuerit iterum; ros verò cum vapor concretus fuerit in aquam in temperie, & locis temperatis. Hinc fit, vt Pruina radijs Solis tacta, subito euanescat: & in rorem redat. Est namq; Pruina ros congelatus: quoniam pruina est ex vapore rorido qui congelatur, antequam ex ipso resoluatur aqua. Est igitur pruina vapor congelatus in medio aeris interstitio, præ loci frigiditate, & temporis: in quibus non est aliqua pars caloris. Est dura; & ob magnam frigiditatem, etiam rigiditatem inducit. Nam frigus vaporis partes aggregat, & contrahit: & pruinæ substantiam duram reddit. At ex nimia frigiditate canescit, vel albescit: & rigiditatem in ea re, quæ ab ea tangitur; inducit. Sed notandum valde est, Pruinam, rorem, pluuiam, & niuem idem esse, nec differre nisi secundum magis, & minus: & multitudine, & paucitate. Pluuia etenim fit ex multo vapore frigefacto, & in loco distante à terra: Ros verò in paruo, & in loco proximo. Nix procul à terra ex nubium congelatione excurritur: pruina prope terram paruo vapore ex eisdem fit nubibus. Causa eius efficiens proxima est frigus: remota cœlum. Materialis vapor ille qui attollitur, & congelatur: formalis congelatio ipsa quæ formam dat vapori. Sed quid portendit, dicamus. Pruina cadens in vere & Autumno: temporis caliditatem denuntiat. Ratio certe est. quia cum fiat tempore sereno, nubibus minimè Sol obuoluitur: ac propterea caliditatem temporis portendit; vnde calorem influet. Amplius pruina si in multa quantitate ceciderit, pluuiam significat: herbasq; & flores super quos ceciderit, marcidos reddit, atq; adurit. Ratio est primò, quia aer maximè humectat, humiditateq; plenus est: vnde in pluuiam resolui, maximè est consentaneum. Secundò ob nimiam rigiditatem efficit, vt tactu suo flores flaccescant, vnde & marcidos illos reddit, & herbas. Theophrasto etiam placet, quod post pruinam Aquilo spirare consueuit: sicuti post niuem, Auster.

Pruinæ, & roris discrimina.

Pruina vapor congelatus.

Pruinæ, roris, pluuiæ, & niuis conuenientiæ, & discrimina.

Pruinæ causa efficiens, materialis, & formalis.

Pruinæ præsagia.

De Grandine, eiusq; effectibus CAP. XXVIII.

POST pruinam de grandine agendum est. Quæ profectò nil aliud esse videtur, nisi stilla pluuiæ, frigoris, & venti rigore in aere concreta iuxta Aristotelem in sua Meteorologia libro primo, cap. 12. fit namq; ex frigido vapore, & humido ad nubis interiora per caloris circumstantis dominium fugato. Quandoquidem vapor in nube recipitur: & à frigiditate condensatur. Cum enim eleuatur vapor ita in summo caloris virtute, quòd non consumitur, fit nubes calidissima: eò quòd multum de calore remanet in vapore. Quapropter ex vapore in aere circumfuso confortatur frigus, atq; in vnum coarctatur locum: & ex calore ipsius nubis aperiente, frigus repente intrat, congelat, & fit graudo. Ex quo habemus grandinis generationem ab aliorum differre. Quandoquidem non ex nube statim fit grando, sed prius imber: deinde ob antiparistasim in grandinem conuertitur. Nam è nubis humore aqua expressa,

Grādo quid sit.

Grandinis generatio.

Discrimē generationis grandinis ab alijs.

expressa, in ipso cursu velociter in grandinem concrescit durissimam. Ipsius duritia prouenit ex eo, quod frigus, vt dictum est, fugiens calorem aeris, ad interiora nubis se recipit: & ex sua aggregatione eius virtus inualescit. Quare vaporem, quem in nube inuenit, sua virtute constringit: & in durã conuertit substantiam; ac propterea magis in æstate, quàm in hyeme fiunt grãdines: quia virtus frigoris, quæ est in æstate, vnitur, & in vna aeris parte adunatur. In bruma verò per totum aerem dispergitur, ideo redditur debilior: nec ad vaporem congelandum sufficiens inuenitur. Magis quoq; in vere, & autumno fiunt, & in calidioribus locis: ob prædictã causam scilicet antiperistasim. Cur autem non est rotunda totaliter? rationẽ nonnulli afferunt ex vapore. Qui cum vnde generatur, esset expansus in latus, frigus contrahens magis traxit de materia à lateribus: quàm à superiori parte. Cumq; latus esset magnum, congelauit partem, priusquàm alia ad eam flueret: ipsiq; adhæsit vt gutta congelata. Quandoq; tamen rotunda perspicitur, quia per inferiorem aeris partem descendens, quæ ob radiorum reflexum temperatè est calida: liquescit, minuitur, & rotundatur; id autem fit per accidens. Causa agens frigus est iuxta Aristotelem: sed re vera non est absq; astrorum motu. Materialis est vapor, formalis concretio, seu gelatio: finalis autem est impetus. Noxia quidem est grando quò ad effectum. Nam cum impetu descendens, fructus, flores, & segetes plurimum lædit: quinimò quandoq; animalia; præsertim cum magnitudine antecellat. Tunc etenim existit grauior, & cum impetu ruit. Maior tamen, vel minor descendit secundum quod altiori loco, vel terræ viciniori cadit. Porrò à proximiori maior cadit, à remotiori minor: quoniam ex maiori motu in aere calido minoratur, & retardatur. Quid autem grando portendat: dicendum superest. Grandines magnæ, & latæ si in principio gelu ceciderint: gelu dissolutionem significant. Si in medio, frigoris augmentum: si in fine gelu longitudinem, diuturnitatemq;. In vniuersum verò cũ grandines extra earum tempus fiunt, & frequentes: ventos boreales vt plurimum, & tempora inconstantia denotant. At verò suis temporibus plures solito, puta in æstate, noxiæ sunt: & si æstum temperatiorem promittant. Verum enimuero de grandinum nocumento, & magnitudine lege historias: videbis quippe mirabilia. Sed Auersæ Ciuitati à Neapolitana distanti octo milliaribus ferè, memoria proditum est, non multis ab hinc annis, in die S. Ludouici Regis Franciæ, cui tẽplum insigne pietate Caroli Secundi constructũ atque dicatum conspicitur cum Monasterio Fratrum Ordinis, qui tali die sollemnijs intererant ad vesperas: cecidisse grandines in multitudine magna, sed maximè magnitudinis: Nempe vnaquæque grando oui speciem referebat; ita vt tecta domorum, & ecclesiarum quamplurima, fracta, & læsa conspecta fuerint; præsertim ipsius monasterij. Similia quoq; alibi contingisse, alij referunt.

Grandinis duricies. Grãdinescur magis in æstate, quàm hyeme fiant. Grando cur non rotunda totaliter. Grandinis causa agens, materialis, formalis, & finalis. Grandinum damna. Grandinum portenta. Grandinum mira.

Plinius futuram grandinem ex nube grauida cãdicante, quod vocant albam tempestatem, præsagiebat: nam tunc grando imminebit.

Grando futura ex Plinio.

Contra grandines multa remedia ab antiquis afferuntur vana quidem & ridicula: sed naturalibus vti possumus. Porrò si pelles focæ, vel cocodrilli, vel Hyene loco vbi grandines non vult quis, vt cadant: illas circumducat, atq; præforibus suspendat; prohibebunt (inquiunt) grandines.

Contra grãdines remedia.

KK Effectus

Effectus mutationis temporum in die vigesima quinta Ianuarij. CAP. XXIX.

Obseruatio mutationis aeris in die 25. Ianuarij.

PERIVCVNDA quidem est qualitatum aeris praecognitio: sed non negabitur, esse etiam vtile effectus earum praescire. Porrò inter quascumq; aeris mutationes, qualitatesque, quae die vicesima quinta Ianuarij occurrunt: semper fuerunt consideratione dignae semper namque obseruauit antiquitas, & vsque in hodiernum perseuerat d em, illius diei qualitatem: Num mitis, vel ater, aut ventosus: num nimbifer, aut pluuiosus, nebulosusue, vel similis, vel mixtus foret: ac iuxta illius qualitatem diei, effectus quoque naturam indicauit. Quandoquidem si dies tunc clarus erit: rerum abundantiam denotabit. Si ventosus, bella portendet: si pluuiosus, aut nimbifer, rerum penuriam: si nebulosus, animantium mortalitatem: si ex his mixtus: omnia supradicta illum significare docuit. Quare ad haec exprimenda, intelligendaque, vnicuique temporis statui carmina accomodarunt pulcherrima: quae illius effectus indicant. Quae cum sint periucunda, hic inserere decreuimus: vt memoriae mandari possint, facile etenim apprehenduntur.

Effectus futuri ex 25. Ianuarij dispositione.

Clara dies Pauli largas fruges indicat anni,
Si fuerint venti, designant praelia genti.
Si pluit, aut ningit: designat tempora cara.
Si fuerint nebulae, peribunt animalia quaeq;.
Si fuerint mixta, designant omnia ista.

Ptolemaei obseruationes.

Vnde autem id proueniat: causa certè nobis occulta est. Nam in Ptolomaei obseruationibus ex inerrantium siderum Ortu & Occasu eorumque significationibus tempore suo, die vigesima quinta Ianuarij nil aliud habemus, nisi quod tali die ex fidiculae Occasu cum Cancro facta die vicesima secunda eiusdem mensis: tempestas turbidior est, & ijdem flant venti: scilicet Aquilo, & Vulturnus. In eiusdem quoque Ptolomaei obseruationibus à suo tempore vsque ad Gregorianam correctionem exclusiue, ob decem dierum anticipationem in eadem met die vigesima quinta Ianuarij nil aliud habetur, nisi quod illa die Delphinus occidit: qui Ptolemaei tempore quarta die Februarij occidebat cum his significationibus. Auster vesperi violentior fit, & pluit. At post annum recognitum, ob decem dierum sublationem quibus aequinoctia anticipauerant, idem Delphini Occasus cum suis significationibus in quarta Februarij, sicut fuerat Ptolemaei tempore inspectus est. Verum & his duo aduersantur. Primum est Polus Alexandrinus sub cuius altitudine suam Ptolemaeus tabulam Ortuum, & Occasuum inerrantium confecit: Quo fit, vt ad alium minimè deseruire possit Polum, nisi reductione. Secundum quod aduersatur, est: annum redactum fuisse, non vt erat Ptolemaei tempore, sed Concilij Niceni. Constat autem Ptolemaeum floruisse annis post Christum 140. Concilium verò celebratū anno post Christum 323. Quod scripsimus nostro libro secundo Neomeniarum Salomonis. Vnde discrimen in annis est 183. vt patet ex calculo. Verum quia nonnulli rentur aequinoctiū vernū Ptolemaei tempore euenisse die vigesima prima Martij, quod & nos quoq; alibi scripsimus iuxta aliorū opinionē (& si Ptolemaeus anno illo quo scripsit inerrantiū siderū significationes aequinoctium posuerit die 23. Martij, deinde aequinoctium

Duo aduersantia superioribus.

Ptolemaei tépus.

Concilium Nicenum.

Aequinoctiū vernum Ptolemaei tpe.

vernum

vernum die vigesima sexta) missam faciamus vltimam rationem. Sed prima conuincit. Accedit etiam, quòd carmina non sunt hominis ethnici, sed Christiani, quia nominat Diuum Paulum: cuius dies nempè conuersionis sacer est: ac propterea obseruationes sunt Christianorum hominum, in huiusmodi facultate illustrium: nisi à vetustis scriptoribus excerpsissent, qui talem Ianuarij diem obseruarunt: in quo cum Diui Pauli conuersio occurrat, illum sic nominarunt. Verum enimuero id pronuntiatum remur antiqua rusticorum obseruatione. Habent namq; rustici generalia quædam circa temporum status, vt melius ipsi iudicent, atque pronosticentur temporum mutationes absque Astrologia: quàm plerique rerum cœlestium doctissimi cum ipsa. Idque non nisi assidua temporum obseruatione, atque longa experientia. Cum enim ad agrorum cultum continuò immorentur: fit, vt sæpesæpius aliquo obseruato, & experto, ita accidit: vt pronuntiant. Quò fit vt annonæ copiam, caritatem, æqualitatemque ex ipsis temporum mutationibus cum veritate prædicant: quinimo ipsarum causas; insuper temporum qualitates, status, mutationes, dispositiones, & similia innumera: vt mirum sit in hoc imperito hominum genere, & quidem absque literarum cognitione, talem tantamque inueniri sapientiam. Porrò hoc quoque in Nautis inspicitur, vt absque controuersia aliqua, ne dum qui venti spirent, dicant: sed qui flare debent, pronuntiant: & quæ dies pluuiosa, serena, ventosa, tempestuosa foret, & illius duratio, & quæ nauigationi apta, & quæ aduersa vsque ad minimum prædicunt absque libris, supputationibusque: sed praxi assidua, longaque vt diximus obseruatione; quamuis Nauta Astrologus melius illustriusque cæteris, qui non sunt: pronuntiabit. Nos igitur ex probatissimis authoribus aliquos temporum status iuxta rusticorum regulas deprompsimus: atque illorum per aliquot menses effectus collegimus: nihil prætermittentes (quãtum in nobis est) quod ad huiusmodi præcognitionem pertinere videbatur: vt cunctis à nobis fieret satis, & temporum mutationes ex omni parte haberentur. Et quamuis non exactè, nihilominus tamen, tantum, quantum humani ingenij imbecillitas potest, & patitur. Est etenim scientia hæc de difficillimorum numero, difficilior quidem cunctis naturalibus scientijs, præsertim scientia de Anima, quam quidem Aristoteles peripateticorum princeps in difficillimorum numero reposuit. Quandoquidem vnusquisque melius seipsum intelligere potest, quàm quæ non sunt ipse. Et plus ea quæ intra sunt, quàm ea, quæ extra se, & supra posita sunt. Cœli autem supra & extra nos sunt, & nemo ex nobis illos adiuit, & quid essent, indicauit, disseruit, atque determinauit. Sed ex illorum obseruatione omnia habemus. Non est igitur mirum, si ex his quæ à Doctissimis viris prædicenda sunt, non exactè omnia elicimus. Futura namquè non in seipsis à nobis cognoscuntur, sed in suis causis.

Carmina sũt hominis christiani.

Rusticorũ sapientia in tẽporum mutationibus præsagiendis.

Nautarũ prognosticatio circa ventos &c.

Præsagiorũ scientia de numero difficillimorum.

Ex cęlorum obseruatione prognosticatur.

Temporum ſtatus, atq; effectus ex Ruſticorum Regulis. CAP. XXX.

Prima Ianuarij dies, Aurora matutina, & ventus nocturnus.

Prima Ianuarij dies menſis Auguſti ſtatum explicat.

NON omnium menſium, ſicuti neq; dierum omnium ſunt temporum qualitates, atq; effectus iuxta Ruſticorum regulas, ſed aliquorum. At illi reliquorum ſtatus etiam aperiunt: vt dicemus. Nos itaq; à Ianuarij menſe(vt par eſt) cum ſit cæterorum caput, incipiemus: ac ex ipſis ſtatibus, effectibuſq; aliqua, prout occaſio ſe offeret: explicabimus. Prima itaq; Ianuarij dies, menſis Auguſti tempeſtates denotat. Aurora matutina bellum portendit, & piſcium copiam; ſic quoq; ventus nocturnus inter homines peſtem. Hoc eſt, qualis erit prima Ianuarij dies: talis erit menſis Auguſti ſtatus; ſi ſerena, ſerenus; ſi turbida, turbidus; ſi tempeſtuoſa, tempeſtuoſus; ſi pluuioſa, pluuidus. Deinde quod dicunt ruſtici Auroram matutinam bellum portendere, atq; piſcium copiam: dicunt ex hoc, quoniam aurora principium diei, menſis eſt, & anni: ac propterea quemadmodum aurora matutina erit, ſic ſequetur effectus quò ad vtrumque. Ita quoq; ſi nocturni flauerint venti, peſtem inter homines fore prædixerunt: nonniſi quia bellum quoddam corporum eſt peſtis, à ventis nocturnis ſignificata. Nam diurni bellum potius animorum ſignificant: ex hoc quia excitant ſenſus, qui ad iram, ex qua poſtremo bellum oritur. Secunda dies menſis Septembris ſtatum præfigurat. Quæ ſi ſerena fuerit, ouium multitudinem ſignificat: ſi ventoſa, peſtem humanam; ventorum namq; flatus illorum certè bellum eſt. Tertia dies magnas tempeſtates portendit, ventuſq; nocturnus peculium mortem: Quæ dies etiam Octobris ſtatum, & naturam prænuntiat. Quartæ diei Ianuarij præſagium Ruſticorum hoc eſt: nimirum Solis ſplendor, & ventus nocturnus peſtem, & morbos præſagiunt; Quæ dies menſis quoq; Nouembris conditionem explicat. Quintæ diei tempeſtas menſis Decembris naturam portendit: ſerenitas verò, & nocturnus ventus bella. In ſexta die ante meridiem Februarij qualitas oſtenditur, & poſt meridiem Ianuarij. Die ſeptima ante meridiem Aprilis prædicitur: & poſt meridiem Martius. Die octaua ante meridiem Iunius, & poſt meridiem Maius ſua tempeſtate ſignificatur. Die nona ante meridiem menſis Auguſti ſtatus præfiguratur: & poſt meridiem Iulij. Die decima ante meridiem October manifeſtatur: & poſt meridiem September. Die vndecima ante meridiem aeris ſtatus Decembrem futurum innoteſcit: & poſt meridiem Nouembrem deſignat. Hæc autem vnico exemplo ſic explicantur. Nempè quòd ſicuti diei ſeptimæ aeris ſtatus erit ante meridiem; hoc eſt à mane vſq; ad meridiem; ita quidem erit Aprilis qualitas: & qualis erit illius met diei ſtatus poſt meridiem, ideſt à meridie vſq; ad Solis occaſum: talis erit profectò menſis Martij qualitas. Deinde eſt præſagium diei duodecimæ. Dies duodecima, omnes priores dies Chriſti Natiuitatem ſecutos dijudicat, & confirmat: ita, vt aeris ſtatus totius anni conſtitutionem portendat: id quòd obſeruandum eſt quoque de die ſequenti. At verò à tertia decima die vſq; ad vigeſimam primam excluſiuè nihil obſeruandum reliquerunt. Dies vigeſima ſecunda, ſi ſerena dies fuerit: multum vini prædicit. In vigeſima tertia die, & vigeſima quarta nulla obſeruatio eſt. In vigeſima verò quinta hæc prædixerunt ruſtici. Clara dies fœcundum portendit annum: venti bella: nebulæ, peſtem, &c. Memento ſuperioris capitis.

Secunda dies Ianuarij menſis Septēbris naturā ſignificat.

Tertia Ianu. dies Octobr. qualitates ꝓdicit.

Quartæ diei præſagiū in mēſe Octob.

Decemb natura ex quinta Ianu. die.

Feb & Ianu. qualitas ex ſexta. Aprilis ex ſeptima etiā Martij: ex octaua Maij, & Iunij.

Iulij, & Aug. ſtatus ex nona Septēb. & Octob. ex decima.

Nouemb. & Decemb. ex vndecima.

Dies 12. Ianuarij quid prædicit.

Diei 22. Ian. præſagium.

Ianu. 25. præſagium.

A vige-

Ianu. postrema dies quid præsignificat

A vigesima sexta die vsq; ad trigesimam inclusiuè nihil obseruationis prædixerunt. Trigesima verò prima, dixerunt, ligna cæsa alijs esse ad edificandum diuturniora. In mense Februarij nihil obseruatione dignum reliquerunt; nisi quod dies tertia decima esset dies venæ sectioni aptissima.

Feb. 13. quid præsagit.

Io. And. iuris consult.

Vnde Ioannes Andreas Iuris Cõsultissimus supra textum de statu Monachorum, cap. cum ad Monasterium, §. Porrò, &c. vbi dicitur Religiosos licite posse flebomotari: inquit, post Vincentium fuisse ab Angelo reuelatum, illum, qui decima tertia Februarij sanguine minuitur: illo anno ex febrili distemperantia non moriturum.

Qui 13. Feb. sanguine minuitur, non moritur illo anno ex febrili distemperantia.

Confirmatur id quoque in Constitutionibus nostris, cap. 8. de Minutione Dist. prima. Sed huius mensis qualiras à statu diei sextæ Ianuarij ante meridiem, vt dictum est, sumitur. In mensibus verò Martij, Aprilis, Maij, & Iunij, nihil obseruatione dignum reliquerunt. Sed horum mensium status sunt explicati in die septima, & octaua Ianuarij.

Iulij 25. prędicit.

Mensis Iulij vigesima quinta dies significat, si serena fuerit, futuram brumam frigidã: illius tamen qualitas nona Ianuarij dies explicat. In Augusto, Septembri, Octobri, & Nouembri mensibus nihil. Sed illorum status Augusti scilicet à primo Ianuarij die desumitur, Septembris à secundo: Octobris à tertio, Nouẽbris à quarto.

Mensis Decẽbr. septẽ dies à 25. vsq; ad postremam quid portendunt.

Mensis Decembris septem dies nobis obsernandos reliquerunt rustici, vigesimam scilicet quintam cum sequentibus vsq; ad postremam. Dicunt itaq; quòd vigesima quinta dies, totius mensis Ianuatij statum portendit. Si mense fuerit serena, fertilem annum significat: si venti, & imbres fuerint caritatem, & principum mortem. Hoc ideo euenit, quia venti & imbres distemperant tellurem: vnde necessario sequitur caritas; distemperant delicatorum hominum complexiones: Cumq; inter omnes, principes sint cæteris delicatiores, idcirco illorum mortem portendunt. Vigesima verò sexta dies, Februarij mensis statum depingit.

Decemb 27. prædictio.

In vigesima septima, serena dies si fuerit, ecclesiasticorum dissidium denotat: & venti nocturni principium interitus. Verum hæc dies tempestatem quoq; Martij mensis designat. Quod autem serena dies ecclesiasticorum dissidium denotet, quærenda est causa naturalis.

Prædictionis ratio.

Quæ quidẽ erit alicuius stellæ fixæ influxus tunc emergentis, vel occidentis (& quandoq; erraticæ) pietati aduersæ, & quieti: quæ cum ad Religionem spectent (sunt namque Religionis partes & virtutes) ex illius stellæ positu in contrarium, ecclesiasticorum sensus extimulat; vnde ira, ex qua dissidium. Ita quoq; Principum interitus à nocturnis ventis significatur, quia sicuti dies nocti præfertur, illiq; præest: ita Religio seculo, ac propterea ecclesia terrenæ dignitati: ideoq; influxus illius diei sereni ecclesiasticorum dissidium præsignificat: nocturni verò venti ex stellis, etiam quæ principibus præsunt, suborti: illorum interitum præfigurant. Cœlestium quidem corporum actio in corporibus infimis negari minimè potest.

18. Decemb. prẹsignificationes.

Vigesimæ diei octauæ tempestas mensem Aprilem etiam denotat, tranquillitas infantium morbos portendit: & ventus nocturnus famem. Habent & hæc naturalem causam à prædominante siderum influxu tunc prouenientem. Aeris constitutio vigesimæ nonæ diei Decembris. Maij mensis quoq; qualitatem significat. Serena autem dies tardiores fructus, sed copiosiores prædicit. Nocturni insuper venti doctorum hominum morbos annuntiant. Trigesima dies mensis Iunij conditionem nobis quoq; manifestat. Quæ si fuerit serena, & nocturni flauerint venti: hortorum fœcunditatem portendunt. Addunt quoq; rustici, ligna hac die cæsa reliquis diuturniora esse.

Decẽbr. dies vltima mẽsis Iulij qualitatem iudicat.

Postremò rusticorum Regula docet vltimum Decembris diem mensis Iulij qualitatem indicare: qui si serenus fuerit, annonæ caritatem prædixerunt. Hæ sunt rusticorum regulæ, & praxes circa temporum status illorumq; effectus. Quorum causæ & si ipsis ob astrorum imperitiam incognitæ sint: nihilominus tamen nemini dubium

esse

esse potest,vt non à siderum positu proueniant. Nihil enim,nisi à causa prouenire potest. Vnusquisq; effectus suam certè habet causam. Poteramus & nos singulorum assignare causas, vti de aliquibus fecimus: verum quia res ex seipsa manifesta est,& nos vtcumq; manifestauimus: paululum quisq; in scientijs versatus, causam facilè inuenire poterit.

Animaduersiones circa Rusticorum Regulas. CAP. XXXI.

Rusticorum regulæ,& prædictiones vt in pluribus eueniunt.

TRIA animaduertere debet prudens Philosophus circa recitatas iam Rusticorum regulas, & circa sequentes quò ad temporum status,& ea quæ ex his sequuntur. Primum est,vt omnia quæ ventura prædicunt, vt in pluribus euentura sciant,non semper. Quemadmodum causæ naturales omnes, ipsarumq; effectus, cum sint naturales: non semper, sed vt plurimum eueniunt. Insipientis quidem est, asserere cuncta necessario euenire, cum quandoq; impediantur: præsertim quando vna solum plures habet causas,& inter se contrarias: ex quibus impediri effectum necessario sequitur. Secundum est, quòd hæ Rusticorum regulæ atque obseruationes ante recognitum annum in præassignatis iam diebus atq; mensibus verificabantur: post anni verò recognitionem ob decem amotionem dierum mutati sunt dies: ac propterea obseruationes. Ita vt non amplius prima Ianuarij dies iuxta annum veterem sit eadem anni recogniti: sed erit vndecima;& prima Ianuarij dies iuxta anni recogniti rationem sit vigesima secunda Decembris: ac propterea obseruationes omnes, & Rusticorum regulæ illuc sunt referendæ. Verum enimuerò vt cuncta exactè habeantur,& nihil nobis aut ignauiæ, aut otij, & similium imputetur: quo etiam prudens Philosophus in hac re minimè hallucinetur: sciat primam Ianuarij diem iuxta annum veterem Iulianum correspondere diei vndecimæ eiusdem mensis anni recogniti: secundam duodecimæ: tertiam,tertiæ decimæ: quartam,quartæ decimæ: quintam,decimæ quintæ: sextam,decimæ sextæ: septimam, decimæ septimæ: octauam,decimæ octauæ: nonam,decimæ nonæ: decimam,vigesimæ:vndecimam,vigesimæ primæ: duodecimam,vigesimæ secundæ. Dies verò vigesima secunda ad primam Februarij diem referenda est: dies vigesima quinta ad quartam Februarij. Postrema autem dies quæ est tricesima prima, ad decimam eiusdem Februarij mensis referenda etiam est. Tertia decima Februarij dies ad vigesimam tertiam eiusdem mensis refertur: vigesima autem quinta Iulij ad quartam Augusti. Porrò vigesima quinta Decembris ad quartam Ianuarij refertur, vigesima sexta ad quintam: vigesima septima ad sextam, vigesima octaua ad septimam: vigesima nona ad octauam, trigesima ad nonam. Trigesima prima demum ad decimam eiusdem Ianuarij mensis diem referri debet. Vide igitur quomodo dies mutati sunt: ac ideo mutatæ etiam obseruationes? Quæ non amplius à prima, die secunda,tertia,quarta,quinta,sexta,& cæteris eiusdem mensis diebus desumitur; sed ab vndecima,duodecima,tertia decima, decima quarta, decima quinta,decima sexta,& cæteris commutata proportione, vt iam explicatum est,desumi,maximè consentaneum est. Tertium animaduersione dignum est, has regulas correctione etiam indigere,etiam seruata anni recogniti ratione. Quamuis enim ex longa experientia Rustici vera prædicant,& si nesciant causas; nihilo-

Rusticorũ regulæ ante annum recogni tum,& post.

Proportio dierum anni veteris ad dies anni recogniti.

Rusticorũ regulæ aliqua correctione indigent.

nihilominus tamen vnaquæq; illarum cœlestem habet causam. Cumq; cœlum perpetuò moueatur: Stellæ, etiam à suis mutatæ sunt locis: Vnde non semper regulæ eisdem diebus perseuerabunt: quia ad alios dies sui transierunt influxus, quemadmodum & stellarum loca; Idcirco obseruandi sunt diligenter dierum, mensiumq; status, quomodo fiunt, & quando: vt ex his ad determinatos recurrere possimus dies, vel antecedendo, vel retrocedendo: ibiq; figere temporum status, dierum conditiones, mensium qualitates: ex quibus effectus omnes elici possent. At meoquidem iudicio, quamuis perexiguo, optimum esset hos obseruare status iuxta vtriusq; anni rationem tum veteris, tum quoq; recogniti, & adnotare vbi regulæ veritatem habeant: ac ex vtriusq; proportione, tertij generis obseruationes firmiter statuere.

Aut horis in diuum.

Aliæ colonorum Regulæ circa temporum mutationes à quartis anni desumptæ, & obseruatæ. CAP. XXXII.

NE dum ex mensium aliquorum statu, & dierum anni, veteres coloni temporũ qualitates pronuntiauerunt: sed à quartis quoq; anni, sed æquinoctiorum, & à Solis ingressibus in aliqua signa, impressionum genera desumpserunt: illasq; statutis anni mensibus diuiserunt. Dum itaq; Sol Arietem ingreditur (quod anno veteri vndecima die, & intercalari decima Martij mensis accidebat: post verò anni recognitionem die vigesima prima, & in bissextili die vigesima eiusdẽ mensis) obseruanda est aura die antecedenti, ipsoq; & in sequenti proxima, dum scilicet Sol Arietem ingreditur, qualis est: talis nempe in Septembris, Octobris, & Nouembris mensibus regulariter prodibit. Dum Sol Leonem quoq; ingreditur, quod anno veteri, sed communi die decima tertia ingrediebatur, anno autem recognito die vigesimatertia, in bissextili, die duodecima anni veteris, sed die vigesima secunda anni recogniti Mensis Iulij: qualis erit dies ingressus cum antecedenti, talis, dicunt, foret status mensium Decembris, Ianuarij, & Februarij. Nimirum si ventus hoc ab Aquilone flaret, aut in ortũ siccitas vrgeret: maximi frigoris indicium est. Quòd si à meridie, & occasu pluuio, tum etiam existente die, glaciem portendit. Si autem ventus mediocris erit, ita vt nõ plene siccus, neq; plenè humidus fuerit: varia quidem hyems imminebit. Amplius quales similiter tres fuerint dies, quibus Sol libram subit (quod Septembris mense contingit, die tertia decima anni veteris, & communis, die verò vigesima tertia anni recogniti: in intercalari verò die vigesima secunda, sicuti die duodecima anni bissextilis ante correctionem) talis quidem vt plurimum erit ver futurum. Martius scilicet, Aprilis, & Maius. Rursus Sole Aquariũ ingrediente (quod anno veteri tam communi, quàm bissextili eueniebat die decima Ianuarij, anno autẽ recognito tã communi, quàm intercalari die vigesima accidit) quales erunt dies præcedens, & subsequens, & is quo subit, talis profectò maiori in parte erit Iunij, Iulij, & Augusti status. Subinde multorum tenet veterum opinio iuxta Conradum Vuipimen à fagis in sua farragine libro primo de Diuinatione temporum, quod qualis sit ventus, dum interea Sol Libram Scorpiumq; tenuerit vsq; ad vigesimum gradum (idest anno veteri ab exaltatione Sanctæ Crucis, vsq; ad Festum Omnium Sanctorum: nunc autem ratione anni recogniti à vigesima quarta die Septembris vsque ad vndecimam Nouembris) talis plerumq; insequens annus sit futurus. Quan-

Aura diei antecedentis ingressus Solis in Ariete indicat qualitates mensium Sept. Octob. & Nouemb.

Qualitas diei antecedẽtis, & sequentis ingressum Solis in Leonẽ indicat qualitates mensium futurorum Decem. Ian. & Febr.

Qualitas triũ dierũ, quibus Sol Librã ingreditur, indicat qualitatem futuri veris.

Qualitas diei præcedentis Solis ingressum in Aquariũ, diei quo Sol ingreditur, & sequentis indicat qualitatem Iun. Iul. & August.

Conradus Vuipimen.

Venti qualitas, dum Sol Librã, & scorpiũ permeauerit vsq; ad 20. grad. futuri anni statum indicat.

Quandoquidem si in duodecim menses prædictum tempus subdiuiseris, cuilibet mensi quatuor correspondebunt dies: quorum quilibet vnus mensis quartam significat, ac in supputatione primus erit Nouember. Hæ sunt igitur reliquæ veterum colonorum regulæ ab anni quartis desumptæ, quas obseruandas docent pro dignoscendis temporum mutationibus vsq; ad præsentem diem. Sed apud nos quam veritatem habeant, nescimus: quia minimè experti fuimus. Nihilominus tamen cum ex aliqua cœlesti causa originem habeant, vt par est, haud sunt spernendæ. Verum possemus hoc in loco euentus anni aliquos in annonæ penuria, pace, bello, atq; ægritudine prosequi: quæ veteres coloni longa obseruatione firmati, posse præsciri, pro explorato habent. Nihilo secius in sequentibus capitulis ex parte de eis agemus, at verò reliquos ad eam tractationem referendos censuimus: quæ de auibus quadrupedibus, insectis, piscibus, & similibus digreditur; quæ profectò in tertio libro, qui est sequens, & terrestris inscribitur, inferuntur. Nam ex quibusdam illorum coniectura fiet.

Rusticorũ regulæ haud sunt spernendæ.

Annua ægritudines ex elementorum alterationibus. CAP. XXXIII.

Aeris consequẽtia ex ipsius alterationibus.

VTILE quidem quinimò per quàm necessarium arbitramur, vt aeris consequentia ex eius alterationibus præsignificemus. Instrumentum enim est, vt finem effectus consequantur. Quare, quæ viri in hac parte doctissimi scripserunt, manifestare non pigebit: vt nihil in hac parte non apertum relinquatur. Ex quatuor itaq; anni temporum qualitatibus contingentia corporum prædicere opus est. Sed in primis sciendum, triplicem esse aeris mutationem. Prima est naturalis, Secunda præter naturam, Tertia non naturalis. Prima est, cum tempora suas omnino seruant naturas. Secunda, cum in substantia, & complexione aer corrumpitur. Tertia est media inter vtrasque. Ambæ vltimæ mortiferæ quidem extant: quia præter, & contra naturæ ordinem. Vnde Petrus Apponensis super septimo problemate primæ particulæ libri primi, inquit: aerem sic infectum quandoq; febrem non inducere, verum carbunculosa apostemata, & pestilentialia, variolas, morbilos, lepram, & plerumq; obtalmiam, quæ omnia contagiosas ægritudines medici vocant. Inter autem anni quartas dum tempora suas non seruant constitutiones, vernalis & autumnalis sunt magis morbiferæ: quia plus mutabiles ratione signorum æquinoctialium: sed autumnalis magis etiam iuxta Aristotelem particula prima problematum 27. quia magis aere calido infrigidato, quàm frigido calefacto ægrotamus. Cui sententiæ se ascribit Hypocrates tertio Amphorismorum, nono Amphorismo dicens: Autumno acutissimæ ægritudines, & maximæ mortiferæ, vt in pluribus fiunt. Dicamus itaque in vniuersum quartarum status. Hyeme existente austrina, & pluuiosa, ver siccum & boreale, ægritudinalis fit ver, & æstas: quia hyemis humiditas veris frigiditate, siccitateq; gelatur. Redduntur namq; indispositi meatus, ac humores gelati diuersas produnt ægritudines. Vnde & prægnantes abortum facient, aut nascentes morientur: qui si vixerint, debiles erunt; Ita Aristoteles docet nono problemate. Quod & Hyppocrates tertio Amphorismorum, Amphorismo tertio confirmare videtur, dicens. Hyeme austrina, & pluuiosa, ver verò siccum, & boreale mulieres parturientes in vere abortum

Aeris mutationũ triplex discrimen.

Petrus Apponensis.

Vernalis, & Autumnalis quartæ cæteris magis morbiferæ.

Hyppocrates.

Hyemis austrina, & pluuiosa ver siccum, & boreale quas ægritudines efficit.

Aristoteles. Hyppocrates.

abortum facient ; & parturientes , aut pueri morientur , aut imbecilles erunt. Alijs verò diſſinteriæ , Iuuenibus tamen apta , ſenibus verò catharri euenient,celeriter perimentes . Idem ſcribit in libro de aere, & aqua. Quòd , ſcilicet , ſi hyems auſtrina fuerit , & nimis pluuioſa , mulieres prægnantes in vere abortum facient : ſi tunc eius parturiendi fuerit tempus, ſi quæ fœtus emittant,anihilatos, & defectuoſos emittent ; aut morientur cito . Hominibus autem accident lientéria , dolor oculorum ; & catharri defluentes , & alij morbi contingunt . Confirmat id quoque Auicenna primo Canone , & cæt. inquiens . Ver Septentrionale hyemi Meridionali adueniens , multiplicabitur in Autumno mortalitas in pueris,& diſſenteria,& inteſtinorum apoſtemata : & prolixæ tertianæ ; & Hyeme multarum aquarum,quæ in verè parituras ſperabunt, aut abortum facient ; vel ſi pepererint , debile, aut cito moriturum : & in hominibus chatarri. Hyppocrates docet in temporibus pluuioſis,vt multum, fieri ægritudines ; vti febres longæ,fluxus ventris,putredines,epilenſiæ , & apoplexiæ, & ſquinantiæ : in ſiccis verò fieri ptiſes , conſumptiones,obtalmias, ſtrangurias, diſſenterias , & ſimilia . Ariſtoteles octauo problemate dicit ; quòd ſi hyems ſicca fuerit , & borealis , & ver pluuioſum,& auſtrinum , æſtas morbida febribus, & optalmijs efficientur . Si autem æſtas pluuioſa fuerit , & non temperata , deterior erit. Ratio eſt ob Solis actionem : Qui multam ſumet materiam , quam calefaciendo , vndique hinc multa accidet putredo . Auicenna capite ſeptimo , ver pluuioſum , & Meridionale adueniens hyemi Septentrionali multiplicabuntur febres acutæ, & optalmiæ in æſtate. Confirmatur ab Hyppocrate in libro de Aere,& Aqua: vbi ſcribit;Hyems ſicca, & borealis , ver pluuioſum, & auſtrale, febrem , & lienteriam in æſtate neceſſe eſt euenire : & in autumno ægritudines , & febres acutiſſimas . Et Ariſtoteles problemate decimonono docet , quod ſi hyems fuerit borealis, & ver Auſtrinum , & pluuioſum, & æſtas valde ſicca,mortifer fit autumnus omnibus , & præcipuè pueris adhuc flegmaticis,præcipuè alijs ab iſtis diſſinteriæ contingent in autumno : & ſurgentes à diſſenterijs , quartanas incurrent. Idem Hyppocras libro ſuprarecitato, Quòd ſi æſtas ſicca , & auſtrina fuerit , Autumnus verò pluuioſus,& Septentrionalis , in hyeme dolor capitis , reuma , & tuſſis , & ptiſis , & multæ aliæ infirmitates accident . Auicenna quoque eandem confirmat ſententiam libro primo fen. ſec. Doct. ſec. ſum. prima capite ſeptimo : vbi inquit,quod cum æſtati ſiccæ Meridionali ſuperuenerit Autumnus pluuioſus , & Septentrionalis, multiplicabitur in hyeme dolor capitis, reuma , & raucedo . Ariſtoteles inſuper decimo problemate eandem approbat ſententiam. Hyppocrates ſubinde tertio Amphoriſmorum Amphoriſmo vigeſimotertio ſcribit ; quòd ſi æſtas borealis fuerit,hoc eſt,remiſſe calida : & Autumnus pluuioſus,& Auſtrinus , in hyeme ſequenti capitis dolor,& tuſſes, branci,& corizæ erunt conforme quidem Auicennæ ſententiæ. Ariſtoteles quoq; quinto problemate habet:quòd ſi æſtas,& Autumnus boreales fuerint, flegmaticis confert , & mulieribus : duodecimo autem problemate,colericis aerem nocuum arbitratur:ſicq; optalmiæ , & acutæ febres colericis contingent ; quod & fatetur Hyppocrates tertio Amphoriſmorum, amphoriſmo decimoquarto. Qui amplius in libro de aere,& aqua ſcribit,æſtatem pluuioſam, & auſtrinam, atq; Autumnum,ægram hyemem futuram prænuntiare; cui ſe ſubſcribit Auicenna loco præcitato dicens: in hyeme multæ exprimendæ accident ægritudines . Rurſus , æſtati Meridionali cum ſuperuenerit autumnus Septentrionalis , ægritudines accedent exprimendi:& Autumnus , & æſtas Meridionales,in hyeme accedēt ægritudines per expreſsionem humorum.Quum verò prædicta fuerint ſicca tempora , flegmaticis prodeſt. Siccis verò optalmia , & febres

Auicenna.

Aegritudines vt plurimum temporibus pluuioſis fiunt.

Hyems ſicca & borealis, ver pluuioſum, & Auſtrinû quas influit ægritudines

Aegritudines ex vere pluuioſo, & cæt.

Autumnus mortifer.

Aeſtas ſicca, & auſtrina, Autumnus pluuioſus,& cæt. Infirmitates hyemales.

Ariſtoteles. Hyppocrates.

Ariſtoteles.

Aegra hyems. Auicenna.

Aegritudines exprimēdi.

bres acutæ accedent. Hyems quæ fuerit frigida,& pluuiosa ardorem facit vrinæ. Aestas verò nimis calida,& sicca squinantiam,& variolas producit. Confirmatur ab Aristotele vigesimo problemate, qui dicit. Vbi Hyems superueniens inuenit corpora fluida, & sic etiam multa aggregata humiditate, putrescunt corpora: aut humorum fit expressio, & fluxus ad cor,& fit sic suffocatio. Ioannes Alexandrinus super epidimias Hyppocratis libro 8. dicit, quod si hyems fuerit Australis,& pluuialis, ver vero pluuiosum,& boreale: necesse est in æstate fieri ægritudines: sed & pestem quoq; ex aeris intemperie prouenire, maximè consentaneum est. Vnde & Conciliator super particula primi libri problematum Aristotelis septimo problemate diffinit pestilentiam per aeris mutationem, sic dicens. Pestilentia quæ Epidimia dicitur, est mutatio aeris in putredinem, vel pessimam qualitatem vniuersaliter [illegible] pestifera. Idē affirmat Hermes Trismegistus libro quarto, capite secun[illegible]: pestem scilicet nasci ex aeris corruptione, & intemperie siccitatis, vel caloris, vel humiditatis nimiæ proueniente. Ita quod sicut ex humiditatum distemperantia infirmitas prouenit: ita pestis ex inæquali planetarum, signorum,& stellarum actu procedit: quæ aerem diuersimode variant. Nam aeris alterationes secundum res cœlestes proueniunt. Quare Magnus Albertus libro secundo de elementorū proprietatibus tractatu secundo, capite primo scribit, quòd Iouis, & Martis coniunctio in Geminis cum alijs eos adiuuantibus faciunt pestilentiales vētos,& aeres corruptos, qui subito hominum multitudinem necanr,& animalium. Haly confirmat libro quinto de Regali dispositione, quòd scilicet ex stellarum Ortu, & Occasu in quibus tempora mutantur: sunt Pleiades Canicula. Porrò sunt etiam terrestres causæ, quæ pestem gignunt. Prima est pars terræ, Secunda Regionum eleuatio, vel depressio, & concaua: Tertia, montium vicinitas: Quarta, maris propinquitas: Quinta terræ ipsius Regionis stagna, & paludes: Sexta olera putrida, quibus & adduntur domus humidæ, & speluncæ,& cætera huiusmodi. Sed videat Haly prudens Philosophus. At infimum minimè obtinent locum corrupti vapores. Idcirco Auicenna quarto Canone scribit, aeris corruptionem accidere ventorum causa, vapores malos ex fætidis locis in quibus sunt profundæ valles, in locum vnum deferentium: & corpora in prælio desiccata, aut occisa, & non sepulta. Et Haly, aeris corruptiones ex fructuum corruptionibus, & cadaueribus, & cloacis vaporantibus ciuitatum, & ex mortuorum monumentis fieri, asseuerat. Magnus Albertus libro de rerum proprietatibus secundo, fatetur vaporibus venenosis, vt de anhelitu serpentum pestem quoque oriri. Aristoteles in libro de proprietatibus elementorum vaporibus ex terræ aperturis exhalantibus: Auicenna quarto Canone propter putredinem in terræ visceribus. Qua de re omnia inficiuntur. Sed & cum terremotu ex terræ visceribus exeunt vapores aliquando, aerem inficientes, vnde & pestis. Lēge libellum nostrum de motu terræ. Australes venti per infecta loca transeuntes, inficiunt: præsertim homines grauiores, impotentesq;. sic etenim putrescit aer ex corruptis vaporibus ipsi permixtis; & inficit corda aspirantia, respirantiaq;. Cum corrumpuntur segetes,& aer Aqua, adueniunt febres pestilentiales: quæ non nisi temporibus corruptis, & sterilibus eueniunt, inquit Bernardus de Gardonio libro primo, qui dicitur Lilium, capite secundo. Beda libro primò de ratione temporum, pestem, scribit ex aeris, vel siccitatis, vel calorum, vel aquarū intemperantia nasci. Constantinus inquit, quòd aer substantiæ suæ temperamento in putredinem mutatus, siue in quamlibet pessimam qualitatum, pestilentialis vocatur. Ideo Hyppocrates tertio Amphorismorum, amphorismo primo scribit: quod temporum mutationes maximè morbos generant,& in temporibus magnæ mutatio-

Io. Alexandrinus.
Pestis origo.
Conciliator.
Pestilentia, seu Epidimia
Hermes Trismegistus.
Magnus Albertus de peste.
Haly sententia de temporū mutationibus.
Causæ terrestres, quæ pestē gignunt.
Auicēnæ sententiæ de pestis origine.
Haly opinio de peste.
Magni Alberti sententia de peste.
Aristotelis, & Auicēnæ opinio de peste.
Ex terremotu quandoq; pestis.
Pestis ex rebus varijs.
Bernardus de Gardonio
Bedæ, & Cōstantini sententia de peste.
Tēporū mutationes morbos pariun.

mutationis,vel frigiditatis, vel estus, vel humiditatis,vel siccitatis. Quo in loco Galenus insignis medicus addit,quòd non solùm temporum mutationes, sed etiã eorum complexiones,quæ maximè,sunt generantes morbum, cum mutentur. Et super quarto Hyppocratis amphorismo habet, tempora anni non esse causam morbi,sed mutationes suæ complexionis. Quocirca Aristoteles deffinit pestẽ esse ægritudinem vniuersalem ob quamdam oportunam adustionem aerem corrumpentem: & ægrotis appropinquãtẽ admodũ basilisci inficiuntur, consumunturq;. Causam reddit Commentator, quia redduntur morbidi ab aere sic corrupto,immediate,& sine obstaculo ad cor ingrediente: quoniam aer est ineuitabilis necessariusq; ad anhelitum, & auditum. Habemus igitur annuas ægritudines ex elementorum alterationibus; quæ quidem eueniunt ex mutatione substantiæ aeris; cum scilicet naturam suam transierit. Vt si hiems calida fuerit,& sicca, ac sine pluuia:ver frigidum,& siccũ: Autumnus calidus,& humidus;æstas frigida, & humida,vel excessiuè calida: Tunc quidem pestis per acutas febres quibusdam in locis adueniet: multaq; mala contingunt,quæ non homines dumtaxat, verum & bestias inficit:& quandoq; arborum fructus & plantarum, quos comedentes in pessimas incidũt infirmitates. Verum cum aer mutatur, magis nocuus est calidus, & humidus,si putrescit, & dilatatur, quia qualitates illæ sunt maximè symbolæ naturæ hominum,qui calido viuunt,ac humido nutriuntur; sed plus inficit,si non sequuntur venti desficcatiui. Huius sententiæ est primò Auenzoar in libro Athar medicinarum capitulo de Epidimia, deinde Auicenna primo libro sen. sec. doct. sec.sum.prima cap,quarto.vbi inquit, quòd mutatio ducens mortalitatem, & ex complexionibus aeris digniore,vt cõuertatur ad putrefactionem: est calidi,& humidi aeris complexio. Quare idem Auenzoar loco prærecitato narrat, in regione quadam aduenisse incendium,cui superueniente pluuia fuisse causam magnę corruptionis aeris. Vnde hominibus accidit scabies: pluribusq; eorum ceciderunt brachium,& crura,& musculi,ex putrefactione,ac corruptione magna. Verum enimuero ne dum ex qualitatibus anni, cum scilicet aer mutatur, perpendendæ sunt annorum ægritudines: verum cũ mutatur aeris substantia per diem,per hebdomadam, & per alios plures dies. Igitur cum in temporibus eadem die aliquando quidem æstus,quandoq; frigus sit: autumnales ægritudines expectato. Huius sententiæ est Hyppocras tertio amphorismorum,amphorismo quarto. Cui concordat Auicenna primo Canone loco prærecitato. Qui etiam libro quarto asserit,ꝙ quum videris alterari aerem vno die sæpius & vno die Sol clarus oritur, ac alio die conturbatur,& oritur in velaminibus nebulæ,quæ est, vt puluis: & modo est calor,& modo frigus in vno die,vel in multis diebus,iudicandum est,quòd pestilentia accedet. Pestilentiam verè æstiuam malignam pluuiæ paucitas in vere cum frigore significat: & cum multiplicatur Auster,ac aliquibus diebus aer conturbatur,ac demum clarificatur post hebdomadam vnam: & frigus accedit in nocte,& præfocatio,& conturbatio,& caliditas, tunc iam venit pestilentia, & pestilentiales febres,& variolæ: & ita etiam iudicandũ est de æstate calida,& humida habente matutina alterata. In Autumno ignes in aere, & Cometæ si apparuerint,signa sunt pestilentialia, ac multorum morborum. Sed de Cometis,ac illorum effectibus iam hoc in loco scripsimus: sed illustrius in particulari nostro libello. At de his,hactenus.

Galenus qd de morbis sentit.

Aristotelis sententia de peste.

Cõmẽtator.

Aer suam naturam transiens: pestem inducit.

Auenzoar. Auicenna.

Historia notetur, & aeris corruptũ

Annorum ægritudines etiã per diẽ, & hebdomadam notãdæ sunt.

Aeris variatio per singulos dies pestem inducit.

Ignes,& Cometæ in Autumno pestilentiales.

Annorum sanitates. CAP. XXXIV.

Annus sanus

QVAE ægritudines ex aeris mutationibus, dum tempora suas non seruant naturas, nascuntur, iam enarratum est. Nunc quæ temporum dispositiones sanitatem efficiant: remanet dicendum. Sanus semper erit annus, si tempora suas seruauerint naturas. Ita vt bruma frigida sit, & sicca cum aliquibus interpollatis pluuijs: moderant namq; gelu vigorem. Aestas calida, & sicca etiā cum aliquali aquarum inundatione: temperant profecto æstus immensitatem. Autumnus calidus, & humidus cum pluuiarum abundantia, sed æquali. Porrò ver frigidum, & humidum cum aquarum crebra interpollatione, & calor sit temperatus. Debet itaq; esse in anno proportionata serenitas, & proportionata tempestas. Nam si vtraq; nimia fuerit, corrumpunt aerem, & pestes atq; regnorum mutationes significant ob mortem: Huius sententiæ est Conciliator problemate primo particulæ primæ libri Aristotelis. Quare Hyppocrates in suo libro de Aere, & Aqua inquit: annum sanum non debere esse nimis serenum. Petrus Aponensis per tempestatem intellexit aerem grossum, puluerulentum: In quo apparent igneæ scintillationes; quæ sunt signa pestilentiæ. Igitur si tempora in se conuenientia fuerint, complexiones sanas conseruant: si autem dissonantia, difficiles procreare morbos, maxime consentaneum est. Quæ autem scribimus conformia sunt quidem his, quæ viri illustres nos docent. Hyppocrates in libro de Aere, & Aqua inquit: quòd si stellarum ortus fit, vt debet (Nam ex illis cunctæ aeris alterationes pendent, vt iam scripsimus in hoc primo libro) vt tempora scilicet sint proportionata, & sic in Occasu, vt in Autumno plures aquæ, & hyeme paucæ: nec multum serenum, neq; frigidum plus oportuno; & vere aquæ multæ, æstate aquarum temperantia, annum sanum iudicat. Auicenna quoq; primo Canone fen. sec. summa prima, capite quarto, autumat annum sanum ex his: scilicet, vt Autumnus sit pluuiosus, & hyems temperata, neq; sit non frigiditatem habens, non tamen sit pluuiosa in regionis comparatione: & sic ver pluuiosum fuit, & æstas non absq; pluuia, erit illud quod sanius esse potest. Haly libro quinto de Regali dispositione capite quarto inquit, quòd annus cuius aer seruatam seruat moderationem, est ille, cuius ver temperatum est circa calorem, & frigus: & ideo alternatim in eo fiunt pluuiæ: nec moderati æstas est caloris: & in ea paucæ fiunt pluuiæ: non quemadmodum vernales esse condecet: nec etiam Autumnus nimiæ erit siccitatis: sed in eo pluuiæ sunt: Hyems verò frigida erit: & pluuiæ in ea non erunt superabundantes, huiusmodi anni aer, prout condecet, temperatus est. Si verò aer ab his quæ dicta sunt, variatur: morbidus est; quod iam capite præcedenti tactum est. Hæc sunt, quæ de annuis ægritudinibus, sanitatibusq; ex elementorum inæqualitatibus, conuenientijsq; desumptis, adduximus iuxta illustrium virorum sententias. Multa tamen similia desunt, verum quia virtualiter in prædictis includuntur: omittenda consulto censuimus. Consulimus tamen philosophis omnibus & medicis, vt Astrorum scientiæ vacent. Sic enim fieret, vt aeris qualitates cum consequentibus illustrius, certiusq; prædicerent. Certius quidem scitur effectus per duas causas, quàm per vnam solam. Si namq; præsciri possunt sanitates ægritudinesq; per elementorum variationes, quæ à cœlis alterantur, illustrius tamen

In anno proportionata serenitas, & proportionata tēpestas debet esse.

Conciliator

Hyppocrates.

Petrus Aponensis.

Stellarū ortus conueniēs annum sanū reddit.

Auicēnæ cō firmatio.

Haly testimonium de anno sano.

Astrorū sciētia ad medicinam necessaria.

vatici-

vaticinari possent, per cœlorum naturam, certiusq; per ambas causas. Sanè omnia hæc & similia à cœlis pendent. Sanitates, ægritudinesq; Ptolemæus libro secundo Quadripartiti docet, præsciri à dominis coniunctionis, vel oppositionis ante ingressum Solis in Arietem: scire quidem eorum dominos, & ascendentia. Albumasar libro octauo coniunctionum inquit: quòd luminaria male disposita ante Solis ingressum in Arietem in eorum diametro, & Ascendens à Saturno infortunatum cum Mercurij participatione, pestem significat in locis & Regnis, trigono Arietis subiectis: vti Brittania, Germania, & Italia: febresq; pestilentiales, ægritudines ex humore malencolico permixto cum colera perniciosa: significat etiam variolas, & morbillos. Mars quoq; vendicans sibi dominatum, & Luna in anni reuolutione infortunata, febres pestilentiales, pustulas, lepram, & impetigines iuxta Albumasarem denuntiat. Hæc si à medicis scirentur, tot tantiq; diem suum extremũ non obirent: quia prouiderent. Idcirco dixit Hyppocrates, Astrologiam non paruam esse medicinæ partem. Vtinam omnis medicus esset Astrologus, & nullum medicum fore absq; Astrologia, diplomate Regio Principes iuberent: Humano generi dubio procul magnam vtilitatem afferrent. Et si in medendis morbis dies criticos obseruarent, thema cœli erigentes die, & hora decubitus: inspiciendo Lunæ progressum, à quibus scilicet discedit, quibus applicat: si lento, vel veloci meet motu, si aucta sit motu, vel lumine, si sit fortis vel debilis: præsciret profectò num morbus foret læthalis, nec ne: & æger num conualescet, aut morietur. Nam & si per causas proximas id præscire possint, illustrius tamen per remotas: ac certius per vtrasq;. Consulant Hermetis Trismegisti insignem libellum, cuius inscriptio est, Hermetis Trismegisti Iatromathematica, hoc est: Medicinæ cum Mathematica coniunctio, quem è Græco in Latinum vertit Ioannes Stadius Leonnouthesius Mathematicus insignis: quamplura certè scitu dignissima congererent pro salute generis humani.

Ptolemæi doctrina. Albumasar. Annus morbifer. Astrologiã magnã medicinæ partẽ dixit Hyppocrates. Hermes Trismegistus. Io. Stadius.

Anni qualitas, ex rebus varijs. CAP. XXXV.

REMANET deinde de anni qualitate, dispositioneque pro huiusce secundi libri complemento ex diuersis illustribus authoribus excerpta, ac ex ipsa etiam obseruatione comprobata. Et quamuis, in superioribus multa horum sint tacta, ex quibus anni qualitas desumi potest: nihilominus tamen alia explicanda sunt, quæ notat digna censemus. Incipiemus itaq; à stellis primò, deinde à meteoris, & reliquis omnibus. Porrò autem à stellis, à Canicula exordiemur. Heraclides Ponticus Philosophus scribit, Ceos populos obseruasse Caniculam, atq; ex ipsius puritate, vel obscuritatem salubrem annum, vel infaustum prognosticabantur. Quandoquidem si obscurior solito appareret, caligine ex omni parte circumfusa, grauem, & pestilentem anni futuram qualitatem pronuntiabant. Causa quidem est, tunc cœlum esse pingue, & concretum: quod certè animalium saluti aduersari, maximè consentaneum est. Si verò stella illustris, perlucida, ac absq; caligine aliqua splenduerit, tunc salutaris anni signum dat: eò quia purum est cœlum, & tenue; ac ideo salubr. Lege Ciceronem libro primo de Diuinatione. Sub Cane, vel sub Arcturo si non pluet: circa æquinoctium imber erit, aut ventus. Die 15. Nouembris Oriente Sole cum 22. grad. Scorpij; seu paulo ante, cum Tauro pleiades, seu Vergiliæ.

Anni qualitas à canicula. Heraclides Ponticus. Canicula obscurior solito pestilentem annum prædicit. Canicula splendens salubrem annum pronuntiat. Cicero. Anni qualitas ex occasu Vergil.

giliæ occidunt Occasu matutino apparente, quæ non apparent vsq; ad tempus veris: in quarum Occasu non erat amplius nauigatio apud veteres, cum esset hyemis initium. Itaq; si tunc ad Solis Ortum, cum Occidunt Vergiliæ, tempus nubibus plenum erit, ex obseruatione per dies quinquaginta, & multoties centum, continuæ erunt pluuiæ: ac propterea frumenti Caritas. Ratio est, quoniam hyberno puluere frumenta gaudent. Vnde Virgilius,

In occasu Vergiliarũ per dies 50. & multoties; 100 erunt pluuiæ.

Hyberno latissima puluere farra.

Et Carmina illa rustica,

Hyberno puluere, verno luto,
Longissima metes, Camille farra.

Cabellinus. Lucas de Pẽna. Stellæ à Philosophis, & Medicis obseruatæ. Stellæ omnes obseruari debent a Philosophis, & Medicis. Quatuor tẽporum anni qualitates iuxta Hyppocratem, & Theophrastum.

In milleloquijs Cabellini visuntur hæc: quæ scribit etiam Lucas de Penna Iurisconsultus 2. lib. 2. C. de agric. & cens. lib. 11. Ex Hyppocratis, & Aristotelis monimentis clarum est. Philosophos, & Medicos, insignes stellas obseruasse, Arcturum scilicet, Orionem, Canem, & Virgilias tantum: illarum certè Ortus, & Occasus tanquam anni Dichotomias. Benè tamen verum est, Hyppocratem in libro de aere, aquis, & locis aliquando dixisse, nõn Arcturum dumtaxat, & Pleiades, sed quascumq; alias Stellas obseruari debere: quarum Ortus, & Occasus, cum cœli mediationibus in superiori libro habes. Hyppocras in tertio Aphorismorum sexto, vbi temporum status, & mutationes explicauit, Aphorismo. 12. inquit: si Australis hyems, & pluuiosa fuerit, ver siccum, & Aquilonium erit. Sed & illi consentit Theophrastus in libello de pluuiarum signis dicens. Si Hyems valde pluuia fuerit, ver vt plurimum siccum erit: at si hyems sicca, ver è contra pluuium. Ratio est, cum circa æquinoctia mutationes fieri debeant. Quò circa manifeste elicitur, vnius temporis statum, alterius dubio procul indicare. Verum enimuero idẽ Theophrastus rem nobis totam aperuit in libello de signis tempestatum: vbi dum conuenientia, & dissonantia tempora digreditur, ab ipsis anni qualitas à nobis iudicari, innuit. Docet quippe, quòd cum æstus plurimi, & vehementissimi dominantur: hyems aspera, & sæuissima expectari debet. Si ver fuerit valde pluuium, ingentes æstus in campestribus, & concauis locis erunt expectandi. Si Autumnus vehementer calidus fuerit: ver, vt plurimum, frigidum erit. Si ver cunctabitur, ac frigidum fuerit, opora tarda erit (Quid sit opora, in superibus dictum est) atq; autumnus, vt plurimum, æstuosus. Hyems, si maturauerit, maturè etiam desinet: & ver suum retinebit temperamentum; quòd si cunctabitur, ver nõ erit ver; ratio est manifesta, quia hyems perseuerat in illo. Vnde Hyppocrates in opusculo de natura humana ver sua natura scribit, humidum, & pluuium esse debere. Quod & confirmat in libello de aere, & aquis, & locis salubribus, pluuium ver esse, sed temperstiuè. Si ver, & æstas frigida fuerit, opora, & Autumnus æstuosus erit, atq; à ventis silens. Proueniunt autem hæc, quæ diximus à temporum natura, & à mutatione, quæ semper est in oppositum. Nam ver, & Autumnus in temperamento minimè conueniunt adinuicem: similiter æstas, & hyems dissentiunt in eodem ob temporum contrarietatem; quia nimirum tempus aduersatur tempori: ac propterea si ver plus iusto frigidum fuerit, autumnus calidior erit: & si autumnus frigidior, ver, vt plurimum, calidior. Similiter estas, si plus soliro calida fuerit, hyems maximè frigida erit: & si frigida, bruma calida erit. Quare Hyppocrates in libro de natura humana scriptum reliquit, à vere Autumnales infirmitates dissolui, ab Autumno, vernas: æstiuas, à Bruma: brumales verò ab æstate. Ex his itaq; habetur non solum, anni qualitas, sed effectus: nimirum si annus à suo egreditur temperamento, quod accidit, dum tempus in tempus conuertitur: hoc est, ver in brumam, Autumnus in æstatem, & tempora confunduntur

Aestus plurimi si dominẽtur. Ver valde pluuium. Autumnus calidior. Ver longũ, & frigidum. Hyems matura, & longa.

Ver, & æstas frigida.

Ver, & Autumnus æstas & hyems non conueniũt inter se.

Infirmitates annuę à quibus dissoluũtur.

tur adinuicem: annus quidem tunc morbifer erit, & lethalis. Accedit quoque, quòd ver, & æstas, Autumnus, & hyems etsi adinuicem conueniant essentialiter in actiuis qualitatibus, & per se: nihilominus tamen dissentiri possunt per accidens; sicuti de facto quandoq; dissentiunt. Si in brumæ initio aer caligine, ac obscuritate obumbretur, æstusq; vigeant absque pluuijs: ver grandinosum portendunt. Prouenit id certè ob vaporum multitudinem, qui tunc abundant: vnde quod non fecit hyems in frigiditate ver facere, maximè consentaneum est in grandinibus, ob hyemis calorem in vere relictum, ac etiam ob temperamentum. Hyemis initium propriè in solstitio fit hyberno, iuxta veteres Philosophos in occasu Vergiliarum: vtrumque obseruare licet. Si post vernum æquinoctium nebulæ multæ fuerint, inde ad septimum mensem, idest Autumno, venti multi, & flatus tunc erunt, & terremotus. Ratio est manifesta, cum multæ exhalationes à verè, atque æstate impeditæ, suos nequiuerunt producere effectus: sed contrario adueniente temperamento, excitantur venti à præmissis exhalationibus, quæ latebant occultè: vere, & æstate impedientibus. Effectus exhalationis fumidæ sunt præsertim venti, & terremotus. Si circa æquinoctium aphricus spiret: pluuias proculdubio dabit. Aristoteles problemate vigesimoquinto, sectione 26. & Theophrastus in libello de signis pluuiarum. Quod vero dicit circa æquinoctium, non explicans quale sit illud, nonnulli de autumnali arbitrantur, & rectè, cum circa illud Africus excitari solent. At nos remur vtrumque: nam ambo tempora mutare solent, ac ideo si Aphricus flat, cum sit pluuidus, pluuiæ erunt expectandæ. Sub cane, vel sub Arcturo pluere solet: at si non pluuet, circa æquinoctium (nempe autumnale, tamquam illis proximius) erit imber, aut ventus. Cum multæ niues suo tempore decidunt, non iuxta Theophrastum solum, sed iuxta omnes ferè, annus benè cedit tum ad rerum copiam, tum quoq; ad corporum salubritatem. Causa certè est, quòd frigus ex niuibus procedens, calorem impellit ad vegetabilium radices: qui coadunatus, causa est germinationis illorum, aqua paulatim illas irrigante ex niuium resolutione. Deinde in anno, cum abundant niues, signum est, dominari Aquilonem: & annus Aquilonius melior, & salubrior est Australi, vbi niues minimè decidunt ob flatus caliditatem: etiam iuxta Hyppocratem, & Galenum Aphorismo quinto, & decimo septimo tertij secti: cui fidē adhibet Theophrastus in libello de signis pluuiarum. Ac ideo Aquilonius annus cæteris præstat, præsertim Austrino: Nam animalibus, plantisq; imbres Aquilonij magis prosunt. Ratio quidem est, quia dulcem necesse est, esse aquam, non salsam: Aquilonia dulcis est, Austrina salsa iuxta Aristotelem libro secundo Meteororū, ob plurimam fumidæ exhalationis admixtionem: quibus & nos addimus, ob mare, quod Auster pertransit, cuius aqua salsa est: vnde & illius impressiones suscipit; Aquilo terram, flumina & dulcium fontes aquarum: Ideò hæc salubrior illa est, ac propterea animalibus magis proficua: Austrina autem aduersa, & noxia. Vnde est & illud adagium, dulcia sunt amica naturæ: Igitur dulces oportet esse aquas, nam dulces optimæ sunt, etiam iuxta Hyppocratem in libro de aere, aquis, & locis. Circa Hybernum solstitium per quadraginta dies aerem penitus algere, scripsit Theophrastus capite decimo sexto libro quinto de Plantarum causis. Si Etesiæ plurimum temporis flauerint & Autumnus ventis per flatus fuerit: hyems tranquilla, & à ventis silens erit Theophrasto in libello de signis ventorum. Quòd si contrario modo res contingat, contrario etiam modo se hyems habebit: nimirum si etesiæ parum flauerint, & Autumnus absq; ventis extiterit: hyems turbida, atq; ventosa maximè reddetur. Ratio primi est, quia exhalationum materia in illo tempore absumpta est tota, vt nihil aut parum de illa remanserit: ratio secundi

Quatuor anni tempora quomodo cōueniunt, & dissentiunt.

Aer caliginosus in hyemis initio.

Anni qualitas ex nebulis.

Tēporis qualitas ex Aphrici flatu.

Tēporis anni qualitas ex cane, & arcturo.

Anni flatus ex casu niuium.

Annus Aquilonius salubrior Austrino.

Aqua aquilonia dulcis, Austrina, salsa.

Aristot. ratio, & nostra.

Tēporū qualitas ex etesijs.

cundi eſt, quoniam Autumnus, cum à ventis ſilens fuerit, materia illa tunc latens, paulatim coaceruata, emergere neceſſum eſt in hyeme tanquàm autumno contigua: ac propterea ventis quati, turbidioremq; reddi, par eſt. Serenitas certè, & aeris tranquillitas à nimio gelu, & æſtu proueniri penitus, docet Ariſtoteles cap. quinto, libri ſecundi Meteororum, cum ab vtroq; exhalationes conſumantur: medijs verò temporibus, vt plurimum, ac frequenter; vel quia nondum exhalatio ſit reddita, vel quòd iam euanuerit, & alia nondum affluat. Multa alia, & ſimilia in præſenti, ac in præcedenti libro ſparſa reperies: quæ anni qualitates, ſtatus, ac vices explicant. At Democriti afferamus doctrinam, qui talem futuram æſtatem iudicauit, qualis fuerit ſolſtitij dies, & circa eam terni: ſimiliter talem hyemem futuram, qualis brumæ dies, cum tribus ſequentibus.

Serenitas, & aëris tranquillitas ex Ariſtotele.

Democriti æſtatis, & hyemis qualitas.

De Eteſijs, Auſtrinis, Prodromis, Subſolano, Ornithijs, Chelidonijs, Leuconotis, & Fauonijs. CAP. XXXVI.

NOLEBAMVS nos in præſenti libro de ventis illis pertractare, qui vel generales dicuntur, vel prouinciales, vel repentini, & cæt. Nam innuimus alibi hæc pertractaſſe fuſius: & generales iam vtcumq; tetigimus, ſtatos verò, qui ſtatis, certis, determinatiſq; téporibus flant, minimè: cauſa iam repetita toties; nimirum, cum de his, & reliquis omnibus in noſtra Anemographia mentionem fecerimus. Cæterum non potuimus amicis noſtris minimè ſatisfacere, præſertim R. A. P. F. Mauritio de Gregorio Ord. noſtri S. Th. Doctori, omnium ſcientiarum ferè eruditiſſimo. Iulio Cæſari Capacio Vrbis Neapolitanæ à ſecretis viro clariſſimo, & de re literaria optimè merito, & nunquam ſatis laudato: & D. Carolo Pinto bonarum artium Illuſtri: qui efficaciter nobis perſuaſerunt, vt de his ſtatis ventis quoquomodo digrederemur, ſecus enim manca, & mutila hic videretur ventorum tractatio ob temporum mutationes ab his ſtatis ventis dependentes. Annuimus itaque Illuſtrium virorum iudicijs: & in illorum gratiam ex noſtra Aeolia hos excerpimus, adiecimuſq;. Sciendum igitur eſt primò, ventos plurimos vere, & Autumno ſpirare, quàm æſtate, & bruma: quoniam exhalationes prioribus temporibus ob radiorum ſolarium imbecillitatem, ac propter apertos terræ meatus abundant perquã maximè: æſtate verò minimè, quoniam ob nimium Solis calorem abſumuntur, bruma autem ob frigus diſſoluuntur. Porrò autem ſtatos flare certis temporibus, cernitur, ſiue hyeme, ſiue vere, vel æſtate, aut Autumno, adeò certè, & tutò, vt eos expectare, neceſſum eſt, quemadmodum ad loca determinata planetarum reditus; vnde & dicuntur ſtati, hoc eſt anniuerſarij: quia ſingulis annis certis fermè temporibus reuertuntur. Adnotandum eſt ſecundò, difficilem eſſe horum tractationem, (vt de alijs pluries dictum eſt) ne dum ex ſeipſis, verum etiam, quia authores illos confundere, & miſcere videntur: dum vnum pro altero ponunt, vniuſque qualitatem alteri attribuunt: & quod magis officit circa tempus flatuum parum ſibi conſtant; vt in intricatiſſimo labyrintho mentem ponant. Nos igitur ſic ſicco pede progrediemur, nam in noſtra Anemographia, ſeu Aeolia, penitius, ac in noſtris Meteorologicis ſatis. De Eteſijs itaq; ſermo noſter erit, Auſtrinis, Prodromis, Subſolano, Ornithijs, Chelidonijs, Leuconotis, & Fauonijs. Fauonij (vt ab his exordiamur) circa decimũſeptimũ, vel decimũoctauũ Februarij ſpi-

Mauritius de Gregorio. Iulius Cæſar Capacius. Carolus Pintus.

Vẽti cur plurimi vere, & Autumno ſpirant, quàm æſtate, & bruma.

Venti ſtati certis tépo-ribus flant.

Venti tales cur dicuntur ſtati.

Ventorũ difficilis tractatio.

Fauonij quãdo ſpirant.

rij ſpirant Sole 27. Aquarij partem per meante poſt annum recognitum, nam antea circa vij. vel viij. Februarij: in intercalari vno die anticipantes; ac poſt quadriennium in idem omnes redire, Eudoxus putauit. Quippe qui arbitratus eſt, omnium certè flatuum (ſi minimos obſeruare ambitus conuenit) eundem ſerua re ordinem luſtro ſequenti: & eaſdem ſubire vices. Fauonium nonnulli iuxta Plinium vocant Chelidonium, ab Hirundinis apparitione, & Auium aduentu 7. Calend Martij hoc eſt 23. Febr. iuxta veterem annum: poſt recognitum verò 5. Martij flare incipiunt ſpatio dierum nouem. At Ptolemæus de inerrantium ſiderum ſignificationibus per Leonicum tranſlatis ad x. Cal. Martij id retulit, qui eſt xx. Februarij correſpondens. 2. Martij iuxta annum recognitum, his verbis. Aquilo pluuioſus ſpirat. Leo occidit. Aquilones Chelidonij appellati, incipiunt, & per quatriduum flant: hirundines apparent. Sed & idem Ptolemæus in libello de ſyderum inerrantium ſignificationibus per Federicum Bonauenturam, ſcribit aliter: nempe, menſe Martij. 5. qui eſt. 9. Phamenoth iuxta Aegyptios, Cæſari Chelidonij flatus diebus decem ſpirant. Die 6. qui eſt x. Phamenoth, Cæſari Chelidonij flatus. Quidam Fauonium aliquando vocarunt Ornithiam, nonniſi quia veris initio flans, tempus fæturæ auium oportuniſſimum annunciare cernitur. Sed hæc adinuicem pugnant, cum Fauonij per dies nouem iuxta Plinium ſpirent: Ornitiæ verò iuxta Columellam per dies triginta; initium ſumentes à x. Cal. Martij iuxta annũ Iulianum, veterem qui dies eſt 20. Feb. correſpondens diei 2. Martij anni Gregoriani; quemadmodũ & Ptolemæus ſcribit; ſed diſcrimen eſt vtriuſque in duratione, & in nomine. Rurſus illi ſunt Auſtrini, cum hybernum cœlum molliant veris initio: hi ſunt ſeptentrionales Columella ſcriptore lib. 11. cap. 2. At verò alij explicant, Columellam ſeptentrionalium nomine intelligere Fauonios: cum etiam iuxta Ariſtot. libro 2. Meteor. cap. 6. ad flatus Septentrionales pertineant, quia ſunt natura frigidi. Vnde Plinius libro ſecundo, cap. 47. teſtatur aliquos vocare Ornithias Fauonios, & eſſe ventos de genere Aquilonio. Et Theophraſtus in libro de ventis docet, Fauonium poſt brumam, vere ineunte, flare, & moleſte, cum flet frigidus. Alij autumant Ornithias eſſe verè Auſtrales (vt Federicus Bonauentura) & ad flatus Auſtrinos pertinere: nec obſtat ab ortu brumali ſpirare, quia Orientales venti Auſtrales quoque ſunt iuxta Ariſtotelem, quia calidiores, cum ab ortu flent. Et hoc eſt, quòd alij dicunt, tum ex priſcis Philoſophis, tum ex recentioribus quoque: quod poſt brumalem conuerſionem die 70. vel 71. ſpirare incipiunt, nempe prima vel ſecunda Martij poſt annum recognitum. Verum enimuero Ornithiæ idem ſunt, quod Rhodonæ, & Leuconoti. Dicuntur Ornithiæ, quia ad auium fœturam etiam ſine maris coniugio aptiſſimæ ſunt. Sicuti videmus in domeſticis puta in gallinis, quæ abſque concubitu, vere, cum ornithiæ ſpirent, oua pariunt (eſt etenim ventus fœcundiſſimus.) Quare Ariſtoteles libro tertio, cap. primo de ortu Animalium, & libro 6. cap. ſecundo de Hiſtoria Animalium, ſubuentanea oua Zephiria vocat ab Orthiniarum flatu. Ab Alexandrinis dicuntur Rhodonæ iuxta Olympiodorum in Meteorologicis, quoniam roſis floreſcentibus ſpirare incipiunt: Eo enim tempore in Aegypto roſæ florent, & Aprilis menſe ſegetes metunt. Vocantur deinde à Philoſopho Leuconothi, id eſt candidi, ob aeris tranquillitatem. Vnde Horatius libro 3. Ode 7. Fauonios vernos candidos appellauit hiſce carminibus.

Eudoxus omnes vẽtos in idem redire poſt quadriẽniũ putauit.

Fauonius Chelidonius appellatus. Fauonij flatus duratio.

Flatus chelidonij initiũ, & tẽpus iuxta Ptolemæũ

Fauonius ornithia vocatus. Fauonij, & ornithiæ flatus diſcrimé

Fauonij ad flatus Septẽtrionales ſpectant iuxta Ariſt. & Plinium. Theophr. Fauonios frigidos ſcribit. Ornithiæ auſtrales iuxta alios.

Ornithię idẽ quod Rhodonæ, & Leuconoti.

Ariſtoteles.

Ornithię cur Rhodonæ dicuntur. Ornithię cur Leuconoti vocantur. Horatius.

Quid ſtes Aſterie, quem tibi candidi
Primò restituent vere Fauonij.

Ptolemæus de Leconoti flatu. Ptolemæus in libello de ſyderum ſignificationibus iuxta Federicum Bonauenturam, 14. Aprilis, qui & 19. Pharmuti, Aegyptijs Leuconotum ſpirare ſcribit. At verò die 22. Februarij, qui eſt 28. Mechir, ſcribit, quòd Hipparcho, & Euctemoni Ornithiæ flare incipiunt frigidi, & hirundo aduenit. Die 23. Februarij, qui eſt 29. Mechir, etiam, quòd Eudoxo adueniente hirundine, imbres, atq; Aquilones Ornithiæ dicti, per quatriduum ſpirant. xxiv. Februarij, qui & 30. Mechir, Aegyptijs Ornithiæ Aquilonij cum Argeſte. Democrito varij Halcyonei appellati dies. Die 7. Martij, qui & xi. Phamenoth, Democrito venti frigidi. Ornithiæ diebus nouē. Die 13. eiuſdem, qui & 17. Phamenoth, Doſitheo Ornithiæ incipiunt. De ſubſolano autem ſex diebus ante Idus Maij, quod tempus quidem auſtrinum eſt, ſcilicet. 8. die Maij Sole 26. grad. Tauri percurrente, circa exortum Virgiliarum, flat ſubſolanus contrarius Fauonio. Verum ambo ſunt temperatiſſimi, fauonius nempe, & ſubſolanus. Hic ab ortu flat ſaluberrimus, & paulò vehementior fauonio, præſertim poſt ſolis diſceſſum ab Aequatore: ille ab occaſu rectò flat rarò, & placidè, Sole tamen occumbente. At in Ptolemæi tabulis oppoſitū perſpicitur de eorum flatibus. Omnes prærecitati flatus, nempe Fauonij, Ornithiæ, & Subſolanus iuxta communiorem opinionem, vere ſpirant, quod nauigantibus maria aperit.

Ornithiarū initium, & duratio. Ornithiarū flatus Aegyptijs, & Democrito, Duratio, & Doſitheo initium. Subſolani flatus. Subſolani, & fauonij flatus.

Prodromi venti aquilonares. Prodromi venti ſunt Aquilonares, caniculæ exortum præcedunt octo ferè diebus. Caniculæ exortum vide in tabulis, fit enim in primis leonis gradibus iuxta diuerſas polorum altitudines. In ptolemæi libello de inerrantium ſiderum ſignificationibus per leonicum tranſlatis hæc leguntur. Die x. Iulij eteſiarum prodromi flatus ſpirant, item die xij. Prodromi inualeſcunt flatus. Rurſus die xxij. Prodromi flatus latè ſpirant. At in tranſlatis per Federicum Bonauenturam ſcribitur, die 9. Iulij, qui eſt 15. epephi, quòd euctemoni, ac Philippo prodromi incipiunt: item die 12. eiuſdem, qui & 18. Aegyptijs prodromi flant. Rurſus die 18. eiuſdem, qui & 24. Cæſari flant prodromi, & die ſequenti, etiam flant prodromi. Sed Columella conuenit cum Ptolemæo per Leonicum, vj. Id. Iulij, hoc eſt die x. Prodromos flare. Plinius verò. 18. Calend. Auguſti, hoc eſt. 16. Iulij, inquit, eteſiarum prodromi flatus incipiunt. Ex quibus manifeſte perſpicitur diſcrimen in diebus, & in ventorum mixtione, dum prodromos cum eteſijs coniungunt.

Ptolemæus quid de Prodromis ſentit. Ptolemæi ſententia de Prodromis iuxta Feder. Bonauenturam. Plinij ſententia de Prodromis.

Eteſiæ, & illarum ſpirādi initium. De eteſijs ſubinde ſermo noſter erit. Eteſiæ ſunt venti aquilonares, initium ſpirandi ſumunt biduo poſt canis ortū iuxta Plinium; quod ante docuit Ariſtoteles lib. 2. Meteororum: vbi ſcribit poſt ſolſtitium æſtiuale, & canis ortum initium ſpirandi ſumere. Sed Columella lib. 11. cap. 2. Calendis Auguſti incipere, deſinere autem tertio Calend. Septembris hoc eſt. 30. Auguſti. Iuxta verò Ptolemæum per Leonicum. 6. Iulij eteſiæ flare incipiunt: nam ante non ſcribit. x. autem eteſiarum Prodromi: xv. Canicula exoritur, eteſiæ inualeſcunt. 18. Eteſiæ amplius inualeſcunt. 20. Sole in Leone, canis exoritur. 21. Eteſiæ cum alijs ventis per 21 flant dies 28. tandem eiuſdem menſis Iulij, Eteſiæ violēter ſpirant. At 25. Auguſti ſcribit, quòd eteſiæ ponunt. Sed idem Ptolemæus per Federicum Bonauenturam ſic ſcribit. Die 18. Iulij, qui eſt 24. epephi, Hipparco eteſiæ flare incipiunt: deinde 21. qui & 27. eiuſdem, Metrodoro, Euctemoni, ac Philippo eteſiæ ſpirant; & eſt oporæ principium. Die 23. qui & 29. Aegyptijs eteſiæ ſpirare incipiunt. Die 24. qui & 30. Eudoxo eteſiæ ſpirāt. Die 29. Iulij, qui & 5. Meſori. Eudoxo oporæ principiū, Doſitheo eteſiæ incipiunt. Die 25. Auguſti, q. & 2. intercalaris ponūt eteſię. Die 29. eiuſdē, qui & 1. Thoth, Hipparcho, & Eudoxo Eteſiæ ponūt. Die 31. eiuſdem,

Eteſiarū ſpiratio iuxta Ptolemæum per leonicū. Eteſiarū flatus iuxta Ptolemeum per Federicū Bonauenturam.

dem, qui & 3. mensis Thoth. Aegyptijs Etesiæ flare desinunt. Die prima Septembris, qui & 4. Thoth, Calippo ponunt etesiæ. Die sequenti Cononi ponunt etesiæ. Die 5. qui & 8. eiusdem, Cæsari etesiæ flare desinunt. Habemus itaque initium, medium, & finem spirandi etesias. Quò verò ad qualitates attinet, Metrodorus, vt notat Plutarchus, sentit, etesias spirare astricto ad Septentrionem aere, recedente sub solstitiali reciprocatione, Solem comitans: iam dictum est esse ventos Aquilonares totius fermè hemispherij, quod est inter Fauonium, & Zephyrum: ad Solis vaporem ardore canis geminatum, mitigandum, molliendumque. Vnde cum Sol est in Leone, verti frigidiores ab hoc excitati hemisphærio, etesiæ dicuntur, hoc est anniuersarij: quia ad idem tempus reuertuntur. Porrò sunt contra calorem saluberrimi, quia illarum flatu nimis temperantur Calores, inquit Cicero lib. 2. de Natura Deorum. Ptolemæus scribit etesias à Ioue cieri, tanquam fœcundiores, & salubriores cæteris; quemadmodum & ipse fœcunditatis est parens, & fœcundorum spirituum author. His omnibus fauent Aristoteles in Meteoris, & Suidas. Causa verò horum flatuum, cur scilicet sint frigidiores in tam ardentissimo æstatis tempore, nonnulli rentur esse niues; quæ ob ingentem æstum in borealibus regionibus liquescentes: abundantem materiam ventis præbent, vt durent, & refrigerent. Vnde & natura prouida fuit, vt molestæ æstatis intemperiem ventis etesiarum frigidis contemperaret pro animalium quiete, respiratione, atq; salute. Nili incrementum ab etesiarum flatibus effici, authores sunt Suidas, Plinius lib. 5. cap. 9. & Ammianus lib. 22. sed multò ante Callisthenes, & Democritus, à quibus & alij videntur accepisse, idem scripserunt: quamuis alij alias quoq; referant opiniones. Sed de omnibus his in nostra Anemographia. Etesiarum flatus ab Oriente, & Meridie excitari, scribit Plinius lib. 2. cui consentit Gellius lib. 2. cap. 22. Aristoteles verò à Septentrione in Occasum, inde in Ortum sentit. Quæ sententia comprobata cernitur à Cicerone epist. 7. & 8. lib. 6. ad Atticum, & etiam ad Cornificium. Item ad Cœlium epist. 15. lib. 11. scribit, statim se è cilicia Romam versus reuersurum, atq; in Italia nauigaturum, nisi etesiæ essent illi impedimento. Cilicia in Orientibus sita est, Italia ad Occasum. Nauigaturus itaq; ab Ortu ad Occasum, ne etesijs impediretur, timebat: non à Septentrione spirantibus, hoc est dextro latere, sed ab Occidente, idest à fronte repellentibus: dum ab Occasu ad Orientem referuntur. Cui accedit Diodori Siculi testimonium, qui rerum antiquarum lib. primo. cap. 4. scribit, non magis ab Arcto etesias flare, quàm ab Hespero: non enim boreas, aut Septentrionales venti; sed qui ab æstiuo Occidente flant, etesiæ dicuntur. Verum enimuerò, vt inter authores adinuicem de ventis dissentientes tum, quò ad flatus, tum quò ad naturam, & qualitates, tum quoq; quò ad effectus, & similia omnis controuersia, ambiguitasq; tollatur: & quæ pugnare videntur, coeant in vnum: distinctione vti, necesse est de etesijs: nempe, etesias esse in duplici discrimine, quasdam Australes, alias verò Aquilonares. Etesiæ quæ biduo flant post canis ortum; de Aquilonio genere esse, nulli dubium esse credimus, quod tot illustrium testimonio comprobatur: alias vero esse Austrinas, ijdē grauissimi authores confirmant. Rursus quasdam esse cōtinuatas, nonnullas certè interruptas. Continuatæ sunt Aquilonares: interruptæ sunt Australes. Ornithiæ, & Leuconoti idem sunt; & dicuntur etiam etesiæ, sed Australes authoritate Aristotelis, qui 2. Meteororū cap. 1. scribit; die 70. post brumalem cōuersionem Ornithias, & Australes etesias excitari. Quòcirca etesiæ Australes sunt illæ, quæ ineūte vere spirant: quæ iuxta Vitruuiū lib. 1. cap. 6. & alios, flant à loco aduerso parti illi, à qua Aquilonares Etesiæ cōmouentur, à brumali scilicet ferè exortu. Sed Plinius quoq; loco citato sētit ethesias, cū

Etesiarū qualitates, spiratio, & finis.

Etesiæ vent salutares, ciuntur à Ioue

Etesiarū causa.

Nili incrementum ab etesijs.

Etesiarū flatus iuxta Plinium, & Ciceronem.

Etesiarū flatus iuxta Diodorum Siculum.

Etesiæ in duplici discrimine versātur.

Ornithiæ, Leuconoti, & Australes Etesiæ, idē.

Etesiarū Australium flatus iuxta Vitruuium, & Plinium.

Ornithiæ dicũtur, à bruma flare, sed leniores, & paucis diebus: quia bruma cõsumpta, & à brumali ortu, ac de parte Meridiana excitantur. Nõ pflat post æstiuas cõuersiones, quia nimio calore materia absumitur: spirarent vtiq; nisi ab Aquilonaribus Etesijs impedirentur. Quod si Theophrastus huic doctrinæ reclamare videtur, cum neget Austros fieri Etesias: dicitur, Philosophum hunc non absolutè negare Austros fieri Etesias: sed negat Etesias esse continuatas; quia continuatæ sunt de Aquilonio genere. Ratio quidem est, cum Australes spirent interrupti, Aquilonij continuati. Similiter, cum legitur, aliquos arbitrari, ornithias esse ventos ex Aquilonio genere, verno tempore inualescentes (vt Plinius) alios autem dicere esse Austrinos (vt Arist.) dicitur, Plinium per Ornithias fauonios quandoq; intelligere: quia vere præsertim excitantur: testibus Aristotele probl. 31. & Theophrasto eius discipulo in libello de ventis. Itaq; fauonij vernales Etesiæ vocari minimè possunt, sed ornithiæ: quoniam id Australium flatuum munus proprium est; cum per id quoq; tempus spirent. Deinde adnotandum est diligenter, hos, & similes flatus ex alia, & alia cœli parte ortum habere, nempe iuxta diuersum locorum positum, & cœlum aspectum. Sic docet Aristoteles lib. 2. Meteororum. cap. 6. vbi scribit, Etesias Occidentalibus, ex Septetrionibus pertransire in Thrascias, Argestes, & Fauonios: quia Septentrio Fauonius est: Ab Vrsa quidem incipientes, ac in eos desinentes, qui longè absunt: Orientalibus autem ad subsolanum vsq; permutari; quem sequitur Plinius lib. 2. cap. 42. dicens. In Hyspania, & Asia ab Oriente flatus est eorum. In ponto ab Aquilone, sed reliquis in partibus à Meridie. Quòd in Hyspania ab Oriente perflant Ethesiæ, Posidonius quoq; author est, quem sequitur strabo. Qui lib. 3. suæ Geographiæ scribit, ex Hyspania in Italiam redeũtibus Euros Etesias euadere in illo Mari, ad Sardonicum sinum. Quod rursus eædem in Asia ab ortu spirent, iam ab Aristotele loco iam paulò antè citato desumitur: qui dixit, Orientalibus locis Ethesias in subsolanos se vertere, ac permutari ex Septentrionibus: sed Asia cum in ortu sit collocata, in illa igitur ab ortu perflare Ethesias, certum erit. In Ponto, quòd ab Aquilone spirent, ab omnibus ferè est receptum, præsertim ab aduersarijs. At in reliquis partibus à Meridie perflare, verum est, si per reliquas partes, Meridionales sumat quis, quæ nostris opponuntur. In nostro autem positu ab Vrsa ad Fauonium vsq; spirant Etesiæ. Itaq; ex suprarecitata iam doctrina, multæ de his ventis sedantur controuersiæ: & pleræq; contradictoriæ positiones conciliantur adinuicem. Etesiarum Duratio iuxta columellam est per dies 30. iuxta Plinium spatio dierum 40, iuxta Ptolemæum per Leonicum. 51. per Federicum Bonauenturam. 50. noctu desinunt, interdiu solum flant, hora diei tertia Orientes. Ideo, ait Seneca lib. 5. naturalium suarum quæstionum, cap. 11. vocari à Nautis somniculosos, & delicatos, quòd mane nesciunt surgere, & tardius prodeunt. Cur autem interdiu spirent, noctu nequaquam? Ratio est manifesta, quoniam noctu ventis materia deficit: die verò minimè. Quandoquidem die Sol è terra fumos eleuat liquescentibus niuibus, ac ideo ventis materiam præbet: noctu verò ob nocturnum frigus congelata omnia liquefieri cessant: Etesiæ quidem Aquilonares venti sunt, loquendo de Etesijs propriè. Deinde de ventis Austrinis sermonem facturi, illud adnotandum iuxta aliquos duximus: ventos scilicet Austros frequenter flare post Etesias vsq; ad arcturi sidus, quod die Septembris duodecima, vel circiter xiij. exoritur, nimirum ante Autumnale æquinoctium diebus vndecim: ipso autem Autumni æquinoctio incipit Corus, vnde Prouerbium, Corus Autumnat. Verum huic doctrinæ duo præcipuè reclamant: primò illa Aristotelis,

[Margin notes:]
Theophrastus quomodo negat Austros fieri Etesias.

Flatus similes ex diuersa cœli parte ortum habent.

Etesiarũ flatus in Hyspania, Asia Ponto, & reliqs partibus.

Etesiarũ flatus in nostro tractu.

Etesiarũ duratio.

Etesiæ cur interdiu spirãt non autẽ noctu.

Ventorũ Austrinorũ flatus.

ſtotelis, quam docuit probl. 15. vbi determinat, tria tempora flare Auſtros, vere ſcilicet ineunte, per hyemem, atq; Autumno ceſſante. Cui conforme eſt, quod ſcriptum reliquit Theophraſtus in libello de ventis: dans rationem, quia Solis lationes vtriſq; ſimul opitulari, ac eodem tempore nequeunt, Auſtraliumq; redditus fit, tanquàm reciprocante aere, vbi ſol per hyemem à nobis receſſerit, & cæt. Secundò, quòd Arcturi exortus in diuerſis horizontibus diuerſus eſt, ac varijs quoq; temporibus; ob id doctrina iam tradita de arcturi exortu, alio quidem Horizonte, & ſeculo verificabatur: hoc tamen ſeculo, & Horizonte minimè; quod de ſimilibus quoq; intelligendum venit, præſertim de magnam latitudinem habentibus. Quod ſi velimus quoquo modo opinionem illam ſaluare, & vtraſque concordare, dici poteſt, quod regulariter, & in vniuerſum tribus illis temporibus, hoc eſt vere ineunte, per hyemem, atq; deſinente Autumno, credidit antiquitas, Auſtros ſpirare: particulariter verò, & vt plurimum poſt Eteſias, eſt etiam obſeruatum. At vero quas temporum mutationes ſtati venti afferant, reliquum eſt, dicere. Fauonij poſt hyemem, ac ineunte vere ſpirantes, moleſti ſunt: quia frigidi flant. Theophraſtus in libro de ventis. Fauonij illi tantum qui adulto vere ſpirant, ſunt temperati, ſereni, ac lenes. Ariſtoteles problemat. 31. & 55. Item Fauonij lenes flantes, ac clementi flatu ſpirantes, mare aperiunt: & nauigantibus viam præbent. Horatius Ode 4. lib. primi;

Ariſtotelis, & Theophraſti doctrina reclamat ſuperiori biſariam.

Opinionis vtriuſq; conciliatio.

Ventorũ ſtatorum præſignificationes.

Fauonij prædictiones.

Horatius.

Soluitur acris hyems grata vice veris, & Fauonij
Trahuntq; ſiccas machina carinas.

Ornithiæ venti, qui etiam & verni fauonij ſerenitatem pariunt: quia ſunt ſereni. Quocirca cœlum & aerem purum, & ſerenum candidumq; cum reddant, candidos appellarunt, quemadmodum & Leuconothos. Fauonij illi, qui Ornithijs contrarij ſunt, poſſunt illos excitare. Author eſt Ariſtoteles problemate. 32. quia cõtrarij flatus contrarios excitare poſſunt. Auſtrini Eteſiæ, qui & Leuconoti iuxta Ariſt. 2. Meteor. & Theophraſtum in libro de ventis, Cœlum album, purum, ac ſerenum reddunt. Sed ſtrabo leuconotum nubilum eſſe, docet. Eteſiæ Aquilonares frigidi ſunt, & ſereni, temperant æſtatis calores: ideo ſalutares, & fœcundi. Auſtri verè Auſtri omnes ſunt pluuij. Ariſt. & Galenus. Sed & ipſa experientia nobis manifeſtat. Prodromi venti ſunt Aquilonares, ideo frigidi, & ſereni.

Ornithiæ tẽpora quomodo mutant.

Eteſiæ Auſtrales, qui & leuconoti

Eteſiæ Aquilonares, & Auſtri.

De Ecnephia, Typhone, Turbine, & ſimilibus repentinis flatibus. CAP. XXXVII.

IAM qui ſint ſtati flatus, explicatum à nobis eſt vtcumque: ſunt quidem illi, qui certis determinatiſq; temporibus ſpirare incipiunt, ac tandem deſinunt. Cum enim ventorum efficientes cauſæ ſint ſtatæ, certæ, atquè determinatæ, certis etiam tẽporibus quotannis rediret oportet: certum quoq; ac ſtatum, determinatumq; effectum in debita materia producere quoquomodo, par eſt. Aſtra namq; omnia, ſed Sol præcipuè, ventorum materiam excitant, atq; diſſoluunt, vt docet Ariſtoteles lib. 2. Meteororum. Ita quoq; è regione, cum aliorum ventorum tempora ſint vaga, inconſtantia, fluxa, ac incerta ob talem illorum materiam, nempe exhalationem calidam, & ſiccam iuxta Ariſtotelem: ſic etiam effectum produci vagum, inconſtantem, fluxum, & incertum, neceſſe eſt. De illis itaq; diſſerendum eſt, qui incertis temporibus

Flatus ſtati, & certi.

Sol cum Aſtris vẽtorum materiã excitat, &c.

Venti vagi, & fluxi.

Ventorũ repentinorum generatio,& diſcrimen.

bus eueniunt. Cumq; de hiſce ſatis ſuperius,nunc de illis agendum remanet, qui repentè oriuntur, & ſubitò etiam decidunt. Quandoquidem inter alias exhalationes ſunt nonnullæ ſiccæ, quæ cum nubibus inuoluuntur, & ſurſum luctantes: deorſum ab illis deuoluuntur,deprimunturq;,& fiunt venti. Horum alij ſunt vagi,vocanturq; fragores: quia torrentium more ruunt,vt inquit Plinius lib.5.cap. 12.Nonnulli ſunt impetuoſiores,qui diſciſſa per medium nube,vel per partes fracta, ſubito erumpunt, vt Seneca teſtatur. Horum tres ſunt ſpecies. Ecnephias, Typhon,& Turbo. Ecnephias iuxta Ariſtotelem ventus eſt denſus, confeſtim, & continuus,ex nube excuſſus: Eſt namq; tumultuoſus,& acer, ex ſubtiliori materia;qui latius,& altius vagatur continuò abſq; diuulſione: non enim in gyrum, ſed rectus fertur. Quare,& ſi tonitrua,fulmina,fulgura,& ſimilia à nubibus excutiantur,nihilominus tamen, quia Ecnephias denſior excutitur,& continuò,& cõfeſtim: fulgura verò & tonitrua paulatim,& ſparſim,tenuioraq; excernuntur:diſcriminabuntur certè ab Ecnephia,in cuius ortu multam exhalationem, & continuam eſſe,ſcripſit Ariſtoteles loco iam citato. Nam ideo multa eſt, quia cõtinua, & confeſtim excernitur, vnde violenter flat: quia ſecretionis celeritas vires illi adhibet. Ecnephia aliqui volunt,vt ſit ea,quæ procella latinè vocatur. Typhon vnus ex repentinis quoq; ventis findens ſolida,ſæuiter percutiens, aquam à mari abſorbens,ob quod à Nautis Typhon vocatur,cum in Typhonis ſpeciem aquam à mari abſorbeat,ex ſpiſſiori materia ac craſſiori originẽ habet. Vnde à vehemẽtiori impulſione incenſus, & inſtar ardentis rotæ in gyrum agitatus: arbores, & nauigia contorta,comprehenſaq; frangit;atq; deſtruit: ob id Plinius vocat eum, præcipuam nauigantium peſtem; alij Demonem centum capitibus præditum,(ſi fingendi detur licentia) quem in cinerem fulminibus Iuppiter redigit: locum fabulæ præbentes, ſed non abſq; fundamento obruinam. Plinius addit,quòd ſi aduenienti Typhoni acetum ſpargatur, atq; diffundatur,ceſſare prorſus tempeſtatem: res mira certè, vt tam tenui, ac facili remedio, Ecnephiæ furor ſedetur,ac mitigetur tempeſtas; nam illius vi repercuſſus, correpta ſecum in cœlum refert, ſorbetq; in excelſum. Apuleius tamen inter fulminum genera hunc reponit, dicens: ſi ignitum fuerit fulmen, vocatur Typhon. Ex latinis nonnulli rentur, vt Typhon ſit idem quod uortex, & rectè iuxta Ariſtotelem: qui in Meteorum loco citato habet hæc verba. Sic vortex ille in quibus inciderit extra,& mari circumuoluta ſuſtollit,voluenſq; ſecum in ſublime adducit. Cui adhæret Seneca,& præſertim Plinius, qui ita ſcribit. Si verò depreſſo ſinu acrius rotati effregerint ſine igne,hoc eſt,ſine fulmine,verticem faciunt, qui Typhon vocatur: ideſt, vibratus Ecnephias, & cæt. Sed Ariſtoteles vorticem in terra etiam fieri docet, in portis ſcilicet, aut in vijs: differentem prorſus ab eo,qui fit in nubibus. Diſcriminantur adinuicem Ecnephias, & Typhon penes denſitatem, & raritatem, intenſionem, & remiſſionem, Spiritus. Ecnephias enim Typhon eſt rarus, & remiſſus: Typhon eſt Ecnephias denſus, & intenſus. Ecnephias aufugit à viſu ob remiſſionem: Typhon conſpicuus redditur ob denſitatem,nempe ob nubem denſam, qua regitur. Ecnephias certe eſt abſq; nube, & ab ea excernitur: Typhon nonniſi cum nube, quam ſecum trahit,vt Cecias,& hoc eſt,quod innuere voluit Philoſophus, Typhonem eſſe veluti Ecnephiam inconcoctum: nam ipſo met teſte librò 4.Meteororum tex.18. quod concoctum eſt, ſiccius certè redditur: ideo ſpiritus ſiccior à nube humida facillimè liberatur, tamquam tenuitate,humiditateque præditus. Ventus namq; Typhon ob ſuam humiditatem, denſitatemq; ſemper à nube comitatur,nec ab illa deſeritur teſte Ariſtotele. Ecnephias autem, quia à nube excernitur, & continuantur, rectaquè fertur non in gyrum, nec ipſius

Ventorũ repentinorum, ſpecies. Ecnephias.

Ecnephiæ diſcrimen à tonitruis fulminibus,& cęt.

Typhonis natura,& effectus.

Typhonis nomina ob malignitatem.

Contra Typhonem remedium.

Typhon fulmen iuxta Apuleium. Typhon idẽ quod vortex

Vortex fit ẽt in terra.

Ecnephiæ,& Typhonis diſcrimina.

Typhon eſt Ecnephias inconcoctus iuxta Ariſt.

fius nubis continuatio subsequitur: differt prorsus à Typhone. Sed est etiã aliud discrimẽ inter Ecnephiam,& Typhonem,quia Ecnephias imbre desinit: Typhon frigidiore vi indiget. Verum de vtroq; lege Lucretium Poetam, & Olimpiodorũ in Meteoris. Non fit Typhon Aquilonius,hoc est flante Aquilone, seu temporibus Aquilonijs. Ratio est manifesta, quia cum ventus fit calida, & sicca exhalatio, & Typhon ventus est: regnantibus Aquilonijs flatibus minime potest fieri Typhon. Similiter Ecnephias non potest esse niuosus,hoc est,niue, iacente,& niuosis temporibus non fit Ecnephias eadem met ratione, cum sit ventus, & iste sit exhalatio calida, & sicca: frigus namq; & gelu cum sint victores, initio generationis Ecnephiæ estinguunt illum; itaq; neuter generabitur. Quas ob res Ecnephiã, & Typhonem vere,& Autumno generari,par est: quia temporibus illis flatus, & exhalationes abundant perquàm maximè. Autumno quidem viget siccitas, vere humiditas expelli incipit: quæ omnia certè ad eorum generationem maximè conducunt. At verò Theophrastus in libello de ventis, Arpaćtiam, Thrasciam, & Argestem maximè Ecnephias fieri,tum primò, quia nubes constringunt ob frigiditatem: & Ecnephias vi frigoris excitatur, nam è nubibus coeuntibus excernitur: tum secundò quia semper flat, & nunquàm desinit; cum in alios incidant, & illos sternant. Verba Theophrasti hæc sunt. Procellas (hoc est Ecnephias) Septentrio,Thrascias, & Argestes gignunt: fiunt autem procellæ cum vicissim spirantes venti incurrunt, & se collidunt, ac præsertim in Autumno: ex reliquisq; anni temporibus, vere. Sed hæc est sui præceptoris sententia libro 2. Meteororum cap. 6. vbi inquit. At procellæ autumno quidem maximè, deindè vere existunt, ac Septentrio potissimum, & Thrascias, & Argestes. Cuius rei causa est,quod procellæ maximè fiunt, cum in alios spirantes alij incidunt, quòd hi potissimum alijs flantibus faciunt. De turbine autem hæc habemus. Turbo est,cum duo venti ex oppositis nubibus eggressi,cócurrunt, magnoq; impetu colluctantur adinuicem. Vtrum verò duo venti oppositi simul spirare posint, sunt, qui negant: inter quos est Philosophus lib. 2. Meteororum cap. 6. sed nescimus cur negant, cum hoc,vt plurimum,contingat; tametsi perseuerare nequeat:cum ventorum oppositorum materia etiam diu stare non posit, & sic intelligendus est Aristoteles. Virgilius fassus est pugnam hanc ventorum, dum primo Georgiorum ita cecinit.

Omnia ventorum concurrere prælia vidi.

sed de his alias. Turbo cum incenditur, præster euadit: nam præster igneus turbo dicitur. Alij dicunt, cum Typhon coloratur, fit præster. Præster est ex fulminum genere,differens à fulmine in spiritu: quia si spiritus multus,ac tenuis excernatur, fulmen est. Ex quibus manifestum est discrimen inter præsterem, Typhonem,Turbinem, & Ecnephiam, qui à fulmine densitate est diuersus. Ecnephias oritur à nubium colluctatione; atq; conflictu cum superabundanti exhalatione,Typhon absq; exhalatione, Turbo cum duorum ventorum conflictu. Præster cum colore. Verum omittere nolumus, quid de Typhone vento cecinit Lucretius Poeta: nempe cum circumagitur, & eundem circumiens locum, atque seipsa vertigine concitatus, turbinem esse. At horum omnium portenta hæc hæc sunt: etsi superius,sparsi sint tacta. Ecnephias acer & tumultuosus est:quandoq; cum igne, & sono cœli venit, Seneca. Plinius verò ait. Flatus coorti, rursumq; deiecti interim obducta nubium cute, multiformes existunt. Vagi quippe, & ruentes torrentium modo tonitrua, & fulgura educunt,maiori verò illati pondere,incursuq; si latè siccam reperiunt nubem,procellam gignunt: quæ à Græcis vocatur Ecnephias. Typhon solida findit corpora,sæuiter percutit,à mari aquam absor-

Typhon non fit Aquilonius.

Ecnephias non est niuosus.

Ecnephia,& Typhon qui bus temporibus generantur.

Procellæ à quibus vẽtis generantur iuxta Theophrastum,& Arist.

Turbinis generatio.

Turbo præster euadit. Præster quid sit.

Præsteris,Typhonis,Turbinis, & Ecnephię discrimen.

Ecnephiarũ portenta.

Typhonis portenta.

bus eueniunt. Cumq; de hisce satis superius, nunc de illis agendum remanet, qui repentè oriuntur, & subitò etiam decidunt. Quandoquidem inter alias exhalationes sunt nonnullæ siccæ, quæ cum nubibus inuoluuntur, & sursum luctantes: deorsum ab illis deuoluuntur, depriminturq;, & fiunt venti. Horum alij sunt vagi, vocanturq; fragores: quia torrentium more ruunt, vt inquit Plinius lib. 5. cap. 12. Nonnulli sunt impetuosiores, qui discissa per medium nube, vel per partes fracta, subito erumpunt, vt Seneca testatur. Horum tres sunt species. Ecnephias, Typhon, & Turbo. Ecnephias iuxta Aristotelem ventus est densus, confestim, & continuus, ex nube excussus: Est namq; tumultuosus, & acer, ex subtiliori materia; qui latius, & altius vagatur continuò absq; diuulsione: non enim in gyrum, sed rectus fertur. Quare, & si tonitrua, fulmina, fulgura, & similia à nubibus excutiantur, nihilominus tamen, quia Ecnephias densior excutitur, & continuò, & cōfestim: fulgura verò & tonitrua paulatim, & sparsim, tenuioraq; excernuntur: discriminabuntur certè ab Ecnephia, in cuius ortu multam exhalationem, & continuam esse, scripsit Aristoteles loco iam citato. Nam ideo multa est, quia cōtinua, & confestim excernitur, vnde violenter flat: quia secretionis celeritas vires illi adhibet. Ecnephia aliqui volunt, vt sit ea, quæ procella latinè vocatur. Typhon vnus ex repentinis quoq; ventis findens solida, sæuiter percutiens, aquam à mari absorbens, ob quod à Nautis Typhon vocatur, cum in Typhonis speciem aquam à mari absorbeat, ex spissiori materia ac crassiori originē habet. Vnde à vehemētiori impulsione incensus, & instar ardentis rotæ in gyrum agitatus: arbores, & nauigia contorta, comprehensaq; frangit; atq; destruit: ob id Plinius vocat eum, præcipuam nauigantium pestem; alij Demonem centum capitibus præditum, (si fingendi detur licentia) quem in cinerem fulminibus Iuppiter redigit: locum fabulæ præbentes, sed non absq; fundamento ob ruinam. Plinius addit, quòd si aduenienti Typhoni acetum spargatur, atq; diffundatur, cessare prorsus tempestatem: res mira certè, vt tam tenui, ac facili remedio, Ecnephiæ furor sedetur, ac mitigetur tempestas; nam illius vi repercussus, correpta secum in cœlum refert, sorbetq; in excelsum. Apuleius tamen inter fulminum genera hunc reponit, dicens: si ignitum fuerit fulmen, vocatur Typhon. Ex latinis nonnulli rentur, vt Typhon sit idem quod uortex, & rectè iuxta Aristotelem: qui in Meteorum loco citato habet hæc verba. Sic vortex ille in quibus inciderit extra, & mari circumuoluta sustollit, voluensq; secum in sublime adducit. Cui adhæret Seneca, & præsertim Plinius, qui ita scribit. Si verò depresso sinu acrius rotati effregerint sine igne, hoc est, sine fulmine, vorticem faciunt, qui Typhon vocatur: idest, vibratus Ecnephias, & cæt. Sed Aristoteles vorticem in terra etiam fieri docet, in portis scilicet, aut in vijs: differentem prorsus ab eo, qui fit in nubibus. Discriminantur adinuicem Ecnephias, & Typhon penes densitatem, & raritatem, intensionem, & remissionem, Spiritus. Ecnephias enim Typhon est rarus, & remissus: Typhon est Ecnephias densus, & intensus. Ecnephias aufugit à visu ob remissionem: Typhon conspicuus redditur ob densitatem, nempe ob nubem densam, qua tegitur. Ecnephias certe est absq; nube, & ab ea excernitur: Typhon nonnisi cum nube, quam secum trahit, vt Cecias, & hoc est, quod innuere voluit Philosophus, Typhonem esse veluti Ecnephiam inconcoctum: nam ipsomet teste librò 4. Meteororum tex. 18. quod concoctum est, siccius certè redditur: ideo spiritus siccior à nube humida facillimè liberatur, tamquam tenuitate, humiditateque præditus. Ventus namq; Typhon ob suam humiditatem, densitatemq; semper à nube comitatur, nec ab illa deseritur teste Aristotele. Ecnephias autem, quia à nube excernitur, & continuantur, rectaquè fertur non in gyrum, nec ipsius

Ventorū repentinorum generatio, & discrimen.

Ventorū repentinorum, species. Ecnephias.

Ecnephiæ discrimen à tonitruis fulminibus, & cęt.

Typhonis natura, & effectus.

Typhonis nomina ob malignitatem.

Contra Typhonem remedium.

Typhon fulmen iuxta Apuleium. Typhon idē quod vortex

Vortex fit ēt in terra.

Ecnephiæ, & Typhonis discrimina.

Typhon est Ecnephias inconcoctus iuxta Arist.

sius

sius nubis continuatio subsequitur: differt prorsus à Typhone. Sed est etiã aliud discrimẽ inter Ecnephiam,& Typhonem,quia Ecnephias imbre desinit: Typhon frigidiore vi indiget. Verum de vtroq; lege Lucretium Poetam, & Olimpiodorũ in Meteoris. Non fit Typhon Aquilonius,hoc est flante Aquilone, seu temporibus Aquilonijs. Ratio est manifesta, quia cum ventus fit calida, & sicca exhalatio, & Typhon ventus est: regnantibus Aquilonijs flatibus minime potest fieri Typhon. Similiter Ecnephias non potest esse niuosus,hoc est,niue, iacente,& niuosis temporibus non fit Ecnephias eadem met ratione, cum sit ventus, & iste sit exhalatio calida, & sicca: frigus namq; & gelu cum sint victores, initio generationis Ecnephiæ estinguunt illum; itaq; neuter generabitur. Quas ob res Ecnephiã, & Typhonem vere,& Autumno generari,par est: quia temporibus illis flatus, & exhalationes abundant perquàm maximè. Autumno quidem viget siccitas, vere humiditas expelli incipit: quæ omnia certè ad eorum generationem maximè conducunt. At verò Theophrastus in libello de ventis,Arpactiam, Thrasciam, & Argestem maximè Ecnephias fieri,tum primò, quia nubes constringunt ob frigiditatem: & Ecnephias vi frigoris excitatur, nam è nubibus coeuntibus excernitur: tum secundò quia semper flat, & nunquàm desinit; cum in alios incidant, & illos sternant. Verba Theophrasti hæc sunt. Procellas (hoc est Ecnephias) Septentrio,Thrascias, & Argestes gignunt: fiunt autem procellæ cum viciſsim spirantes venti incurrunt, & se collidunt, ac præsertim in Autumno: ex reliquisq; anni temporibus, vere. Sed hæc est sui præceptoris sententia libro 2. Meteororum cap. 6. vbi inquit. At procellæ autumnò quidem maximè, deindè vere existunt, ac Septentrio potiſsimum, & Thrascias, & Argestes. Cuius rei causa est,quod procellæ maximè fiunt, cum in alios spirantes alij incidunt, quòd hi potiſsimum alijs flantibus faciunt. De turbine autem hæc habemus. Turbo est,cum duo venti ex oppositis nubibus eggressi occurrunt, magnoq; impetu colluctantur adinuicem. Vtrum verò duo venti oppositi simul spirare poſsint, sunt, qui negant: inter quos est Philosophus lib. 2. Meteororum cap. 6. sed nescimus cur negant, cum hoc,vt plurimum,contingat; tametsi perseuerare nequeat:cum ventorum oppositorum materia etiam diu stare non poſsit, & sic intelligendus est Aristoteles. Virgilius falsus est pugnam hanc ventorum, dum primo Georgiorum ita cecinit.

Omnia ventorum concurrere prælia vidi.

sed de his alias. Turbo cum incenditur, præster euadit: nam præster igneus turbo dicitur. Alij dicunt, cum Typhon coloratur, fit præster. Præster est ex fulminum genere,differens à fulmine in spiritu: quia si spiritus multus,ac tenuis excernatur, fulmen est. Ex quibus manifestum est discrimen inter præsterem, Typhonem,Turbinem, & Ecnephiam, qui à fulmine densitate est diuersus. Ecnephias oritur à nubium colluctatione, atq; conflictu cum superabundanti exhalatione,Typhon absq; exhalatione, Turbo cum duorum ventorum conflictu. Præster cum colore. Verum omittere nolumus, quid de Typhone vento cecinit Lucretius Poeta: nempe cum circumagitur, & eundem circumiens locum, atque seipsa vertigine concitatus, turbinem esse. At horum omnium portenta hæc hæc sunt: etsi superius,sparsi sint tacta. Ecnephias acer & tumultuosus est:quandoq; cum igne, & sono cœli venit, Seneca. Plinius verò ait. Flatus coorti, rursumq; deiecti interim obducta nubium cute, multiformes existunt. Vagi quippe, & ruentes torrentium modo tonitrua, & fulgura educunt,maiori verò illati pondere,incursuq; si latè siccam reperiunt nubem,procellam gignunt: quæ à Græcis vocatur Ecnephias. Typhon solida findit corpora,sæuiter percutit,à mari aquam absor-

Typhon non fit Aquilonius.

Ecnephias non est niuosus.

Ecnephia,& Typhon qnibus temporibus generantur.

Procellæ à quibus vẽtis generantur iuxta Theophrastum,& Arist.

Turbinis generatio.

Turbo præster euadit. Præster quid sit.

Præsteris,Typhonis,Turbinis, & Ecnephiæ discrimen.

Ecnephiarũ portenta.

Typhonis portenta.

absorbet, è terra circumuoluta substollit. Arbores,& nauigia contorta frangit: correpta secum in cœlum refert, sorbetq; in excelsum. Aristoteles, Seneca, Plinius,& Lucretius. Vortex si Typhon est: ea quæ Typhoni approprientur, efficiet. At potius vortex ima respicit: quod certè in fluminibus cernitur. Cum enim rapido cursu absq; impedimento fluunt,rectum est illis iter:at vbi in aliquod saxum incurrere solent vel ad ripæ latus, vel in aliquod lignum in medio prominentia,retorquentur, & in orbem aquas sine exitu flectunt: omnia circumlata in se sorbentur in imò, & vorticem efficiunt;sic etiam in aere accidit. Typhonem cum Turbinem esse, dixerit Lucretius, ea, quæ Typhoni attribuuntur: Turbini quoq; attribui possunt.

Vorticis portenta.

Ventorum vtilitates. CAP. XXXVIII.

DE ventis alijs,puta de Apogeis, Hipogeis, Altanis,Tropæis: de his quoq; qui quibusdam gentibus peculiares sunt tantum,& non alijs,qui prouinciales dicuntur: & de miraculosis in nostra Anemographia digressi fuimus. Superest nunc aliquas ventorum vtilitates afferre, vt huic secundo libro suprema imponatur manus. Producit certè Deus ventos de Thesauris suis, vt mortalibus innumera afferantur commoda. Ex ventis custoditur cœli,terrarumq; temperies: euocantur aquæ,& supprimuntur non nisi ventorum ventilatione,superuacua remouentium: segetes excitant, latentes fruges adaperiunt. Ventis vlteriora noscimus: commoda cuiuscumque regionibus communia fiunt: inter populos commercium initur: gentes locis dispersæ,miscentur: quibus & nos addimus, quòd absq; ventis noui orbis cognitio semper obscura,& latens nobis fuisset,sicuti & priscæ illi ætati. Amplius,quæ æstiuis ardoribus incanduerint,ventis refrigerari,manifestum est. Venti fatigata corpora reficiunt,excitant aerem,ne motu carens, vitium capiat: ideo certè illum agitat,vt à putredine seruet. Venti fructus coquunt,alunt corpora: nauigantibus prosunt,vt eant,quò velint etiam contrarijs vijs: quo Reipublicæ commoda afferant. Lege Cedrenum suis in historijs,Senecam,Plinium,Clementem Alexandrinum,& alios sexcentos. Porrò autem animalibus prosunt,quæ & alunt. Ventorum afflatu impleri aues fœminas, cum fœtandi hora instaret: scribit Plutarchus. Vulturem fœminam dumtaxat inueniri, & ex vento concipere, Ioannes Tzezes scripsit. In monte Tagio Lusitaniæ,quasdam equas concipere vento:Idem dixit. Hæc quò ad secundum librum, diuina gratia adiutrice,dicta sint.

Ventos de Thesauris suis producit Deus.

Ventorũ vtilitates elemẽtis,mixtis,& animalibus.

Ventorũ vtilitates auibus,& equis

Secundi Libri finis.

DE

DE PRAECOGNOSCENDIS TEMPORVM MVTATIONIBVS.

IVXTA TRIPLICEM VIAM, COELESTEM, Meteorologicam, & Terrestrem.

Liber Tertius.

AVCTORE F. PAVLO MINERVA BARENSE ORDINIS Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magistro.

Obseruatio mutationis temporum ex terrestribus ob Cœli actionem in ipsis. Cap. I.

COELVM in hæc inferiora agere, nulli dubium est: quinimò certum id habemus, & ratum cum apud Philosophos, tum quoq; Theologos. Nam si nõ ageret talis Diuinæ prouidentiæ ordo vtiq; tolleretur, frustareturque. Quippe quæ ea est; vt corporum cœlestium motu, lumine, influxu, figura, elementorumq; omnium circumuolutione, alterationeq; inferiora gubernet. Vnde qui cœlorum motum, lumen, influxum, figuram, & consequentia negat, dubio procul Diuinam prouidentiam naturalem negare videtur: quæ non nisi hisce regulariter gubernare, extendiq; super corporalia cernitur. Hæc si per se illustria non essent, à nobis & firmis rationibus probarentur, quas alias scripsimus: & illustrium virorum testimonijs roborarentur, Doctoris Angelici præsertim, Alberti Magni, Ioannis Damasceni, Boetij, Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Galeni, Ptolemæi, Conciliatoris, & innumerorum ferè authorum: Tametsi de his quæ ad spiritum pertinent, sit alia theoria. Itaq; inter omnia in corporalibus rebus directè influunt: at inter animantia, irrationabilibus præcipue. Habet namq; homo quid præcipuum in se, & penè diuinum: quod est supra omnes cœlos. Irrationalia verò cum ratione careant, intereantq; omnino, necessario aguntur; quamuis quò ad corpus æqua sit vtrorumq; conditio. Quàre siderum influxu, continuaq; elementorum agitatione extimulantur. Quò fit, vt temporum mutationes magis præsentiant: indicantq; nobis, qui dies erunt: num tranquilli, quieti, & mites: an tempestuosi, imbriferi, nimbosi, flatuosi, & similes. Id nobis innuit patientissimus Iob: dum capite duodecimo dixit. Interroga iumenta, & docebunt te, volatilia cœli & indicabunt tibi, loquere terræ, & respondebit tibi: & enarrabunt pisces maris. Quæ quidem non documento verbi intelligenda veniunt, cum non loquantur: sed exempli & moraliter, & physicè; iuxta illud Salomonis Prouerbiorum capite sexto. Vade ad formicam ò piger, & consi-

Marginalia: Cœlum agit in inferioribus. — D. Thomas. Magnus Albertus Ioan. Damascen. Boetius. Plato Arist. Galenus. Ptolemeus. Conciliator, & cet. — Irrationalia necessariò aguntur. — Irrationalia temporũ mutationes nobis indicant. — Iob. — Salomon.

Formicæ sapientia, prudentia, & labor.

considera vias eius: & disce sapientiam. In æstate quidem frumenta formicæ congregant in horrea sua, quò hyeme vesci possint: vt mirum sit in tam paruo animaliculo tot labores conspicere. At maior est sapientia, & prudentia eorum, quæ pro futuro laborant: quam prudentis est, & sapientis pro futuro prouidere, & præsagiunt temporis mutationes: quia præuident hyemem pro quo laborant; Quinimò æstate ipsa præsentiunt nubila tempora, & pluuiosa: dum se à recollectione continent intra tecta, ne pereant, vt diximus. Huiusmodi itaq; animalia nobis indicant aeris qualitates, & temporum, & prudentiam, atq; sapientiam. Quod quidem exempli documento moraliter, & physice fieri iam explicauimus. Similiter de cæteris intelligendum est, siue sint animantia, siue non viuentia: vel sint simplicia, vel composita, & mixta. Qua de re temporum mutationes ab his, qui in terra degunt, venabimur. Quæ in terra degunt, vocamus omnia quæ sub cœlo fiunt: siue volatilia, siue quæ in aquis mouentur, siue alterius sint generis. Quandoquidem & volatilia tametsi sint aerea, in terra tamen gignuntur, viuūt, & intereunt. Aquatica tametsi in aquis originem habeant: nihilominus tamen in terra quoq; nutriuntur, & finiunt. Aqua etenim supra terram est, ita vt sit locus eius: & absq; terra aqua consistere minimè posset, cum sit fluida. Quod vtiq; confirmare videtur Spiritus sanctus per os Dauid dicentis: qui fundauit terram super stabilitatem suam; Terra igitur est aquæ locus, quia naturali ordine elemētorum omnium infimum est elementum: ac propterea cum moriuntur pisces, in terram tandem quiescunt. Verum enimuero alia scriptura huic aduersari videtur, dum dicit Deum super aquas terram fundasse: Igitur aqua est terræ locus, non terra locus aquæ; quia super aquas Deum terram fundasse dicitur; ac ideo pisces in aqua nascuntur, viuunt, & intereunt. Sed huic, & consimilibus scripturæ locis multipliciter fieri satis potest. In primis dicendo scripturam eò loci iuxta vulgarem loquendi modum effari; Quemadmodum vulgò dicimus ciuitatem super fluuium ædificatam; non quòd re vera super fluuium sit ædificata, vt super aquas natet: sed dicitur super fluuium ædificata, hoc est iuxta fluuium, quia ei adiacet. Sicq; interpretari etiam potest illud Ioannis capite 4. de Christo, qui sedebat sic supra fontem: hoc est iuxta fontem. Secundo potest respondeti, authoritatem posse sic intelligi: nimirum, Deus fundauit terram super aquas, hoc est, quòd plus quàm aqua sit fundata. Quandoquidem cum cœlum citissimo feratur motu, manifestum est secum trahere ignem motu velocissimo tamquàm sibi proximiorem: aerem deinde, sed non tam veloci impetu: Aquam postremo ab oriente occidentem versus impellit, sed debilius: quia suo pondere, quamuis mota, recurrit tamen. Terra verò nullo fertur motu, ac propterea supra aquas fundata dicitur: hoc est, plus quàm aqua, fundata, & stabilita. Tertia explicatio est, terram super aquas fundatam dici: quia in eius visceribus, fossione aqua cernitur. Quarto intelligitur authoritas eminenter; id est fundauit Deus terram super aquas eminentia, & altitudine: ne scilicet aquis operiretur propter inhabitantium commoditatem; iuxta illud Psalmi, terminum posuisti eis, quem non transgredientur: neq; conuertentur operire terram. Præcepit enim Deus in mundi initio aquis, dicens congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida. Postremò sit satis cum Magno Alberto distinguente, terram considerari posse, vel vt elementum, vel vt corporum generabilium materia: & hoc quidem modo super aquas fundata dicitur. Quandoquidem corpora adinuicem mixta sunt: terra verò per se continuatur. Porro continuatio ex aqua prouenit, quatenus terræ intrinsecus infusa, partes eius coagulat, compaginatq; ; ob humidum scilicet illas continuans in commixtis corporibus: aliter in minutissima

Formicæ nubila tempora præsentiunt.

Aquæ locus terra est.

Psal. 103.

Scriptura dicens, Deum super aquas terram fundasse.

Psal. 135.

Loci illius scripturę prima expositio.

Expositio secunda.

Explicatio tertia.

Quarta explicatio.

Psal. 103.

Postrema explicatio iuxta Magnum Albertum.

ſsima quæque comminueretur,& in athomos reſolueretur; ſicque dicitur firmitatem ab aquis habere. Illo autem modo nimirum,vt elementum,non ſuper aquas, ſed ſuper ſuam ſtabilitatem fundata dicitur. Stabilitas quippe ſua iuxta Magnum Albertum natura ignis eſt: quia ex illo habet in centro locari. Alibi vero dicitur ſuper nihilum fundata, quatenus per ſe fundatur in centro, nec ad alia terminatur elementa, ſed ad ipſam potius quædam alia terminantur. Ex quibus habetur ex terra & aqua vnum totum fieri ſimul, & non diuerſa: hoc eſt vnum conſtitui globum; quatenus ſcilicet conſideratur, vt corporum generabilium materia: at vt elementum, diuerſi quidem ſunt globi, atque diſtincti. Terra igitur locus eſt animantium omnium, volatilium, quadrupedum, reptilium, greſſibilium, aliorumque tam perfectorum, quàm imperfectorum, atque etiam piſcium tamquam omnium fundamentum. Nam ſi intereunt, in limo profundi (vt dictum eſt) deſcendere, ibique quieſcere, manifeſtum eſt. Idcirco piſces cum his quæ in terra degunt, repoſuimus: & ſi in aquis oriantur, viuant, & finiant. Nos igitur primò ex terremotu temporis naturam inueſtigabimus, nam in terræ viſceribus gignitur, vel ventis in ea genitis, vel aliunde incluſis: ac propterea ad terreſtrem tractationem illum retulimus, quia re vera terreſtris eſt: & ſi concurrentibus ventis iuxta alios, qui in ſublimi fiunt. Deinde ex his quæ in aere, vel circa aerem fiunt, & apparent: iudicabimus. Subinde ex his, quæ in aqua, vel circa aquam: poſtremò ex his quæ ab igne proficiſcuntur, vel circa ignem videntur: eliciemus. Poſtmodum aeris qualitates ex volatilibus aereis indagabimus, deinde ex volatilibus aquaticis, quæ ſunt ex genere amphibiorum: tertio ex pennatis domeſticis, ſubinde ex piſcibus, vel ex his quæ ex genere etiam ſunt amphibiorum, vt ranæ, contemplabimur. Rurſus ex quadrupedibus: ſecundo ex imperfectis: tertio ex inſectis pennatis, & reptilibus: quarto ex vermibus: quinto ex plantis, & arboribus: ſexto ex mixtis, compoſitiſque, & inanimatis, poſtremo ex homine examinabimus. Ita, vt quindecim in conſideratione veniant abſq; terremotus explicatione: quæ à nobis omnia ſigillatim ſunt examinanda.

Terra alibi dicitur fundata ſuper nihilum.

Ex terra, & aqua fit vnũ totum.

Terra locus omnium animantium, volatilium, quadrupedũ, reptilium, & cæt.

Terremotus generatio.

Præſentis libri ordo.

De terremotu, & cauſis eius, natura, & ſpeciebus. *Cap. II.*

NON tantum admiranda eſt terremotus natura, origo, cauſa, quantum timenda: cum ex illo multi proueniant mali effectus, vt ex experientia ipſa omni ferè tempore teſtata eſt. Nam (vt inquit Seneca) ipſe Siciliam à Calabria diuiſit: inter quas mare erupit, vocaturque locus ille pharum. Ipſe diuiſit Hiſpaniam ab Africa, cum ante vtraquè regiones coniungerentur ſimul, atq; conuiuerent: nunc verò diſsimiles mores habent, ſed hæc infra, paulò fuſius enarrabuntur. Fit terræ motus principaliter à Deo iuxta Diuum Thomam ſuper Pſalmum 17. deinde à vento alium ventum intra terram impellente. Includuntur ſanè venti ſicci in eam, vel de foris venientes, vel etiam intus generati. Qui cum exitum quærant, nec propter obſtructos terræ poros, meatuſq; vſquàm illis pateat exitus: virtute ſua attollun tur, retroferuntur, & in ſe ſe reuoluuntur. Vnde fit, vt terra perſtrepat, & concutiatur. Hinc ſequitur terremotum nõ poſſe ſimul eſſe in toto orbe, quia nõ poſſunt tot venti oriri: vt ſimul omnes repleant partes terræ. Beatus Thomas inquit quòd

Terremotus diuiſit Siciliam à Calabria, & Hiſpaniam ab Africa.

Terremotus à Deo fit principaliter iuxta D.Thom. deinde à vẽto.

Terremotus nõ poteſt eſſe in toto orbe naturaliter.

per ducenta milliaria ad plus, potest terremotus se extendere. Seneca scribit non posse terremotum occupare simul locum vltra centum passus: Nam vapor expellitur ab vno loco ad alium. Idcirco non potest totus orbis simul tremere nisi miraculo: sicut in passione Domini. Videtur tamen terra tremere, quia in se mouetur: non tamen tota, nec de loco ad locum. Causa eius efficiens solis calor est. Babylonij, vt author est Plinius, sentiunt causam effectricem trium planetarum calorem esse: scilicet Saturni, Iouis, & Martis: quibus etiam fulmina assignantur. Aristoteles secundo suae Meteorologiae terremotum ex ventis fieri terra inclusis, vt causa agente: praeualente tamen calida, & sicca exhalatione, vt materiali. Sed re vera venti vt materia concurrunt. Quia terra suapte natura cum sit frigida, & sicca, imbribus tamen madefacta, solisque calore percussa: multi in ea gignuntur spiritus. Qui cum exire nequeant: vnus alium impellit: vnde terra concutitur, & tremit. Causa igitur eius materialis est exhalatio, aut ventus intra terram genitus: vel iuxta alios, aliunde immissus. Sed reuera tales spiritus in terra gignuntur. Nam si omnia meteora fere ex exhalationibus, & terrae vaporibus constant: multo magis terremotum ex exhalationibus, spiritibusque in ea genitis (quia omnia in ea gignuntur) & inclusis gigni necessum est: quorum spirituum reciprocantium, intercrusorumque, vel per angustum elisorum mouetur iam, & perstrepit. Formalis causa est ipsa agitatio, concussioque; quemadmodum in nubibus, vt superiori libro dictum est de tonitruis, & super terram de ventis accidit: ita in terra dicendum est de terremotu. Id enim quod ventos cit, & tonitrua impellit: idem quoq; subtus terram terremotum generat. De finali autem postremo dicemus. Sed enarrare opere pretium est, modos, seu terremotus species. Plinius quatuor enumerat, casum seu ruinam. Hiatum, tremorem, seu concussionem, & demum loci separationem à loco. Ex Aristotele nouem ferè species, quae sparsae erant, colliguntur: assentiente Raphaele Volaterano viro Clarissimo. Primus modus est tremulentus, Graecè τρομώδης, quando late concutit. Deinde Palmodes παλμώδης, quando alte commouet. Epiclintes, ἐπικλίντης, quādo terremotus in obliquum mouet secundum angulos acutos, βράσης brastes, quando frangitur cum motu, & supra, subtusque euertit secundum angulos rectos. Chasinatias χασματίας in curuis locis contingit: cum fit terrae hiatus. ῥήκτης Rectes hoc est scissor: qui rimas aperit. Ostes, ὤσης, qui vnam continuat scissuram. Mectes, μήκτης, qui sonat, & mugit, etiam dum terra tremit. Dicit rursus in mari analogum, ac simile aliquid terremotus cerni: dum concussio, & hiatus in eo videntur. Quae species à Magno Alberto sic enumerantur. Scilicet scissio percussio, perforatio, subuersio, tremor, & titubatio. Nonnulli verò sic interpretantur: nempe tremorem, & scissionem, sonum, & motum, ventum, & cinerem: & haec interremotibus contingere. Sed tandem Aristoteles omnes has species in duas tantum reuocat, in tremorem scilicet, & pulsum. Nam τρέμονται, σφυγμὸν dicit. Tremor fit, cum vapor, seu ventus inclusus est modicus. Pulsus est sicut sonus corporum se confricantium: isque semper accidit scissura aliqua, vel occulta, vel manifesta. Verum Posidonius illustris autor scribit terremotum quandoque sursum versus tantum, & deorsum fieri: aliquando inclinari ad alteram partem instar nauis. Hunc terremotum vocat casum, seu ruinam Plinius: Seneca verò inclinationem: quia in vnam tantum partem totus se motus coarctat. Oritur autem ex copioso, & abundanti spiritu in vnum locum collecto. Hic motus periculosus est: nisi enim subito ex altera parte motus occurrat, qui inclinata restituat: dubio procul euertitur locus terremotu. Quod si propè locum aqua fuerit, quae alluuione aliqua cauernam augeat: fugiendus est omnino; quia ad vora-

Marginalia: Terremotus efficiēs causa. Babylonij. Plinius. Aristoteles. — Terremotus materialis causa. — Terremotus causa formalis. — Terremotus species iuxta Plinium. Terremotus species iuxta Volaterannum ex Aristot. Tremulentus. Palmodes. Epiclintes. Brastes. Chasmatias. Rectes. Ostes. Mectes. — Terremotus species iuxta Magnum Albertū, & alios. — Aristot. ad duas tātum reuocat omnes terremotus species. Tremor. Pulsus. — Posidonius de terremotu. — Plinius, & Seneca.

voraginem est dispositus. Huius meminit Titus Liuius libro secundo Decadis tertiæ. Hac terremotus specie Basileã concussam corruisse annuo Domini 1356. die decima octaua Octobris scribit Doctissimus Freigius. At cum terra assurgit veluti intumescens atque iterum residet: vocatur etiam tremor, agitatio, & pulsus quoque. Qua quidem specie tremuisse Friburgum Brisgoicum anno Domini 1509. Calendis Nouembris, author est idem Freigius. Conspicitur quandoque ex terremotu hiatus, quo Sypilum, & Ligusticam regionem euersam esse author est Aristoteles libro secundo suæ Meteorologiæ. Fit quandoquè cum magna moles instar montis è terra egreditur, qui iam enarratus est Posidonij authoritate, vel cum aliqua pars terræ subsidet; vnde flumina, vel ignes erumpunt. Hac terremotus specie Magnus Albertus scribit Fluuium Sueuiæ Heccarum absortum esse: vt vno die (res quidem mira) per integrum milliare germanicum, singulis miliaribus tribuendo 4000. passuum; sed per quatuor miliaria italica, dando singulis miliaribus 1000. passuum, auersus: nusquam comparuerit. At ante eum Aristoteles idem accidisse ait circa Hieram Insulam, & Heracleam Ponti. Cur autem magna aquarum vis erumpat cum terremotibus? quorundam ratio est, & vera: quod sit exhalatio. Quæ cum magna vi expellatur: simul quoque quicquid est aquarum expellit. Sed proprior est, quia terremotui loca apta sunt, quæ aquis sunt propinqua: quæ percussæ sunt causa iu talibus locis, vt vapores congregentur. atq; vt coarctentur: ex quibus fieri terremotum, necessario sequitur. Quarè Calestenes author non ignobilis sentit loca aquis propinqua, tametsi non cauernosa: non esse à terremotibus libera. Quoniam licet ex loci raritate, liberum exitum vapor habeat, nihilosecius ex vndarum percussione vapor vaporem impellens, replet locum: ac propterea in planis locis, si mari, vel aquis alijs tangantur, fiunt terremotus. Scribit Heluiccus Theuthonicus ordinis Prædicatorum vir doctissimus libro primo de Cœlo, & elementis, capite sexagesimo; tempore Bonifacij Papæ Octaui Ciuitatem Beatæ Mariæ in qua curia Romana tunc residebat, terremotu concussam fuisse pluribus diebus: quæ tamen in plano sita, aquis plena est, & lacui vicina, & montibus propinqua. Sed Ferraria anno Domini 1570. in Cathedra Petri sedente Pio Quinto Pontifice Optimo Maximo, de Sancta Dei Ecclesia Optimè merito: regnante Alphonso Estensis Duce Secundo, & vltimo, pluribus diebus intremuit: vt ad tentoria extra vrbem habitatores præcurrere cogerentur ob metum, & vt securius viuerent. Nam edificia casum, & ruinam patiebantur mirabilem. Loca itaque terremotibus subiecta sunt primo, quæ mollia habent latera: Nam mollities poros obstruit, & coarctat. Secundo quæ sunt cauernosa: quandoquidem vapor ibidem congregatur, ac ex alio superueniente coarctatur. Quare in montuosis locis fit: quoniam sub montibus sunt cauernæ, illaquè loca porosa existunt. Tertio sunt loca aquis propinqua. Hinc factum est, vt Puteolani sepe sepius terremotibus affligerentur, quorum particeps erat Neapolitana ciuitas ob propinquitatem: quia locus suapte natura porosus existit, mollis, cauernosus, montuosus, & aquis plenus. Verum à tempore quo Beato Ianuario Pontifici Sanctissimo, ac Inclyto Martyri sacra edes cum Monasterio Cappuccinorum, in loco vbi magis terra quatiebatur, Neapolitanorum pietate dicata fuit: nunquàm amplius nec motus terræ pauculus auditus fuit vsque ad præsentem diem. Sunt tamen naturaliter loca aliqua quæ nunquàm, vel saltem raro tremuerunt. Pindarus scribit, Aegyptum vel modicum quandoquè tremuisse. Ratio est, cui consentit Aristoteles quoque in sua Meteorologia, quia Aegyptus tota aquis cooperta fuit. Idcirco limus paulatim aggregatus est, terraquè ita tota mollis, limosa, atque in partibus bene continuata, con-

Titus Liuius

Qua terremotus specie Basilea concussa, corruit.

Friburgum Brisgoicum tremuit.

Sypilum, & Ligustica regio terremotu euersa ex Arist.

Neccarum Sueuiæ Fluuiũ qua terrem. specie absortũ iuxta M. Albertum.

Cum terremotibus magna aquarũ vis cur erũpat.

Loca aquis vicina à terremotibus minimè libera iuxta Calestenem.

Ciuitas Beatæ Mariæ terremotu concussa tẽpore Bonifat. Papæ 8.

Ferraria mirè tremuit 1570. tempore Pij Papæ V.

Loca terremotibus subiecta.

Ciuitas Puteolana terremotibus subiecta libera meritis S. Ianuar. Ep. & M.

Loca, quæ nũquàm vel raro tremuerunt.

Sonus vnus ex terremotus modis quomodo fit.

conuersa est: quòd vapor vbi coarctaretur, non habuit. Quare à terremotibus expers, & libera reddita est. Sed cum paulo superius dictum fuerit, inter alios terremotus modos vnum esse sonum, libet hoc in loco animaduertere, quandoquè sonum fieri absque concussione; cum scilicet vapores pauci fuerint: aliquando fieri cum tremore, & mugitu, cum spiritus in subterraneis specubus aduersus solida, cauaquè corpora subterranea agitantur: ita vt è terra mugire videantur. Sæpius verò terremotum sonus concomitatur, ita vt aliquando non desinat: quousque terra scindatur. Scribunt Authores non ignobiles iuxta Corinthum fuisse insulam, in qua ex ventorum collisione in cauernis terræ ad solida corpora; terribilis audiebatur sonus. Deinde sequutus est terremotus: qui locum eleuare videbatur in collis altitudinem. Cumquè venti subterranei continuò multiplicarentur: collem ruperunt. Exeuntes vero validissimi venti, cinerum multitudine propinquam oppresserunt ciuitatem, atque destruxerunt. Ciuitas hæc lipareorum est. Porro cinis ex calore maris frigiditate concluso, & confortato, ortum habuit. Quò factum est, vt locis cauernosis incineratis, ad exitum ventorum incinerauit ciuitatem, & euertit. Quòd si ibidem sulphur fuisset: dubio procul incendisset quoque. Sed vide Aristotelem in secundo suæ Meteorologiæ libro cap. 8. Opiniones autem Anaxagoræ, Anaximenis, & Democriti quas ibi confutat, non sunt vndequaque falsæ: habent namque ex parte aliquid veritatis. Plura huc adducere possemus de terremotibus certe mira, vt de terris, ac insulis ex causis terremotus enascentibus, de insulis, ac terris mari absorptis: insuper de terris semper trementibus, & insulis fluctuantibus. Verum cũ in eo opere, quod de rebus meteorologicis inscribitur, adamussim disseruerimus, ac in alio particulari de motu terræ plenius: sat sint hæc, in hoc capite sic perfunctorie digressa.

Insula iuxta Corinthum terremotu agitata.

Lipareorum ciuitas terremotu euersa.

Anaxagoræ, Anaximenis, & Democriti opiniones ab Arist. cõfutatæ, non omnino falsæ.

Terremotus signa, tempus, duratio, remedia, & portenta.

Cap. III.

Terremotus signum ex Aristotele.

SIGNA terremotus futuri quæ sint, tempus quo accidant remedia quibus reparari possint, quanto tempore durent, & quid denique portendant: reliquum est, examinare. Aristoteles vnam causam affert. Cum scilicet aqua in puteis turbatur, eiusque inficitur odor: signum est futuri motus terræ. Nam vapor, seu exhalatio humida, & sicca subtus residet, vnde phoerecides syrius hausta è puteo aqua futurum ibidem terremotum prædixit: quod & factum est. Plinius ex quatuor terremotum præsagit, ex tenui nubecula, ex volucribus, ex crepitu seu fragore, & ex commotione maris. Primo ex nubecula, cum scilicet tenuis tranquillo, & sereno tempore post solis Occasum apparet: aut veluti linea per longum porrecta spacium, conspicitur. Signum etenim est, vaporem in terra esse inclusum ex quo terremotum oriri, maxima coniectura est. Secundo ex volucribus, cum scilicet timent, & pauent. Ratio est, quia ob raram, & tenuem corporis constitutionem, aeris leuissimas alterationes facillimè præsentiunt. Tertio ex fragoribus in subterraneis specubus:

Terremotus ex Plinio.

Nam

Nam signum est spiritibus plenos esse, ex quibus terremotus fiunt. Quarto ex Maris agitatione: cum fuerit magna aeris tranquillitas, & nulli venti spirauerint; signum certe est, subtus tales ventos circumferri; ex quibus terremotum fieri, necessum est. Porro tempora quibus vt plurimum fiunt; sunt æquinoctialia. Cum scilicet Sol in Ariete, vel Libra discurrit, quod dubio procul Martij, & Aprilis mensibus, subinde Septembris, & Octobris accidit: Vere scilicet, & Autumno. Ea etenim tempora sunt flatuosissima. In primo vincit humiditas absq; frigiditate, in secundo vincit siccitas sine caliditate: quando sicci vaporis materiam siccitas multiplicat, sed humiditas exire non permittit. Alijs verò temporibus æstate scilicet, & hyeme aut non fiunt: aut sunt rariores. In æstate quidem cum prædominans calor vaporem consumat: calor namq; terræ poros aperit, ex qua quicquid est ventorum, aut spirituum sub terra collectum exhalat. In hyeme autem cum frigus euaporationem prohibeat: calor tunc quidem spiritus gignens, & producens: debilis est. Fiunt itaq. his temporibus quandoq; per accidens, cum tempora vernalibus, & autumnalibus similia sunt: tunc quidem fieri possunt: & cum contingunt, magni & diuturni erunt, atq; portentosi. Quò autem ad specialia tempora noctu plerumq; fiunt; quàm interdiu. Ratio est, quia sol terræ calorem exterius euocat: ac propterea non eleuat vaporem: diurnus namq; calor materiam dissoluit. Noctu verò clauditur calor, & vaporem intus multiplicat: ideo auctus alium ante se eleuatum comprimit; quia nocturnum frigus materiam constringit: & noctes ob solis absentiam sereniores existunt propter terram frigore concretam, & adstrictam: ex quo terram tremere necessariò sequitur. Fiunt quoque circa diluculum, quia circa eam horam venti sæpius excitati, insurgunt: & illa hora quietior est: solq; vti potentior prohibet è terra tunc exhalationes egredi, ex qua violenter exire compellentur, vnde & terremotus. Fiunt etiam plerumq; in vtriusq; luminis defectu: tametsi Aristoteles dicat circa lunæ eclipses accidere, eumq; fieri, quando iam prope est interpositio, & nondum quidem est omnino deficiens lumen: & calidum quod est à sole ex aere, iam autem marcefactum, tranquillitas fit: contra translato spiritu in terram, qui facit terremotum ante eclipses (nam & fiunt venti ante eclipses sæpe) in principio quidem noctis ante eclipses mediæ noctis, in media autem nocte ante diluculares. Idque inquit accidere, quia marcescit calidum, quod à luna est, cum prope iam fuerit facta latio, in quo facta erit eclipsis. Remisso igitur quo detinebatur aer, & quiescebat, iterum mouetur, & fit spiritus tardioris eclipsis tardior. Sed re vera terremotus quoque fiunt in solis defectu: quinimo magis cum sit omnium vaporum & exhalationum præcipua, & præpotens causa: tellusq; euaporet sole subtiliante. Cur autem etiam fiunt in maioris labore luminis rationes habes in tractatu quem de vtriusq; luminis eclipsibus, inscripsimus. Non etenim omnia huc adducere licet: vbi alibi illustria habes. Quanto autem tempore durant, est deinde dicendum. Animaduertere itaq; oportet, terremotum tamdiu durare, quamdiu ventus, seu exhalatio est exhausta. Si namq; crassi vigeant spiritus in terræ cauernis hærentes, longiores sunt terremotus: si verò tenues, & rari, iuxta raritatem, tenuitatemque, breuiores, vel breuissimi. Tempus verò durationis quantum sit: Diuus Thomas scribit ad quadraginta dies, vel ad annum vsq; posse terremotum perseuerare. Aristoteles verò ait, quòd cum fortis factus fuerit terremotus non mox, neq; ad semel cessat agitans: sed primo quidem vsq; ad quadraginta dies agitat, posterius autem & ad annum, & ad duos annos dominatur secundum eadem loca. Quare terremotum quo Basilea corruit in signum præuaricationis eius, integro anno durasse, aiunt: sed post annum vicina loca affligere cepisse, author

Tépora quibus, vt plurimum, Terremotus fiunt.

Terremotus cur æstate, & hyeme nō fiunt, vel rariores.

Terremotus noctu plerūque, quàm interdiū fiūt.

Terremotus circa diluculum fiunt.

Terremotus in luminariū defectu acci dunt: plerūq; sed magis circa lunæ eclipses, iuxta Arist.

Terremotus magis in solis defectu fiunt.

Terremotus duratio.

Tempus durationis iuxta D Tho & Arist.

Contra terremotum remedia.

author est frigeius. Remedia verò contra terremotum adiuuantia sunt fornices, figura loci, parietes tenues, & specus. Fornices hoc est concamerata loca, & arcus ex edificijs constructi. Nam cum sint aperta, habent facillimè exitum spiritus, quibus terremotus prohibetur: loci figura deinde, vt loca scilicet sint pendentia: quia minus infestantur, quàm solida. Ideo parietes tenues, quod est tertium remedium, ex terreno latere, non ex lapidibus solidioribus facti, multum iuuant: quia durum cum duro non sibi bene consentiunt, sed molle facillimè cedit; & spiritus non habet tam firmum obstaculum in quo repercutiatur, ac deinde fortior insurgat. Specus postremo, quia per illos subterranei spiritus egrediuntur, atq; diflantur. Quò verò ad aeris mutationes attinet, vel ad consequentia, quid terremotus portendant, inuestigandum est. Diximus terremotum fieri principaliter à Deo iuxta Diuum Thomam, quinimò ex Psalmo decimo septimo eruitur: vbi Dauid Rex cecinit: commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt: quoniam iratus est eis. Quod quidem secundi Regum capite vigesimo secundo signatum est. Ex prophanis verò, Plinij authoritas extat, inquientis: nunquàm Romam tremuisse, vt non aliquem futurum euentum præsagiret. Verum historiam non teximus: sed hæc, & similia alibi habes. Portendunt terremotus immensos ventorum flatus, quia de tellure post eos continuo exeunt: ideo ante terremotus est illorum tranquillitas, & quies. Significant deinde tempestates, & manifestas temporum mutationes, & diuersas: quia vapores continuò de terra exeunt, ascenduntque; fiuntq; meteora illa præsertim quæ vaporum, exhalationumque naturam sequuntur. Consequentia verò sunt animalium infectiones, præsertim irrationalium: quæ iuxta tellurem sua capita portant. Quandoquidem iuxta Poetam;

Terremotus semper aliquid præuntiat.

Terremotus portenta.

Terremotus consequentia.

Ouidius.

Pronaq; tùm spectent animalia cætera terram:
Os homini sublime dedit, cœlumq; videre.

Inficiuntur itaq; animalia, quia vapor ille venenosus est: ex quo infirmitates, & mortes, quia etiam aer inficitur. Sed nec ab infectione liberi sunt homines ob vaporem in alto emersum: ac propterea pestem terremotum sequi, inquit Seneca. Sed de his plura Plinius libro secundo, & Seneca in suis naturalibus quæstionibus: & nos quoq; alibi, vt videbit prudens Philosophus. Verum pro huius capitis complemento, & cunctorum terremotuum theoria, sciendum est: quòd cum sit duplex vapor, calidus, & humidus: à terra humida per solis calorem resolutus, aeri similis: alter verò calidus, & siccus, à sicca tellure resolutus, igni similis, plusquàm primus ascendens, qui dicitur fumus, vel hypercauma, vt libro secundo digressum est: vapor siccus tamen in triplicem adhuc seiungitur; in subtilem, grossum & medium. Subtilis est ille, qui ascensionem causat, medius est ventus: sed grossus est, qui terremotum efficit. Idcirco iuxta vaporis naturam terremotum causantis, præsagiendæ sunt temporum mutationes cum consequentibus.

Plinius, & Seneca.

Terremotus generatio.

Vapor siccus triplex.

Vtrum terra moueatur alio motu, quàm ex siccis vaporibus. Cap. IV.

Authoris intentio.

Authoris opera aliqua.

NON est hic profectò locus suus, vtrum terra moueatur stante cœlo, vel etiam se mouente. Sed occasione huius violenti motus terræ, cum nullum alium re vera habeat: operæ pretium esse duximus, hoc in loco per transennam (vt dicitur) pertractare: nam fusius habes in eo opere, quod inscripsimus. De rebus Meteorologicis, & in

alio

alio cuius titulus est, opiniones hominum de Deo, & creaturis: sed pressius in nostro peculiari tractatu de motu terræ. Accedit quòd hæc opinio denuò reuocata est in publicum. Opinio certe antiquissima est Pythagoreorum, Heraclidis Pontici præsertim, Ecphanti, Philolai, Nicetæ Syracusani, Aristarchi Samij, suorumq; discipulorum. Ex nostratibus autem sequuntur eam nonnulli: inter quos Cœlius Calcagninus Ferrariensis reuocauit in lucem, deinde vir ille Nicolaus Copernicus de cœlestibus rebus optimè meritus ad suas firmandas Hytpoheses stabiliuit. Postremo Gulielmus Gilbertus Colcestrensis, medicus Londinensis, Britanus, in sua noua Physiologia de magnete magneticisque corporibus, & de magno magnete tellure libro sexto, capitibus tertio, quarto, quinto, & sexto in eamdem incidit quoque opinionem: quod terra scilicet mouetur diurno quidem motu viginti quatuor horarum spacio, instar motus primi circuli; sed contra ortum. At è medio primum mobile cum motu eius tollit: multaque dicit vir hic, alioqui doctissimus, ad saluanda firmandaque sua de magnete excogitata. Sed incidit in scyllam cupiens vitare Carybdim; quemadmodum insignis ille Copernicus. Opinio quidem sensui, experimento, rationi contraria. Verum cum fateatur assertionem hanc esse probabilem, fatemur vtique nos probabilem esse, ac propterea disputand[illegible], exercendam, defendendamque exercitij causa, vt adolescentum ingenia excolantur: Quemadmodum & nos pueri antiquorum omnium opiniones Mediolani defendimus contra Aristotelem exercitij gratia, studioq;: Ita etiam hæc quidem de motu terræ sententia sustineri potest: Nam secus falsa est (pace huius præclarissimi viri sit dictum) cum refragetur, vt diximus, sensui, experimento, rationi; quinimò quamplurimis sacræ Scripturæ sententijs: quæ telluris stabilitatem, firmitatem, permanentiam, immobilitatemque pluribus in locis declarat, & fatetur. Opinio certe contraria sanctis Doctoribus loca illa scripturæ explicantibus: & tamen scimus, quòd qui loquitur in Propheta, loquitur in interprete. Sententia dubio procul destruens magnam Philosophiæ, & Astrologiæ partem. Sed quid opus erat, tam verborum ambagibus rem inuoluere, cum non demonstret, sed ostendat tantum? neq; omnes proponat rationes, nec ad omnes respondeat? credatque ex vi magnetis id demonstrare? Ptolæmei rationibus primò non respondet penitus: sanè hæc sunt verba, quæ profert. Ptolomæi rationes nullius sunt momenti, veris namque positis principijs nostris, veritas apparet, & superuacaneum est, eas refutare. Aristotelicis non satisfacit, & dubius est in multis, & anceps. Tertio suæ rationes non conuincunt, sed omnia cum proposita, tum responsa sunt persuasiones, & digressiones. Non probat tellurem circumuolui viginti quatuor horarum spacio, sed proponit tanquàm Axioma, & persuadet confœderatione vtriusque Astri magnetica, à sole promotis globis secundum orbium ipsorum proportionem, & à luna. Sed à luna proprius, quia adiuncta corpora natura, & substantia simillima sunt: lunaque manifestiores habet in tellure effectus, quàm reliqua sydera, sole excepto; Quod etiam luna ex omnibus planetis sola reuolutiones suas, (& si etiam diuersas) ad centrum terræ summatim conferat: sitque terræ cognata maximè, & quasi vinculis alligata. Hæc & similia assumit, quæ cuncta sanè probare debet, & tenetur. Meliusque pro eo fuisset, & Ptolemaicis rationibus, & Aristotelicis satisfacere: nec dicere, rationes esse nullius momenti, sed ostendere, qua nam ratione nullius sint momenti. Primum mobile, vt diximus, cum motu eius de mundo aufert, monstruosum illum reputans, & superuacaneum: vocatque motum insanum: Inconueniens quoque maximum arbitrans tam citissimo, & rapidissimo motu fieri. At cur? & qua ratione fretus? audiatur.

Opinio, quod terra moueatur, est antiquissima Pythagoreorum.

Cœlius Calcagninus. Copernicus

Gulielmus Gilbert' Colcestrensis.

Opinio, quod terra moueatur absolutè falsa est.

Opinio de motu terræ multis aduersa, præsertim sacræ Scripturæ.

Gilberti errores.

Gilberti rationes nō cōuincunt.

Gilbertus quę proponit, nō probat.

Oo Ostendit

Gilberti doctrina ex terræ,& cœlestium globorum proportione.

Ostendit quidem ex terræ, & cœlestium globorum proportione adinuicem, ex eorum quippe semidiametris, ita vt ad nonam spœram veniens inquit. Nona sphœra, omissa primi mobilis conuexitas, si iustè ad reliquorum proportionem æstimetur, oportet primi mobilis conuexum tantum spacij percurrere vna hora, quantum continent circuli maiores terrestres 3000. Nam in firmamenti conuexo conficeret plusquàm 1800. sed quę soliditas ferrea adeò firma,& pertinax fingi potest, vt tanto furore,& tam ineffabili pernicitate non disrumpatur, & in frustra abeat? At hæc doctrina non est digna Philosopho. Quid enim officit, quòd si primi mobilis conuexitas, si iustè ad reliquorum, proportionem ęstimetur, oporteat primi mobilis conuexum tantum spacij percurrere vna hora, quantum continet circuli maiores terrestres 3000? cui nocet? quod inconueniens emergeret? Deinde cœlum alienum est à corruptione, alterationeque à scissione, & à ruptura, ita vt si velocius moueretur, quàm non mouetur, nullam in se iacturam pateretur. Quomodo igitur in frustra abiret, & disrumperetur suo motu velocissimo? soliditas vero ferrea firmior,& pertinacior, vtique tandem deficeret, cum non sit æterna, & perennis. Subiungit deinde superiores in inferiores tyrannidem non exercere: Nam & cœlum philosophorum, & theologorum sententia oportet esse mansuetum, fœlix,& tranquillum,& mutationibus minus obnoxium. Nec primi mobilis furor, vis, celeritas,& rapiditas dominabitur;& nos idem & similia fatemur. Nulla certe vis, nullus furor, nulla insania primo mobili inferitur: sed celeritas tranquilla, rapiditas mansueta, motus velocitas suauis, ad cætera mobilia dirigenda, atque ad ortum, & interitum mixtorum causandum; non nisi quia supremum. Sed examinemus aliquas eius rationes, quas Achilleas putat, quid roboris contineant. Inquit enim libro prærecitato capite tertio; quicquid in rerum natura naturaliter mouetur, id & suis viribus,& aliorum corporum consentiente fœdere incitatur: talis est motus partium ad sua tota, globorum,& astrorum inter se omnium in mundo consistentium: talis est incitatio circularis corporum planetarum, cum alij aliorum cursus obseruant, & incitant: primi verò mobilis aduersi,& velocissimi cursus quæ illi sunt incitantia, aut promouentia corpora? quæ natura conspirans? aut quis ille vltra primum mobile furor? Cum in corporibus ipsis vis agens existant: non in spatijs, aut interuallis. Hæc est vna ex suis rationibus. Sed quam vim habeat, videamus. Ambabus primis propositionibus admissis, nam & difficultatem habent, & explicatione indigerent; cum quærit, quæ nam sint primi mobilis incitantia, aut promouentia corpora? quæ natura conspirans? & cætera. Respondemus, primum incitans primum mobile est motrix eius intelligentia: nam cœlum agit,& mouetur, vt instrumētum sui motoris extrinseci. Secūdum est cęlum empireum, quod immediatius primo mobili influit: cum illius concauum istius conuexum contineat, cognitum non via naturali, licet sit corpus naturale: in quo saluatur quies, licet non moueatur. Natura eius conspirans est propter hominem finem eius: hac vt generatio continuetur. Sicuti aliorum mobilium motus in signifero est causa diuersitatis secundum generationem,& corruptionē. Et finis vltimus motus cœli est assimulatio ad Deum in causando, secundarius est generatio inferiorū. Quod autē postremo subdit, quod in ipsis corporibus sit vis agens, dicimus: quod nulla reperiretur, nisi esset primum mobile, quod alia mouet. Nam motor cœli superioris mouere potest cœlum inferioris motoris, non autem è conuerso. Affert vlterius aliam rationem his verbis. Manifesta videtur terræ circumuolutio, cum natura semper agat per pauciora magis, quàm per plura: atq; rationi magis consentaneum, vnum exiguum corpus Telluris diurnā volutationem efficere potius, q̄ mundum totū circumferri. Sed hæc ratio nihil valet, quia

Gilbertus reijcitur,& illi respondet.

Cœlū si velocius moueretur, non frangeretur

Primum mobile nullam insaniam habet.

Gilberti ratio prima,& potissima.

Respōsio ad Gilbertum.

Primum mobile incitantia.

Primi mobili natura cōspirans.

Gilberti ratio secunda.

quia non probatur. Nam rationi magis consentaneum videtur (quicquid sit de prima, quæ & limitari quoque deber) mundum totum circumuolui stante terra, quàm moueri terram, stante cœlo: Quia influxus ad terram quiescentem non se mouentem perueniri, consentaneum est. Cœlum namque non agit mediante lumine nisi per motum: & nihil influit nisi per motum. Conuenit itaque terram stare, vt cœli moti recipiat influxus, quorum particeps fit viuens, etsi mouens, in terra quiescente. Illi igitur propositioni, frustra fit per plura, quæ potest fieri per pauciora dicitur cum explicatione, & æquè benè: sed non æque bene fit, à cœlo motum auferendo, terræ autem tribuendo. Amplius sic digreditur. Atque natura sanè conuenientem ad modum formæ telluris concessisse videatur: quæ, cum globosa sit, super polos suos à natura sibi tributos conuertitur facilius multo, & conuenientius, quàm totus volueretur mundus: cuius finis ignoratur scirique nequit: & quàm primi mobilis fingeretur orbis: quem veteres non admittebant: quem Aristoteles etiam non vltra fixarum sphœram vllum excogitauit, aut admisit: quem sacræ denique literæ non agnoscunt, vt neque totius firmamenti vertiginem. At cur non probat, qui sint poli terræ super quos mouetur? Quæ maior fictio? Quod sit conuenientius totum mundum volui, quàm tellurem, iam dictum est: & ostensum eius finem, cur scilicet voluatur: nec fingitur primum mobile, quia sphœrarum cœlestium numerus per motum deprehensus est. Nam si firmamentum triplici voluatur motu, & vnus quidem proprius est, alij duo, consequens est, vt sint aliorum mobilium, non inferiorum, quia ab ipsis non dependet: ergo superiorum. Dantur igitur duo mobilia super firmamentum. Quandoquidem vnius simplicis corporis mobilis vnicus certe est motus. Erunt itaque supra firmamentum nona sphœra, quæ duos tantum motus habere deprehensa est: & primum mobile quod vnicum dumtaxat habet. Moueturque super Polos mundi, sicuti Nona super axe Zodiaci; octaua verò super duo puncta æquinoctiorum. Quod autem inquit, veteres non admisisse primum mobile: dicimus & nos, quia non nouerunt: sed illud primum accipiebant, quod supremum nouerant. Quare & Aristoteles non negauit primum mobile, sed octaua sphœram illud accepit: quia aliud non cognouit. Recentiores verò ex multiplici octauæ sphœræ motu, illud concluserunt, & rectè vsque adhuc. Quod autem dicit, sacras Scripturas primum mobile non agnoscere, quemadmodum nec totius firmamenti vertiginem, non recte dicit. Nam etsi explicite primum mobile à Scripturis sacris non habeamus: implicite tamen ex illis elicimus. Sacræ etenim Scripturæ non fuit curæ, vt Astrologiam nos doceret, quamuis ex parte nos docuit: sed viam salutis æternæ; At quæ de cœlis nobis tradidit: Sancti Doctores nobis explicuerunt. Cum igitur conueniant in primo mobili, & in totius firmamenti vertigine, cur eis fidem adhibere nolumus? Magis illis credendum est etiam in philosophicis, quia etiam fuerunt philosophi: quàm alijs, qui nouam philosophiam, vel cudere volunt, vel veterem instaurare sibi persuadent. Hæc & similia alias demonstrata sunt. Quòd si propria Scripturæ loca velint, ex quibus arguitur dari primum mobile: notent sententiam Genesis capite primo, vbi Moses post aquarum creationem, inquit. Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis: & fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Deinde parum infra. Congregentur aquæ, quæ sub cęlo sunt in locum vnum, & appareat arida: & deinde: congregationes aquarum appellauit maria. Ex quibus sanè verbis colligitur aquarum illarum, medietatem vnam, super quam spiritus Domini ferebatur, supra firmamentum remansisse: alteram

Gilberti ratio infirma.

Respósio ad quandã propositionem.

Gilberti ratio tertia.

Gilberti ratio fictitia & ad illam responsio.

Primum mobile non fingitur.

Duo mobilia dantur supra firmamẽtum.

Arist. nõ negauit primũ mobile.

Primum mobile sacra Scripturaim plicite agnouit.

Primum mobile datur iuxta S. Doctores.

Sacræ Scripturæ locus de primo mobili.

verò in locum vnum redactam; quod est mare. At aquæ illæ conuersæ sunt in chrystallum; vnde vocatur cœlum aqueum seu chrystallinum, sic explicant Doctores ferè omnes: supra igitur octauam sphœram quæ est firmamentum, est cœlum chrystallinum. Igitur hoc erit vel primum mobile voluens omnes sphœras, & cœlos; quia iuxta Ptolomæum etiam nouem sunt mobilia: vel supra hanc erit alia prior cæteris iuxta nouas obseruationes; & sic erunt Decem. Est igitur in sacra Scriptura primum mobile, quamuis non nominatum primum mobile, quia tamen mouetur (nam empyreum est omnino immobile) primum mobile dicetur, si supra illud alium mobile non extiterit. Confirmatur supra cœlos aquas reperiri trium puerorum testimonio in camino ignis Deum benedicentium in Daniele capite tertio. Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino. & Dauid quoq; Psalmo 148. & aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini. Quæ cum sint natura fluxibiles, in chrystalli naturam Dei virtute conuersæ sunt: effectumque est cœlum. Sed hæc & similia fusius in libris opinionum hominum de Deo, & creaturis, atq; exactius in nostro peculiari de motu terræ. Quod autem firmamentum moueatur, ex plerisq; sacræ Scripturæ locis etiam patet: dum loquentes de cœlis, vt plurimum vniuersis motum tribuunt. Quomodo igitur negant scripturę, vel, vt authoris istius verbis vtamur, non agnoscunt Scripturæ sacræ totius firmamenti vertiginem: sed finem huic capiti imponamus: & in sequenti nostrum prosequamur institutum.

Aquæ super cœlos conuersæ sunt in chrystallum

Aquas super cœlos esse, ostenditur.

Firmamentū moueri ex sacris Scripturis.


Præcedentis quæstionis continuatio, cum Gilbertæ opinionis impugnatione, Cap. V.

GILBERTVS si vsq; adhuc non contentatur, quærat scripturæ loca, expendat illa diligenter: videat Doctores, conferat cuncta cum doctis viris, theologis præsertim: cernet equidem quantum tota aberrat terra; ne dicam, quantum toto deuiat cœlo, & mundo. Verum inter alia argumenta quibus nititur suam firmare sententiam, vna est præcipua ex terræ partibus desumpta: quæ à toto separatæ non tantum peripateticorum recto motu feruntur, sed etiam rotantur. Probat itaq; intentum suum ex vi magnetis hoc argumento. Magnes collocatus in vase ligneo, imponitur aquæ, vt liberè natare possit, conuertere se, & fluitare. Si Polus magnetis puta. B. contra naturam positus fuerit versus meridiem. F. terella, idest Globosus magnes conuertitur circa centrum suum circulari motu in plano Horizontis ad Septentrionem, E. vbi quiescit non in C, aut in D, Hoc facit exiguus lapis quatuor vnciarum; eundem etiam habet motum tam expedite, si magnes fuerit robustus aliquis centum librarum: similem quoq; conuersionem maximus magneticus mons, si largo flumine, aut mari profundo veheretur: & tamen multo magneticum ab aqua impeditur, quàm tellus tota ab Aethere. Idem faceret tota terra, si borealis polus distraheretur à vera sua directione: recurreret enim polus Borealis circulari totius circa centrum motu versus Cynosuram. Hic verò motus non est alius, quàm circularis, quo partes natura ad suas sedes se componunt. Terra tota suo polo cynosuram respicit natura constanti: ita omnis eius germina pars similem in mundo sedem petit, mouetur que circulariter ad illam positionem. Totius, & partium similes sunt motus naturales: quare cum partes

Gilberti ratio præcipua ex vi magnetis quòd terra moueatur.

in

in circulum moueantur, totum etiam circulariter mouendi potentiam habet. Hæc est sua ratio, ponitq; Apodixin, vt intelligatur, quòd si Polus magnetis. B. contra naturam positus fuerit versus Meridiem. F. terella conuertitur citra centrum suum circulari motu in plano Horizontis ad Septentrionem. E. vbi quiescit. Gilberti demonstratio falsa de polo magnetis



At non necessum erat pro re, re vera, fictitia sic laborare; adducere rationem, quæ minimè concludit: quæ multa supponit, quæ probatione indigent, & robore. Quæ enim ratio constans est, vt ex magnetis frusti rotatione in aqua poli robore naturali, concludi queat totius terræ volutionem? Probet hanc vltimam consequentiam Gulielmus Gilbertus. Polus ad se vertit magnetis frustum in aqua, ergo Tellus tota rotatur. Nam concesso, quod si magnes quatuor vnciarum voluatur in aqua ad polum, quod & volui posset magnes centum librarum: deinde magneticus mons maximus, Sed negatur hac ratione quòd tota terra rotatur, quia magnes voluitur. Si namque tota terra esset magnetica, positaque cum ferro super rotatilem locum, vt frustum magnetis ponitur, & in aqua, vera vtiq; esset Gulielmi Gilberti assertio: sed ex suppositis possibile veris concludit vnum falsissimum, nempe quod tellus tota illa ratione moueretur, & quòd multo magis magneticum ab aqua impeditur, quàm tellus tota ab Aethere: Non impeditur quidem tellus ab æthere, quia non est apta motui: & hic author supponit, quod est probandum. Quod autem inquit, quod idem faceret tota terra, si borealis polus distraheretur à vera sua directione: nam recurreret polus borealis circulari totius circa centrum motu versus cynosuram, deberet probare: nam terra tunc immobilis permaneret: & à natura virtus insita est magneti pro hominum vtilitate, vt cognita ex magnete mundi parte boreali, reliquæ cognosci possint cũ consequentibus. Quòd si borealis polus à loco distraheretur: locus alius esset nauigantium directiuus. Deinde quod subdit, terra tota suo polo cynosuram respicit natura constanti, ita omnis eius gemina pars similem in mundo sedem petit,

Gilbertę opinionis cõfutatio.

Gulielmi Gilberti defectus.

Responsio prima.

Secunda responsio.

petit,moueturq; circulariter ad illam positionem: totius & partium similes sunt motus naturales:quare cum partes in circulum moueantur, totum etiam circulariter mouendi potentiam habet. Hæc profectò probare debebat, præsertim quomodo totius,& partium similes sunt motus naturales, cum distinguantur adinuicem realiter? quòd si in aliam impegeris sententiam, quod ratione secernantur adinuicem, videre de quo toto, & quibus partibus iverum sit: num de homogeneis,aut ætherogeneis,num de toto circulari,& partibus eius,aut alijs quoq; modis. Arguere subinde à partibus ad totum non valet consequentia:;sanè constat, quòd si circulus in multas frangatur partes,has non habere motũ, pro vt coniunctæ primum erãt toto. Sed esto verum quod dicit Gilbertus de toto, & partibus, reflectitur tamen ratio contra ipsum}, arguendo ad hominem nempe ex concessis tali elencho. Qui motus conuenit partibus,conuenit,& toto; hoc assumptum est manifestum ex suis dictis,quia totius,& partium similes sunt motus naturales: & eadem est natura totius,& partium: sed omnes terræ partes, sicuti etiam omnia mixta in quibus dominatur terra, deorsum feruntur ad terræ superficiem, ac in ea quiescunt: igitur terra vniuersa quiescit, ergo immota manet; quia totius, & partium similes sunt motus naturales. Amplius cur Gilbertus non verificat de alijs terræ partibus,puta de gemmis, de lapidibus, de marmore, de mineralibus, & reliquis,quæ sunt partes terræ: quæ,si circularem haberent motum: vera vtiq; esset eius assertio. Præterea ex suis dictis ad hominem argumentamur. Si namq; terra tota suo Polo Cynosuram respicit natura constanti,vt ipse fatetur, supposito etiam à nobis vniuersam tellurem esse magneticam, ergo terra immobilis perseuerat: quia polus immobilis boream respicit,versus quam magnes voluitur, & quiescit immobiliter. Non igitur rotatur terra,nec habilis est, & idonea ad se mouendum,præsertim cum in mundi medio,ceu centrum consistat: ac propterea quiescit. Diximus hanc sententiam esse sensui contrariam,quia videmus cœlum sensibiliter moueri,terram autem stare: quia si moueretur,sentiremus & nos moueri quandoq;. Est contraria experimento, & argumentatur quemadmodum, & Gilbertus arguit. Experimur lapidem quatuor vnciarum non moueri nisi à proijciente, nec magnum lapidem nisi à trahente, nec montem maximum penitus,ergo nec vniuersam terram: probatur vltima consequentia: quia impossibile est,vt in tam rapidissimo terræ motu, spatio scilicet viginti quatuor horarum singulis diebus siccam paleam in tectis aliquando non se moueri: ergo nec terra tota mouetur. Reprehendit amplius Ioannem Costeum virum doctissimum, qui constanter hanc fictitiam opinionem de motu terræ damnat, & insectatur. Qui extrinsecam motus terræ causam,& intrinsecam quærens: respondet Gulielmus, magneticum vigorem esse intrinsecum agentem, & disponentem: solem autem promouentem causam esse extrinsecam; nec tellus adeo vile atque abiectum est corpus,vt vulgo existimatur. Sed de magnete satis arbitramur dictum esse. De sole verò nescimus,vbi dicat causam esse promouentem, & extrinsecam: cum sol ipse, vt proprio moueatur motu indiget motrice intelligentia; quomodo igitur motum alijs impendet? & etiam alieno circumfertur, qui causa est omnium motuum? circularium,rectorum,atq; obliquorum? Causa æquiuoca certe generationis est sol, non motus aliorum,vel terræ. De tellure verò an sit adeo vile,& abiectum corpus,vt putatur? dicitur esse vltimum, & postremum omnium corporum: crassum, corpulentum, graue, porosum; cœlorum omnium influentijs ne dum subiectum, sed etiam elementorum actionibus: vnde tamquam merè patiens se habet. Qua de re à cœlestibus, & sempiternis sphœris id quod eis competit,auferre,& telluri tribuere; magnæ quidem ignobilitatis est, ne dicam insipientiæ.

Tertia respõsio.

Rationis reflexio cõtra Gilbertum.

Secunda ratio contra Gilbertum.

Argumentũ ad hominem contra Gilbertum.

Gilberti opinio sẽsui aduersa.

Experimẽto contraria.

Io. Costeus à Gilberto reprehenditur

Terra vltimumcorpus inter elemẽta.

Fugiant

fugiant quæso veritatis amatores has aniles,& pueriles fabulas,somnia,fictiones, chimeras. Non vident in quot,& quæ inconuenientia incidunt? Vacent veritati, sequantur communia philosophis,& theologis. Plus enim vident oculi, quàm oculus. Si Pythagoreorum sententia de motu terræ vera fuisset,vtiq; non esset derelicta: sed omnes eam sequuti essent,& amplexati; ac tamquàm naturali lumini proximam,& cognatam docuissent,prædicassent,scripsissent. Idcirco peripateticæ doctrinæ inueteratæ sunt opiniones, quia Aristoteles illorum princeps plus alijs naturali lumini adhæsit (quamuis in multis defecerit, quia non omnia possumus omnes) Non decebat Gulielmum Gilbertum alioqui virum doctissimum, & præstantissimum ita se torquere: vt quam probabilem putaret opinionem, tanquàm veram,& demonstratam doceret. Non sunt hæc digna viro doctissimo: præsertim cum ea quæ assumit,firmis hypothesibus,& non vagis & friuolis rationibus, cuncta roborare teneatur. Sed amor, & propensio ad propria inuenta, & excogitata obnubilant quandoq; rationis iudicium,ne verum cernere possit.

Opinio de motu terræ fictitia.

Peripatetica doctrina cur amplexa.

Quod terra immobilis perseuerat. Cap. VI.

TAMETSI luce clarius constet apud omnes præsertim veros philosophos, qui rerum veritatem sincere scire desiderant,omissis friuolis fictitijsq; excogitatis,quæ non sunt digna philosopho,nisi vano,& tumido: terram immobiliter quiescere: nullumq; motum habere nisi ex siccis vaporibus,motum certè violentum,ac per accidens: demonstratumque sit Gulielmo Gilberto suam sententiam esse chimericam: suisq; rationibus cum satis à nobis sit factū; remanet nonnullas rationes adducere, sed paucas ad demonstrandam perennem terræ quietem,& naturalem: quamuis in eo opere quod inscripsimus opiniones hominum de Deo, & creaturis, & de rebus meteorologicis,& in nostro peculiari tractatu de motu terræ, toties repetitis, sit satis pertractatum: ac fusius pertractandum erit occasione huius magneticæ virtutis. Nam liber iste nobis ostensus fuit beneuolentia Patris fratris Camilli Brixiensis bonarum artium studiosissimi, dum in hoc florentissimo, ac celeberrimo Neapolitano Sancti Dominici studio Sacræ Theologiæ operam nauaret; ad cuius petitionem hæc de terræ quiete hic scribimus. Lubet itaq; hoc in loco breuiter ostendere, quòd terra quiescat, & non moueatur: cuius oppositum est refragari sensui, experimento,rationi,& sacræ Scripturæ authoritati; idq; supposito terram esse vniuersi centrum,ac in medio mundi consistere. Quod certe probari potest multipliciter: Nempe ab vniuersali dierum, noctiumq; inæqualitate, ab vmbrarum, & horarum ratione: ex diuisione totius secundum quartas: ex annua vbiq; terrarum æqualitate dierum, & noctium: ex vmbrarum terminis: ab ortu, & occasu brumali,& æstiuo: ex cœli diuisione ab Horizonte: ab eclipsi lunæ: à stellarum inerrantium distantia, & apparentia: à sectione duarum diametrorum eclipsium lunarium: ab Horizonte: à Telluris grauitate, & à perpendiculis. Ita vt ex tredecim fundamentis,rationibusq; ac suppositis tum physicis, tum quoque mathematicis probetur terram in medio mundi sitam, ipsamq; esse totius vniuersi centrum. Formatur itaq; ratio sic. Terra est in medio vniuersi, ergo in illo quiescit, vt centrum: ergo non potest moueri. Antecedens patet ex suppositis: quæ nec ...imus si à Gulielmo negarentur. Probantur tamen singula. Primò ostenditur

Authoris intentio.

Camillus Brixiensis.

Terrā esse vniuersi centrum, & in medio consistere, xiij. rationibus probatur.

Ratio efficax contra Gilbertum.

terram

Terram in medio consistere, & vt centrũ in eo quiescere ꝓbatur ex perpendiculis.

terram in medio vniuersi consistere, atq; vt centrum in eo quiescere ex perpendiculis. Omnia perpendicula sunt terræ diametri, omniaq; ad terram tẽdunt, vt manifestum est: ergo terra est in medio. Secundo à telluris grauitate. Graue etenim ad centtum descendit, ibiq; quiescit, id est manifestum: terra est grauissima ergo ad centrum descendit, ergo in medio consistit: ibiq; quiescit. Vtrum autem id ad quod terra tendit, sit centrum in medio existens? respondetur affirmatiue: nam ex elementorum ordine id perspicitur. Ignis namque seu aer, quia leuissimus, sursum eminet: ergo terra ob grauitatem leuitati contrariam, locum tenebit oppositum. Hæc luculentissime ab Ouidio fastorum. 6. probantur. Tertio ostenditur id ab Horizonte. Horizon est circulus maximus, qui ab Aequatore in duplicem diuiditur. Idcirco tres sumantur Horizontes; & terra in singulis horum spacijs existat: ergo penitus erit in sphæræ centro, quod solum commune est tribus planis maiorum circulorum.

Secunda ratio à Telluris grauitate.

Tertia ratio ab horizõte.

Quarta ratio à sectione duarum diametrorũ duarum lunarium eclipsium.

Probatur quarto à sectione duarum diametrorum duarum lunarium eclipsium. Talis certe sectio in medio esse necesse est: quoniam per sex signa, tunc distant luminaria. Igitur terra in vniuersi medio consistit. Quinto ostenditur ex apparentia, & æquali stellatum fixarum distantia, quòd terra æqualirer vndiq; distet à cœlo. Quandoquidem si extra medium esset, proximius inclinaretur ad vnam cœli partem, quàm ad alteram: & ita stellæ inerrantes aliquando terræ proximiores, quandoq; remotiores apparerent: id autem falsum ostenditur, & deprehenditur; cum stellæ semper eamdem magnitudinem habent; vbicũque eas aliquis in terræ superficie considerauerit. Quæ si paulo maiores in ortu, vel occasu cernanrur aliquando: id ex intermedijs exhalationibus, vapotibusque prouenire, omnibus conspicuum est. Vt patet de paruis fructibus in aqua positis, qui maiores quàm sint, ob medium apparent. Talia etenim media visuales radios disgregantia, stellam sub maiori magnitudine apparere faciunt: Vel quia sunt in imis absidum suorum, vel epyciclorum, aut eccentricorum, ob quod maiores apparent: sed vbiq; ita cõspiciuntur, si sermo erit de erraticis.

Quinta ratio ex apparentia, & æquali stellarum fixarũ distantia.

Stellæ in ortu, vel occasu maiores apparentes.

Sexta ratio ex lunæ defectu.

Probatur sexto ex lunæ defectu: & est ratio Ptolemaica & Auerroica. Si enim terra non esset in medio, ergo eclipsis lunæ non accideret eo tempore, quo sol & luna per diametrum opponerentur. Nam terra ex latere esset, ac propterea non se interponeret inter nos, & solem: quod maximum esset inconueniens. Idemq; dicitur de solis eclipsi: essent quidem imparia spacia à meridie in septentrionem, & ab ortu in occasum. Vnde additur & septima ratio de vtriusq; luminis oppositione etiam absq; eclipsi. Quoniam si terra non in medio consisteret, sed ad vnam cœli partem propius accederet, quàm ad alteram, tunc in vtriusq; luminis oppositione, neutrum esset in horizonte: quod apparet esse falsum; quia in vtriusque oppositione vtrumque est in horizonte.

Septima ratio ex vtriusque luminis oppositione.

Octaua ratio ex cœli diuisione ab horizonte.

Octauo probatur terram in medio consistere ex cœli diuisione ab horizonte. Quoniam vbicunq; homo reperiatur, cœli dimidietatem cernere porest sublatis impedimentis: Id autem fieri vbiq; minime posset, si terra in vniuersi medio non consisteret. In omni quippe die artificiali sex signa otiuntur, & sex signa occidunt: quæ cum sint æqualia, in duas partes æquales ab horizonte nobis cœlum diuidunt: Nam horizon, & æquatuor sunt circuli maiores, ac propterea terram in medio consistere ostendunt.

Nona ratio ab ortu, & occasu brumali, & æstiuo.

Ostenditur nono ab ortu, & occasu brumali, & æstiuo. Quandoquidem vterq; in eadem linea recta fiunt, quæ cum per mundi centrum pertranseat, vt ex obseruationibus constat: ostendit terram in medio vniuersi esse positam. Decimo probatur terram in medio vniuersi esse constitutam, & est Pliniana ratio, ex vniuersalibus æquinoctijs. Nam si non esset in medio, dies & noctes non essent æquales, sole in punctis æquinoctiorum existente: quia eadem recta linea cum per terræ centtum

Decima ratio ex vniuersalibus æquinoctijs.

ttanseat,

transeat,ortus,& occasus minimè esse potest:sed deoptra super planũ posita ostendit in eadẽ fieri linea. Vlterius vndecimo,ꝙ nec ad ortũ,vel ad occasum accedat, ex vmbrarũ rationib.Nam non eadẽ q̃titas illarum,sed diuersa,antemeridiano,& pomeridiano tp̃e ab érectis vmbilicis caderet. Sicq; horarum q̃titas his tp̃oribus non esset eadem:ꝙ experimento contrariatur,quia vmbræ sunt æquales.Amplius duodecimo ex terræ quadrante non intercepto inter ortum,& meridiem.Q̃nquidẽ si terra in vniuersi medio minimè consisteret,tunc terræ quadrans non esset inter ortũ,& meridiẽ interceptus,homine existente in quouis loco:quia tunc alteri polorum esset proximior: neq; dierum noctiumq; æqualitates vbiq; locorũ singulis annis accíderent,quę sunt maxima inconuenientia.Nã tunc alter arcus,aut diurnus,aut nocturnus semper maior existeret,neq; sole in punctis æquinoctiorũ commoráte in eadẽ recta linea vmbrarum termini in planitie signati essent:quẽadmodũ per cacumẽ vmbrę Gnomonis terræ ad solẽ fixi,tũc apparet. Additur & tertia decima rõ ex proportione rotunditatis terreni globi ad cęlestis rotunditatem dep̃ptã:q̃ dubio procul ostendit terrã in vniuersi medio esse collocatã. Nã certæ & ꝓportionales partes globi terrestris,certis & ꝓportionalibus partibus globi cœlestis correspondent,& sm̃ latitudinem,& sm̃ longitudinem.Sm̃ latitudinẽ singulis meridiani partibus seu gradibus corresp̃õdent in terra sexaginta milliaria Italica,ac Germanica quindecim milliaria.Iuxta verò lõgitudinẽ singulis horis q̃ndecim gradus de æquinoctiali oriuntur.Si itaq; terra in medio vniuersi non consisteret,id profectò non fieret: q̃a æqualibus tp̃oribus inæquales arcus orirentur,& æqualibus meridiani portionibus inæqualia spacia rñderent in terra.Id aũt experientia falsum esse testatur.Ex q̃bus omnibus,cũ sint demonstrationes mathematicæ,q̃ sunt in primo certitudinis gradu,& naturales sequuntur eas: manifestũ est, & iam demonstratum,terram in medio vniuersi consistere,ac ꝑpterea in eo vt cẽtrum quiescere:Ergo necessario sequitur esse immobilẽ.Sillogyzetur itaq; sic.Cẽtrũ in circuli reuolutione est immotũ,at terra est centrũ mundi,q̃a in eius medio est posita,vt patet ex suppositis: ergo manet immota; Rõ Macrobij ex Cicerone. Quòd si dixeris non incõuenire terrã esse alterutri polorũ ꝓpiorẽ, quemadmodũ nonnulli ex Neotericis rentur,cũ non ęqualiter sit grauis ob cauernas:Ideoq; minus graue minus ad cẽtrũ tendere,cum grauitatis centrũ non sit idẽ cũ cẽtro magnitudinis.Rñdetur hos viros maxime halluccinari.Q̃nquidem cauernę ad totius terræ q̃titatẽ relatæ:insensibilis sunt certè magnitudinis.Et q̃uis in vna parte ꝓximiores superficiei appareant,q̃ in altera: non ob id ꝓpiores essent magis in vna cęli parte q̃ in altera.Probatur aũt id hoc argumẽto.Altissimi montes nullã causant diuersitatẽ respectu terræ,multo minus respectu cęli, qm̃ terra est veluti pũctus:ergo cauernæ multo minus sensibilem habebunt q̃titatẽ.Qđ aũt dicunt centrũ grauitatis nõ esse idẽ cũ centro magnitudinis terræ,nõ rectè dicũt:Cum terra æqualiter sit grauis;ergo æqualiter ad magnitudinis centrũ,ꝙ est terrę , & totius vniuersi centrũ:tendit.Differunt tñ largo modo vtriusq; centra,prout magnitudinis centrũ est id,ꝙ ęqualiter ab eisdem partibus distat. Grauitatis verò,ꝙ vtrũq; suspenso corpore ad ꝑpendiculum semꝑ versus vniuersale cẽtrũ pendet:& ꝙ corpore relicto ipsi vniuersali centro counitur,remotis omnibus impedimẽtis.Verũ ꝙ centrũ vnius non sit aliud à centro alterius,ꝓbatur ex terra,& mari, ex q̃bus vnũ constituitur totum seu vnicus globus. Sed arguitur ex proprijs. Si terra mouetur, aut mouetur in rectum,aut in obliquum,aut circulariter ; sed nullo horum mouetur,ergo in vniuersi medio fixa hęret,& immota. Probatur propositio minor,nam maior manifesta est sufficienti diuisione. Terra non mouetur nec in rectum , nec in obliquum, sic enim mundi medium relinqueret,quòd est impossibile. Nec circulariter ; Nam moueretur, vel super axe mundi, vel super alieno. Si super axe mundi,

Vndecima ratio ex vmbrarũ rationibus.

Duodecima ratio ex terræ quadrãte nõ intercepto inter ortũ &meridiem.

Decimatertia ratio ex proportione rotunditatis terræ ad cœlestem.

Rationes p̃ræ dictæ sunt demonstrationes.

Macrobii rõ altera ex Cicerone.

Responsio apparens.

Responsionis confutatio.

Ratio fortissima.

Centrũ grauitatis & cẽtrum magnitudinis idẽ: differunt largè.

Cẽtrum grauitatis nõ est se aliud à cẽtro magnitudinis.

Terram immobilem in medio consistere probatur ex proprijs.

mundi, tunc loqueretur, quòd Meteora, quemadmodum nubes, & fluctuantia, vel in aere volitantia, vt aues: ad occasum ferri viderentur; quia terrę circum actu prauerterentur, & longo relinquerentur interuallo: si autem super alieno moueretur axe: tunc poli altitudo nobis in terra quiescentibus non semper eadem esset: vtrumq; tamen est absurdum. At Gulielmus tametsi hanc non afferat rationem, respondere videtur, quod terra mouetur circulariter. Quippe quæ circumfertur non nouo, & alieno cursu, sed communi reliquorum planetarum inclinatione, ab occasu in ortum tendit; similis enim versus ortū iuxta signorum successionē, planetis omnibus motus. Si verò interroges, super quo axe voluatur: respondet super proprios polos à natura sibi destinatos. Sed contra: natura pp finem agit, si terra moueretur super proprios polos, ad quem finē moueretur? certe ad nullum. Nam cœli non mouentur nisi ob inferiorum generationem, quæ cessaret cessante cœli motu. Quare habent Theologi in fine seculi motum cœli cessaturum: quia non amplius generationi deseruiet. Itaq; cum ob generationem cœli motus sufficiat, superuacaneum est, dare terræ motum ad aliquid minimè deseruientem. Poli igitur terræ merè fictitij sunt. Amplius argumentatur sic. Si terra moueretur in circulum super polos suos, tunc nubes, & aues rapidissimo illo suo motu ad occasum relinquerentur. Probatur, quia cum terra minor sit ne dum cœlo, ad quod relata, puncti instar est; sed aqua & aere: tunc cum moueretur, omnia quæ in aere sunt à nobis retro relinquerentur; quia terra nequit aerem ambire, ac propterea secum trahere vbi sunt volitantia, fluctuantiaque, quinimò tota ab ipso cooperiretur. Cum igitur contrarium perspiciatur, signum est terram minimè moueri. Huic rationi videtur respondere Gilbertus, dum argumento ꝙ recentiores afferunt contra huiusmodi opinionem de Telluris motu, satisfacere conantur. Argumentum est. Si terra mouetur versus ortum, hoc rapidissimo motu quem dicit Gilbertus: ergo sequitur oceanum orientalem ita in regiones occidentales ab isto motu impingi debere: vt quæ terræ partes siccæ sunt, & ab aquis liberæ, singulis diebus orientali oceano immergerentur. Probatur, quia motus velocissimus est, spacio scilicet viginti quatuor horarum. Respondet huic rationi Gilbertus, quod oceanus ab illo motu non agitur, cum nihil resistat, & aer omnis circumfertur: ac eam ob causam in veloci terræ cursu, omnia quæ in aere sunt, à nobis retrò non linquuntur: & versus occidentē moueri videntur. Quare, & nubes in aere quiescūt: nisi vis ventorum impellat: & quæ proijciuntur in aerem cadunt rursus in locum suum. Sed hæc responsio nulla est. Quandoquidem cum aqua in decuplo sit terra maior iuxta communē aliquorum philosophorum sententiā, tametsi mathematicè iuxta nonnullos multo maior: in illo terræ velocissimo motu, (concesso etiã ꝙ si aqua præcise telluri æquaretur, ꝙ minimè in occidentales effunderetur regiones: cum nihil resistat) ea tñ pars, quę superat, non pōt negari, qui in occidentales regiones impingi deberet nullo resistente: tū quia superat, tum ex velocitate motus terræ. Nam resistentia requiritur, qñ locatum vel est minus, vel æquale loco. Illud aũt ꝙ inquit, omnem aerem circumferri, falsum est. Nam multo plus aer excedit tellurē, q̃ aqua, cum sit maius elemētum, nempe in centuplo; & iuxta mathematicos multo magis: ac propterea non pōt terra in illo suo motu velocissimo circūferri; non pōt certe minus secū trahere maius. Adde, ꝙ vtrumq; elementum est fluidum, aer præsertim cūq; modo huc modo illuc fluctuare cernatur, quatenus à varijs agitatur vētis, quomodo poterit eadē celeritate cū terra circūduci? & aer habet raritatem: ea pp non poterit terra aerē circumferre: sed vix illum qui telluris superficiem ambit, si terra moueretur: quem nec etiam circumferri credimus, cum terra aerem minimè contineat: ita vt sit locus eius formalis: sed cœlum est omnia ambiens, continens, & mouens, terra immobili permanente. Quare nubes non quiescerent,

Resp̄ōsio ad rationem ex Gulielmi doctrina.

Gulielmi Gilberti doctrinæ confutatio.

Ratio altera validissima contra Gilbertum.

Ratio recentiorum contra Gilbertū

Gilberti responsio.

Resp̄ōsionis confutatio.

Aer maior terra physicè, & mathematicè.

scerent, sed retro linquerentur occidentem versus cum reliquis in aere fluctuantibus, volitantibusq;: nec quæ in aerem proijcerentur, in locum suum à quo facta est proiectio, rursus caderent ob motum terræ velocissimum, sed alio loco. Deinde alio elenco vtcumq; à nobis superius tacto, huiusmodi opinio refellitur. Si terra tam rapidissimo moueretur motu, ergo tunc, cuncta in ipso contenta mouerentur, vel sentirent se moueri, vel viderentur moueri: At hoc non cernimus, signum igitur est, terram minimè moueri. Probatur prima consequentia. Nam si continens mouetur, necessariò sequitur, & contenta moueri, vel saltem sentirent se moueri, vel viderentur moueri. Sanè id est tam manifestum, vt probatione non indigeat. In redis namque, & in curribus, si qui stant, mouentur vtiq;, & sentiunt se moueri, & omnia in illis contenta cernuntur dubio procul moueri ad illorum motum. In nauibus certè, & cymbis qui nauigant, sentiunt se moueri, & vident cætera moueri: sed in terra nos degentes ad motum terræ non mouemur, nec sentimus nos moueri, nec cernimus alia moueri. Ergo huiusmodi sententia falsa est. At Gilbertus respondere videtur, quòd nos diurno terræ rotatu, motu scilicet magis cōuenienti, vehimur: & sicut Cymba supra aquas mouetur, ita & nos cum tellure conuertimur, & tamen stare nobis, & quiescere videmur. Hæc quidem responsio non satisfacit, quia nihil probat: Quinimò contra Gilbertum militat. Nam cum Cymba supra aquas mouetur, mouentur quidem omnia quę sunt in Cymba: & sentiunt se mouere, & videmus alia moueri. ergo si terra moueretur, & cum ipsa conuerteremur: stare nobis, & quiescere minimè videremur. Confirmatur id hac ratione. Cœlum cum magnitudine penè in infinitum terram excedat, tamen cœlum moueri cernimus: & omnia in ipso contenta moueri animaduertimus, & sentimus: Terra verò cum minima sit respectu cœli, si ipsa moueretur, multo plus videremus ipsam moueri, animaduerteremus nos moueri, & cætera in illo contenta dubio procul cerneremus moueri. Sed dicant nobis, quæso, quomodo ædificiorum consistentia saluaretur? si namq; sic rapidissimo motu moueretur terra, edificia procul consistere minimè possent: sed omnia certè corruerent; quia edificia sunt res additæ, & accidentales: Quare si corruunt aliquando terrę motu, quomodo non corruerent rapidissimo illo motu terræ spatio 24. horarum super axem mundi? q si dicerent, edificia non corruere ob nimiam motus velocitatem: sicuti non effluit aqua in vase contenta, si vas circumgyretur; Id prorsus friuolum est, & inane, ratio quidem est, cum non sit eadem vtrobiq;: quandoquidem totus aquæ impetus versus partes vasis inferiores imprimitur, sed impetus edificij imprimeretur versus partes extimas terræ: ac propterea edificia corruerēt, aqua vero non effluere, sicuti non effluit: quæ, si orificium eius ad extimas partes vergeret, nec consistere posset, sed efflueret etiam, q̄tumuis velociter circũuoluta. Deinde sagitta sursum directè proiecta magna vi, in eūdē recedit locū, ergo terra non mouetur: probatur consequentia, quia in alium locum impingeret, si moueretur: sicuti si quis in aliquam naui celeriter mota, existens, & lapidem vel sagittam sursum emitteret, non certè in eundem caderet locum. Amplius, motus iste terræ non est naturalis, quia vni corpori simplici vnus debetur tantum motus naturalis: atqui motus terræ naturalis est rectus ad centrum terræ cum extra ponitur: neq; præter naturam, scilicet ad cœli motum, quia tunc neq; astra orirentur, neque occiderent: cum vertici nostro semper eadem cœli pars immineret; quæ omnia dubio procul sunt inconuenientia maxima, & irrationabilia. Neque est dicendum, semper alium moueri axem obliquè secantem axem mundi, quia tunc poli altitudo non esset eadem in vna ciuitate, sed continuè variaretur, ad illum motum terræ citissimum: quia non describeret circulum parallellum circa

Ratio altera contra Gilbertum.

Responsio Gilberti apparens.

Responsionis confutatio.

Rationis cōfirmatio.

Ratio validissima ex ædificiorū cōsistentia.

Responsio ad rationem apparens.

Responsionis confutatio.

Ratio alia ex proiectione sagittæ.

Ratio fortissima ex motus discrimine.

Responsionis adducendæ confutatio.

polum, quæ omnia sunt absurdissima contra sensum, experimentum, & rationem. Nam polus Articus semper eamdem habet habitudinem, & supra Horizontem eleuatione. Subinde data hac Hypothesi, phœnomena non essent vera: & tamen dato opposito, multo facilius illa defenduntur. Fictitia igitur est opinio de motu terræ, fictitij poli, fictus motus, & irrationabilis. Sententia quidem sensui aduersa, experimento, & rationi, vt demonstratum est.

Opinio de motu Terræ, & Cœli stabilitate aduersa S. Scripturæ. CAP. VII.

EST si opinionem, quòd terra moueatur stante cœlo, sensui experimento, & naturali rationi aduersam, demonstratũ sit: reliquum est, firmis rationibus id ostendere, quòd aduersetur Sacræ Scripturæ: idq; aliquibus ipsius testimonijs, quæ cœlis mobilitatem, terræ verò stabilitatem ostēdunt. Primum itaq; testimonium erit Iosue X. vbi legitur quòd dum contra Gabaon pugnaret, & Sol ad occasum pergeret: victoriæ cupidissimus, quã timebat die illo amissuram, Sole deficiente, locutus est Domino: & luminaribus præcepit dicens. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon: Et sequitur scriptura. Steteruntq; Sol, & Luna, donec vlcisceretur gens se de inimicis suis. Et post pusillum. Stetit itaq; Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit autem, & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. Ex quibus arguitur. Si orauit Dominum Iosue, ne Sol moueretur contra Gabaon, & Luna contra vallem Aialon: Ergo cœli mouentur. Vlterius, si steterunt Sol, & Luna donec vlcisceretur gens se de inimicis suis, ergo prius non stabant, sed mouebantur. Amplius, si stetit Sol, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, ita, vt scriptura commemoret, nunquam fuisse antea, & postea tam longam diem, nimirum horarum triginta sex, vt quædam Glossa ait, ergo prius mouebatur, & parta victoria denuo ad motum suum reuersus est: quomodo igitur cœlum stat? Secundum testimonium erit 4. Regum cap. 20. & 2. Paralipomenon cap. 32. quod confirmatur Isaiæ cap. 48. In his locis præsertim in primo scribitur, quòd in diebus illis ægrotauit Ezechias vsq; ad mortem, & venit ad eum Isaias filius Amos Prophetæ: dixitq; ei. Hæc dicit Dominus Deus, præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues. Qui post fletum magnum, & orationem, antequam Propheta egrederetur mediam partem atrij consolatus est sermone Isaiæ. Vnde dicit scriptura: factus est sermo Domini ad eum dicens. Reuertere, & dic Ezechiæ Duci populi mei. Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lachrimam tuam, & ecce sanaui te. Die tertio ascendens templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annis &c. & apposita massa ficorum super vlcus eius, sanatus est. Dixerat autem Ezechias ad Isaiam, quòd erit signum, quòd Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertio templum Domini. Cui ait Isaias, hoc erit signum à Domino, quòd facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: vis, vt ascendat vmbra decem lineis, aut reuertatur totidem gradibus. Et ait Ezechias, facilè est, vmbram crescere decem lineis: nec hoc volo, vt fiat: sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in ho-

Primum S. Scripturæ testimoniũ de cœli mobilitate ex luminarium consistentia tempore Iosue.

Tres rationes ex supra dicto Scripturæ loco, eliciuntur.

Dies longior cæteris diebus tempore Iosuæ.

Secundum S. Scripturæ testimonium ex Solis retrocessione tempore Ezechiæ.

Ezechiæ annis quindecim additis sunt anni, & appositione massæ ficorũ super vulnus sanatus est.

in horologio Achaz retrorsum decem gradibus. Id quoque confirmatur (vt diximus) Isaiæ cap. 38. vbi legitur, quod Ezechiæ ægrotanti mortem minatus est Isaias Propheta ex parte Domini: dicens illi. Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues. Quo flente fletu magno, & orante ad Dominum, exaudita est oratio eius, & consolatus est illum Dominus per Prophetam dicentem. Ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos, &c. Deinde post pauca: hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est. Ecce ego reuerti faciam vmbram linearũ per quas descẽderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis. Et reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat. Quid ergo clarius de mobilitate cæli. Aliud deinde testimonium inspicitur psalmo 103 quo in loco Dauid Rex, & Propheta cęlorum mobilitatem ita cecinit. Fecit lunam in tempora, sol cognouit occasum suum, posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluę. Deinde post pauca. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Ex hac scriptura, quis non videt motum cælorum? in psalmo 18. etiam dici potest, quòd sol moueatur. Sed clarissimum testimonium nobis perhibet scripturæ locus in Ecclesiaste c. 1. quod scilicet sol moueatur. Dicit enim scriptura ibi, oritur sol, & occidit, & ad locum suũ reuertitur: ibiq; renascens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Ex quo testimonio manifestè habetur, cælum moueri, cum dicat, solem nasci, occidere, renasci, gyrare, & flecti: quæ omnia certè conditiones motus sunt. Cumq. hæc primi mobilis motu fiant, qui est ab ortu ad occasum (nam sol, & cæteri errantes contra nituntur, & si de sole dixerit, tanquam de magis nobis notis hæc fassus est Spiritus sanctus) signum certissimum est, cælum moueri, præsertim primum, à quo Gulielmus Gilbertus aufert omnino motum, conferens illi stabilitatem, terræ vero attribuit motum, ac violentum illum rotatum, auferens ab illo stabilitate. Videant igitur ipse, & eius asseclæ, alijq. huius falsæ opinionis nouatores, si rectè digressi fuimus, & sacræ scripturæ loca fideliter expendimus, recitauimusq;. At verò remanet etiam, vt ex ipsa, terræ stabilitatem probemus: itaq; duo tantum iam prærecitata loca citabimus, quia sufficient. Primum est psalmi 103. vbi Rex, & Propheta Dauid versiculo sexto in spiritu cecinit. Qui fundauit terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi. Secundum est Ecclesiastes cap. 1. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat. Ex quibus testimonijs clarè habetur terram immobilem persistere. At Eduoardus Vurightus in epistola quam Gulielmo Gilberto scribit: quæ ab ipso nuncupatur παραινεσις ἐγκωμιαστικὴ, vir quippe doctus, dicit: quod illa quæ è sacris literis afferuntur de terræ immobilibitate, nihil mobilitati terrenæ magnopere aduersari videntur. Neq. Mosis, aut Prophetarum institutum fuisse videtur: mathematicas aliquas, aut physicas subtilitates promulgare; sed ad vulgi captum, & loquendi morem: quemadmodum infantibus nutrices solent sese accomodare: neque minutias quasq. non necessarias consectari. Et quæ dicit, probans: citat Genesis locum capite primo, & Psalmi 136. vbi Moses lunam luminare magnum appellans: itidem Dauid dicens. Qui fecit luminaria magna: solem in potestatem diei, lunã, & stellas in potestate noctis: Non ideo magnum appellauere, quia re vera tale esset: sed quia nobis ita apparet. Quandoquidem stellas plerasq. tàm fixas, quàm erraticas, multo maiores esse Astronomiæ peritis constat. Vnde respondens primæ anthoritati sacræ scripturæ ex qua cæteris fieri satis credet, dicit: quòd ex illo psalmi 103. iàm præcitato, nihil solidi contra mobilitatem terrenam concludi posse, existimat: Quamquam dicatur Deus fundasse terram super bases eius, ne dimo-

confirmatio prædictorũ per locum Isaiæ.

Reuersio vmbræ linearũ in horologio Achaz decem lineis in Sole.

Tertium S. Scripturæ testimoniũ de mobilitate cæli ex psalmo 103.

Alius locus psal. 18.

Quartum S. Scripturæ testimoniũ de cæli mobilitate ex Ecclesiaste.

Motum cælorum discrimen.

S. Scripturæ loca terræ stabilitatem probantia.

Eduoardus Vurightus.

Scriptura iuxta eduoardum loquitur ad vulgi captum, & loquẽdi morem.

Eduoardi responsio ad S. Scripturæ auctoritatem.

dimoueretur in seculum. In suo namq; eodemque loco terra semper manere poterit, vt non vaga aliqua latione dimoueatur, aut extra sedem suam, in qua à Diuino opifice posita primum fuit, transferatur. Sicq; concludit, satis probabile esse, terram quamquam super centro suo, tanquàm basi, & fundamento immobili innixam: circulariter tamen moueri, circumferriq;. Sed non debebat Eduoardus hæc fari. Verum quippe est, Mosis institutum, & prophetarum non fuisse, vt mathematicas, vel physicas nos docerent: sed non potest negari, non fuisse, vt Dei mirabilia nobis reuelarent. Inter quæ cum sit terræ stabilitas, qua non potest inclinari; tametsi id ad naturalem pertinere possit considerationem: quia naturalis motum tantum considerat, sed non quietem, nisi per accidens: reuelatio tamen nec ad philosophum, nec ad mathematicum spectat, sed ad fidelem. Ea propter reuelauit Deus per Dauidem hoc mirabile: nimirum Deum fundasse terram super stabilitatem suam, qua non inclinaretur in sempiternum. Quòd autem inquit de luna, luminare magnum appellata, & tamen ipsam excedi certum est, tum ab inerrantibus; tum quoq; à planetis, ita quoq; à simili dicendum esse de telluris stabilitate: nihil valet. Ratio est, quia luna non dicitur solum magna ratione apparentiæ: verum ob claritatem, ob propinquitatem, & propter manifestos effectus. Quare Diuus Chrysostomus homilia sexta in Genesim tomo primo scribit; dici duo luminaria magna non tam quantitate quàm efficacia, & virtute. Quia & si aliæ stellæ sint maiores quantitate quàm luna: effectus tamen lunæ magis sentiuntur in istis inferioribus. Terra autem dicitur immobilis ratione existentiæ: quia sic Deus eam fecit immobilem, ne rerum ordo mutaretur præsertim elementorum. Nam si moueretur, sentiretur quidem moueri: & cerneretur sicuti cœli videntur. Quod autem tertio asserit ex scripturæ locis, præsertim ex illo Psalmi citato, non posse aliquid contra terræ mobilitatem concludi, tum primo, quia Moses, & Prophetæ ad vulgi captum, & loquendi modum loquuti sunt: quemadmodum nutrices solent infantibus sese accomodare: tum secundo, quia cum dicitur Deum terram fundasse super stabilitatem suam, ne dimoueretur in seculum intelligitur: stantem terram super centro suo, ab illa non posse recedere: vt vaga aliqua latione dimoueatur: non autem vt circa centrum non moueatur, à quo tamen non possit recedere: Hæc inquam nullius sunt momenti. Quinimo multa ex his sequuntur inconuenientia. Sequeretur primo quòd omnia, quæ Moses, & Prophetæ præcinuerunt, non esse vera: sed per modum loquendi, & ad vulgi aures accomodata. Quod dicere, sit iniuria Deo, qui est author scripturæ: ac propterea sequitur, scripturam non dicere verum. Quæ etenim per modum loquendi fantur, & ad aliorum captum: non sunt vndequaque vera. In Genesi Moses, vt populum de fide creationis instrueret, loquutus est ad vulgi captum, quia creatio articulus fidei est: nec ratione naturali demonstrari potest. Creauit quippe Deus omnia simul quo ad rerum substantiam quodamodo informem: nihilominus tamen distinguit dies Moyses, quia quantum ad formationem per distinctionem factam atq; ornatum, non omnia simul. Præterea dicit terram ante cerationem fuisse inanem, & vacuam, quod vtique creationi repugnat, cum facta sit ex nihilo: ita vt nec inane, nec vacuum, nec Caos præcesserit creationem: quia ex nihilo facta est: sed Moyses, vt rudem populum instrueret; hæc & similia ad vulgi captum, & loquendi morem de rerum primordijs fassus est: quo intelligeret populus, quomodo ex nihilo Deus cuncta condidisset. Materiæ informitas vtique non duratione formationem eius, aut distinctionem præcessit, sed natura tantum: nihilominus tamen Moyses nunc terram, nunc aquam illam vocauit, ac si tempore præcessisset: quia rudi populo non poterat illam exprimere nisi sub similitudine re-

Confutatio responsionis Eduoardi.

Responsio ad Eduoardum de Luna, appellata luminare magnũ.

D. Io. Chrysostomus.

Inconuenientia magna, quæ sequuntur ex dictis Eduoardi.

Creationis descriptio à Mose.

Terra inanis & vacua ante creationẽ quomodo sit intelligitur.

Materiæ informitas.

ne rerum eis notarum, licet similitudinem cum terra videatur habere; quatenus subsidet formis: & cum aqua prout formis diuersis formari apta conspicitur. Sic itaq; intelligitur terra inanis, & vacua inuisibilis, & incomposita: quia per formam materia cognoscitur. Secundo sequeretur res fidei à Deo nobis reuelatas, esse ad vulgi captum accomodatas: & iuxta loquendi modum, & non secundum rei veritatem. Quod certe impium est dicere, cum omnes naturæ facultates excedant: ac propterea fidei mysteria, quæ prophetæ ex reuelatione nobis præcinuerunt, sicuti reuelarunt, ita intelligenda sunt: salua semper intentione Spiritus sancti, saluis semper sacræ Scripturæ sensibus, sanctorum Doctorũ glossis, interpretationibus, commentarijs, explicationibus, catholicorumque hominum scriptis, & digressionibus: nam qui loquitur in propheta, loquitur in interprete: salua demum Catholicæ atq; orthodoxæ Ecclesiæ definitione. Idcirco cum omnes ferè sacrarum literarum interpretes Scripturæ loca de terræ stabilitate explicantes, ipsam nullo modo mobilem, nec ad mouendum aptam concludant: sequitur necessario ipsam immobilem persistere. Si terra motum habuisset, ita in sui primordio creata, dubio procul manifestasset nobis scriptura: quemadmodum dicit cœlos moueri, quia reuera mouentur, ita dixisset de terra, quòd moueretur: si ad se mouendum creata fuisset. Sed dices, quid fidei repugnare est, quod terra moueatur, cum hoc ad naturalem pertineat theoriam? Respondemus sanctum Regem in toto Psalmo Dei sapientiam, prouidentiamq; in rerum gubernatione describere. Nam postquàm Dei naturam, & magnificentiam explicuit, dum lucem inaccessibilem habitare fassus est, dicens: amictus lumine sicut vestimento; descendit ad creaturarum ordinem, loquens de cœlis: quorum superiora tegit aquis. Deinde explicat eius prouidentiam, ponens nubem ascensum eius, & iter super pennas ventorum. Vlterius ministros eius tangit Angelos scilicet, vocans spiritus, & ignem vrentem. Deinde terræ fundationem super suam stabilitatem ponit, & quòd non potest in seculum seculi à suo loco nullis motibus dimoueri. Quæ sententia cum sit ea verborum grauitate ornata, tot rerum circumstantijs circumscripta, eò dicendi modo presso, ea vocabulorum energia explicata, vt nihil amplius desiderari possit de terræ stabilitate: signum quippe est, terram reuera stabilissimam, nulloq; motu moueri posse in sempiternum. Dauid itaq; ex reuelatione Spiritus sancti hæc prompsit: ideò veritatem nobis aperuit. Contra igitur sacram Scripturam militare videtur opinio de terræ mobilitate. Nec valet dicere, non repugnare eius authoritati telluris mobilitatem, cum intelligatur immobilem esse terram, nec dimoueri in seculum seculi, quia non potest à suo loco remoueri, ita vt locum relinquat, & extra locũ vagetur: cum hoc tamen stat, quòd rotetur in gyrum: Hoc certè non valet, quia etiam cœli quamuis per gyrum moueantur: non recedunt tamen à loco suo. Nihilominus sacra Scriptura semper cœlis motum attribuit, terræ verò stabilitatem, immobilitatemque: non nisi quia ita est veritas. Cur de cœlis non dixit, qui posuit cœlos super stabilitatem suam, non inclinabuntur in seculum seculi? certe non ob aliud, quia non sunt stabiles, & immobiles. Quod si dixisset etiam, dubio procul cum moueantur, intelligi deberet sententia, quia scilicet non derelinquunt vaga aliqua latione locum suum, quia circum circa gyrant: nulla igitur differentia esset inter cœlum, & terram. At certe non nisi stabilitatem attribuit: signum certe, quia stabilis, & immobilis vndequaq; perseuerat. Sed addendum putamus, quòd & si sacræ Scripturæ institutum non fuerit, vel physicas, vel mathematicas, vel alia & similia naturali lumine adinuenta, nos docere: nihilominus tamen cum illas nobis proposuerit, credendum est omnia, & similia axiomata esse vera: quinimò illis firmiora, quæ tradiderunt

Secundũ inconueniens per Eduoardum.

Ratio fortissima de terræ stabilitate.

Dubium.

Responsio.

Psalmi 103. explicatio circa terræ stabilitatem.

Confutatio doctrinæ de mobilitate terræ.

Sacra Scriptura cœlis semper motũ, terræ stabilitatem attribuit.

Sacra Scriptura docet etiam scientias naturali lumine adinuentas.

diderunt philosophi. Cum hi naturali lumine, quod sæpe fallit, exposuerint: illa verò nunquàm fallat, cum lumini reuelato innitatur. Secus dicendum Deum, qui est reuelator, esse mendacem. Quærimus igitur, quæ est verior philosophia, illa quæ à sacris habetur literis, aut quæ à meris philosophis? Quis de naturalibus veritatem magis aperit, nosq; certiores facit, scriptura quando enarrat, an mera philosophia? si ex scriptura aperte habemus cœlorum mobilitatem, & terræ stabilitatem, vt quid vel immobilitatem cęlo tribuere, vel terræ circularem motum? summæ certè dementiæ est. Immortales quidem immortali Deo habere, agere, & gratias referre debemus; qui etsi nobis intellectum tribuerit ad rerum naturas inuestigandas: multa tamen illarum in scripturis nobis manifestauit. Cæterum cum Eduoardus existimat satis probabile esse terram, quamuis super centro suo tanquàm basi, & fundamento immobili innixam, circulariter tamen circumferri: relinquendus est cum sua probabilitate improbabili. Nam exercitij gratia sustineri, quidem poterit ad excolenda adolescentum ingenia, tamquam probabilis physice hæc assertio: non quod sit in se vera: sed rationibus friuolis, & fugacibus responsis: Tametsi tanquam veram amplectatur eam Gilbertus; & si dicat, probabile etiam esse, id fateri. Sed summopere miramur insignem illum Copernicũ, qui vt suis hypothesibus, & inuentis fieret satis: in hanc quoq; lapsus est sententiam; vt terra scilicet illo suo motu volueretur. Res planè tanto viro indigna: cum alijs certe fundamentis sustineri, saluari, atq; probari possint, quæ assumit: phœnomenis quidem ipsis, atq; obseruationibus tum vetustis, tum quoq; recognitis. Res quoq; indigna Philosophis, Mathematicis, & Theologis. Verum non omnia hic afferre licet: vbi abundantiora alibi habes. Quandoquidem in nostris prærecitatis operibus videbis cuncta discussa, atque diluta: quæ scilicet ad huiusmodi tractationem pertinent, & rationibus quibuscumq; etiam Copernici plenè satisfactum: physicè, mathematicè, & theologicè.

Opinio de terræ mobilitate circulariter super centro suo probabilis dicitur dà Eduoardo.

Copernici opinio de terræ mobilitate.

Mutationes temporum ex his quæ in terra, vel circa terram: in aere, vel circa aerem fiunt. *Cap. VIII.*

SATIS in euertenda opinione de motu terræ, & quidem fictitia morati fuimus, plus quàm putabamus: sed non potuit aliter fieri. Fusius tamen digrediemur in nostro tractatu de motu terræ, sicuti copiose in de rebus Meteorologicis; & in eo opere, cuius inscriptio est: opiniones hominum de Deo, & creaturis. Nunc ad temporum mutationes præsagiendas ex terrestribus, seu mixtis reuertemur. Sed in primis initium auspicabimur ex his quæ in terra, vel circa terram contingunt, aut cernuntur: deinde quæ in aere, vel circa aerem fiunt, vel apparent, vel sentiuntur: tanquam nobiliora reliquis. Dicimus nobiliora respectu loci, & causæ. Nobilior certe est aer aqua, & hæc terra. Fragor itaq; nemorum si audiatur, & foliorum commotio si sentiatur, vel motus arborum absq; sensibilibus ventis si perstrepat: pluuias indicant, vel tempestates portendunt, vel validissimos ventorum flatus significant. Causa est occultus exhalationum ascensus, abdita & inuisibilis vaporum circumuolutio in nemoribus circa arbores in infima aëris regione prope terram: quæ vel ventorum, vel tempestatum, vel pluuiarum sunt indicia. Ob id in aliquod illorum conuerti necesse est: sed timenda magis est tempestas; in hanc etenim resolui solet huiusmodi surdus sonus.

Nemorum fragor, & foliorum commotio.

nus. Sed vaticinare tu iuxta quantitatem, & soni durationem, ac etiam qualitatem: Nam talem prętendet effectum. similiter montium in vniuersum, & syluarum stridor, & mugitus quidam ventos pollicentur, sunt namq; ventorum signa. Virgilius, & Plinius. Odor quoq; cum per aerem deferatur, & ipse quoq; mutationem temporis indicat: Nam nimiam odoris fragrantiam, maxime in floribus, pluuiæ indicium esse: sapientes experti sunt. Leues insuper paleæ, frondesq; si superuolitauerint: ventos, aut pluuiam cum tempestate portendunt. Si fumus ex tectis inuictus cedit, eadem ferè vaticinanda sunt: quæ iam de paleis frondibusq; sunt dicta. Plinius lib. 18. cap. 34. versus finem inquit, quòd terra siccescens repente, Aquilonem prænuntiat: humescens rore occulto, Austrum. Theophrastus vero scribit, quòd terra, si nigram se se oculis cernendam præbeat, Aquilonios ventos promittit: si albam, Austrinos. Vtriusque quidem causa eadem ferme est, nempe aer crassior, quem ab Austro maxime proueniri, valde consentaneum est: ac propterea humescit terra, & albam se ostendit rore occulto, qui albus est. Quòd autem siccescat, & nigram se prebeat, ventus Aquilonius certè est, qui ficciora cuncta reddit. Vnde Horatius Poeta lib. 2. satyra 5. cecinit.

Odor per aerem.

Terra siccescens, & humescens: nigra & alba.

Horatius.

Siue Aquilonio radit terras: siue bruma niualem
Interiore diem gyro trahit:

Cumq; ventus ille tranquillum, & serenum aerem faciat, quia nubes expellit, & minus aerem perturbat, & omne tale nigrum ostendat: consequens est, vt terra nigra Aquilonios flatus, alba Austros præsignificet. Vide philosophum probl. 37. sect. 26. Si montium cacumina solito altiora appareant, vel insulæ ex vna multæ ementiantur: austrinam promittunt mutationem Theophrasto. Eadem ferè causa, nempe aeris crassities, atq; humiditas quæ res solito maiores, & plures apparere faciunt. Montium sonitus ventos Australes, & pluuias prædicunt. Tert. reg. cap. 18. Et ait Elias ad Acab. Ascende, comede, bibe: quia sonus multæ pluuiæ est: Erat Elias ad radices montis Carmeli prope torrentem Cison. Vnde sequitur scriptura, cumq; se verteret huc, atq; illuc, ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis. Ex montium sonitu possumus prædicere ventos, & pluuias, sed magis ventos: ex littorum verò pluuias, & ventos, sed magis pluuias, causa est manifesta, quoniam pluuiæ magis aquis sunt similes, quam terræ, idcirco plus aquas, quàm ventos ex littorum sonitu prædicere possumus: At venti plus montibus, & terræ cauernis sunt symboli ob porositates, quàm aquis: ob id magis ventos, quàm pluuias montium sonitus pręsignificant. Vnde Theophrastus montium sonitus ventos prædicere, scripsit. Idem sentit Virgilius. Qui aridum fragorem in montibus altis ventos tantum præsagire, cecinit.

Montiũ cacumina solito altiora, insularũ pluralitas.

Montium sonitus.

Temporum mutationes ex his quæ in aqua, vel circa aquam fiunt. CAP. IX.

Vapores ex aquis.

VAPORES ne dum è terra exhalant, sed ex aquis quoq; præsertim cum ex aqua, & terra vnus constituatur globus. Idcirco dicenda sunt ex his, quæ circa ipsam apparent, vel fiunt, aut sentiuntur: pręsagia temporum. Aqua stagnorum plus solito si calidior fuerit absente Sole: magne pluuiæ est indiciũ. si alicubi aqua scatu

Aqua stagnorum.

Aqua scaturiens.

Aqua scaturiens. riat, vbi prius non solebat, vel si vberius solito scaturiat: grandem pluuiam indicat. Causa est manifesta, quia huiusmodi aquarum abundantia magnarum exhalationum, & vaporum est indicium: quas in pluuias conuerti necessariò sequitur. Aqua pluuia si desiccetur. Aqua pluuialis quæ ceciderit, si subito deßiccetur vltra solitum absque vento: pluuiam magnam portendit. Causa est terræ siccitas, quæ cum aqua pluuiali in se recepta Solis virtute, exhalationes vaporat: quas in pluuias conuerti, maximè consentaneum est. Fontium, & flumiorũ auctio. Fontium, & fluuiorum multitudo nimia, & augmentũ plus solito:pluuiam futuram pronuntiat. Bullæ super fluuios pluri mæ. Bullæ plurimæ si super fluuios enatarint: ingentes imbres minantur Theophrasto. Causa horum est, humor ab aere & spiritu pulsus ex imo aquæ ad supremum. Nam Aristoteles probl. 4. sect. 23. ita scribit: bullas scilicet fieri humore ab aere, & spiritu, ab inferis ad superna expulso. Bullarum generatio. Cum igitur plurimæ enatauerint, signum est, abundare humores, ac propterea ingentium imbrium esse indicium. Bullæ non ab antiparistasi fieri possint. Vtrum autem ab antiparistasi calidi, & frigidi possint & hæc prouenire, posset dici; si hæc sola assignetur causa, minimè: si verò & hac etiam concurrente, non posset negari. Ratio quidem est, cum sæpius bullæ accidant contra antiperistasis tempus: puta neq; in summo frigore, neque in summo calore; signum igitur est non ob antiperistasim dumtaxat nam absq; hac bullæ etiam enatant, & imbres adueniunt ingentes: ergo aliæ sunt causæ præter antiparistasim. Mare repẽtè trãquillum. Mare si de repente tranquillũ euadat, flatus mutationem, vel incrementum præsagit Theophrasto. Causa certè est, quoniam priori sedato vento, sequitur necessariò alius, qui potest augeri fumidis exhalationibus è mari ascendentibus. Maris fluxus & refluxus. Maris refluxum aquilonios flatus, fluxũ austrinos prænuntiare, inquit Theophrastus. Nam si fluxus ab Aquilonijs spiritibus prouenerit, in Austrinis mutationem fieri, par est: si autem refluxus, ab Austrinis fit mutatio in Aquilonios. Maris æstus. Verum enimuero hæc cum sale intelligenda sunt alioqui sunt falsa: quia cum maris æstus, bis quotidiæ senis horis accidat sigillatim, sequeretur, quòd singulis diebus Aquilonij flatus essent in refluxu, Austrini in fluxu, quod certè nedum absurdum putari debet, sed ridiculum. Debet itaq; intelligi sic nimirum, quòd existente maris refluxu magno, & notabili, ita, vt fluxum excedat, tunc vtique refluxus Aquilonios dat flatus: & è regione si fluxus ingens fuerit, & refluxu maior: tunc dubio procul Austrini erunt expectandi flatus. Maris fluxus & refluxus quid sint. Quid verò sit Maris fluxus, & refluxus, dicendum est. Maris fluxus est ipsius motus à centro ad circumferentiam, & ab imo ab superficiem, cum redundat, & augetur: Refluxus autem, è contra est motus ipsius à circumferentia ad centrum, & à superficie ad imum; cum scilicet, paulatim se restringit, & minui cernitur: vtrumque verò prouenit à Lunæ motu, vt diximus alias. Spirituum nomine quid intelligi debeat. Quid autem nomine spirituum Theophrastus intelligat? dicendum est, ipsos met flatus vel Aquilonios, vel Austrinos, hac tamen lege: quòd si extra, & supra mare fiant, venti, seu flatus dici debent, si intra, spiritus. Quare Aristoteles in calce libri 4. de animalium ortu, maris æstum in spiritus retulit, hoc est, in flatus intra mare conceptos, & genitos: non quòd spiritus sint res aliquæ, ex quibus mare constaret; quemadmodum in animalibus, & plantis: huiusmodi namque sunt viuentia, Mare verò non dicitur viuens. Mare intumescens, ripæ, & littora resonãda. Mare in tumescens, ripæ ipsius quasi vocem edentes, littora si resonabunt: Theophrasto, Arato, Virgilio, & Plinio ventos augurantur. Causam affert Plinius, sæpe & silentio intumescit: factumque alius solito, iam intra se esse ventos, fatetur. Virgilius de omnibus hisce sic cecinit.

Conti-

Continuò ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis
Montibus audiri fragor: aut resonantia longè
Littora misceri; & nemorum increbescere murmur:

Plinius quoque scripsit, quòd si mare tranquillum in portu à cursu stabit, & intra se murmurauerit, ventum prædicit. Si identidem, & hyemem, & imbrem. Littora ripæquè, si resonabunt tranquilla asperam tempestatem: Item maris ipsius tranquillo sonitus, spumæque dispersæ, aut aquæ bullantes; & in campis etiã tempestatem venturam præcedens suus fragor: nam cœli murmur non dubiam habet significationem. Porrò (vt ab alijs quoque obseruatum est) illius tumor, citra pluuias, ventos etiam, & tempestates portendit. Nimia maris agitatio conturbatioque, pluuias quoque non modicas annunciat. Cum aqua in nocturna nauigatione ad remos scintillat: tempestas erit. Nimius vaporum, & exhalationum concursus super mare est huius causa. Brachium in mari immersum, si vento repercutitur, nullis ventis supra mare flantibus, temporis manifestam mutationem indicat: erit namque tempestas, ventorum flatus, & pluuia. Nam est signum, quod vapores, exhalationesq; à maris centro ascendunt: quæ sunt causæ similium temporis mutationum. In vniuersum itaque maris tumor, sonitus, & fluctuum, atque promontoriorum cauernæ, & littora dum resonant; ventos manifestant, & præsæpe tempestates. Cum flocci àquis supernatant, aut in supræma nantes aqua, colludere plumas videris: ventos, & tempestates, aut pluuias futuras indicant. Guttæ ex tectis manantes, si lentius cadant, ac quasi hæreant: grauioris hyemis, & gelu indicia sunt.

Plinij præsagia.

Aqua maris ad remos scintillãs noctu. Brachium in mari immersum.

Flocci, & plumæ in aquis. Guttæ ex tectis manãtes.

Præsagia temporum ex his quæ in igne, vel circa ignem fiunt.

CAP. X.

IN nostro elementato igne pleraque fiunt, vel apparent, quæ manifestas temporum mutationes indicant: vt vetus docuit obseruatio. Flamma igitur ignis si flexuosè volitet, aut cum lumina ex se flammas elidunt, vel vix accendantur, aut sublatis ab igne olis, eisdem carbo adhæreat: aut cum ignis scintilla, fauillam emittit, quæ discutit, aut cum cinis in igne concrescit, aut carbo vehementer perlucet: hæc quidem omnia ventos significant, corruscationes, & tonitrua portendunt: & simul signa sunt: futuræ pluuiæ, vel ninis. Agitatur namque ignis à diuersis vaporibus, exhalationibusque, quæ omnium supradictorum sunt causæ. Rursus si in lampadibus ardentibus, aut in testa oleum scintillare videris, aut putres illic concrescere fungos: ventorum, aut tempestatis, & pluuiæ futuræ est indicium (modo non sit oleum aquatu admixtum). Causa est, quia tunc aere admixtus oleo, est humidus: qui cito in pluuiam vertitur. Carbones sero, vel de nocte scintillantes æstum denotant. Cum carbonibus cinis leuiusculus hæret: pluuiam promittit. Cum ollæ concoctum adhæret pulmentarium, nec nisi adustum patellis obsoniũ odoratur; pluuiarum, aut ventorum, aut tempestatis præsignificationes ostẽdunt.

Ignis, lumina.

Carbo.

Cinis.

Lãpades ardentes scintillantes, & fungi.

Carbones, & cinis.

Pulmẽtariũ, & obsonium

Verum enimuero opere pretium ferè arbitramur hæc, & similia penitius inquirere, digredi, explicareq; causis, rationibusq;, atq; illustrium virorum placitis. Terreni itaque ignes pallidi, & murmurantes tempestatum sunt nuntij, Plinio. Causa est vaporis, & exhalationis dominium. Ignis si tegi nequar, Arato pluuias, Theophrasto, & Theoni in Commentarijs, tempestatis signum. Plinius autem inquit, aut cum contectus ignis à se fauillam discutit, scintillantq; emittit: signum tempestatis. Causa horum est aer, qui vaporibus comitatus, ignem tangit, & discutit: & cinerem quoq; ob illius raritatem, vnde & scintillare eum facit. Cinis etiam si concrescat, niuem imminere innuit. Theophrastus, Aratus, & Theon. Causa est nimia aeris humiditas cum frigiditate coniuncta: nam sola humiditas non sufficit ad niuem generandam, significandamq;. Porrò autem Plinius hanc cineris accretionem, tempestatem presagire, scripsit. Circa lucernas, aut per lucernas si Irides perluceant, Austrinos imbres metuendos admonet, Theophrasto. Causa est, quia aer humidus, & crassus euadit, ac ideo pluuiosus, quæ Austro vigente, fiunt. Sed de Iridibus, quæ circa lucernas fiunt, lege Aristotelem 3. Meteor. Cap. 4. Fungi circa lucernas pluuiam portendunt vigente Austro: quinimò & ventum pro ratione magnitudinis, & multitudinis. Nam si exigui, & milio similes, splendidiq; fuerit: non ventum indicant, sed aquam fore, Theophrastus docet, & Aratus; licet Theophrastus in libello de signis vẽtorum dixerit, fungos, vel aquam, vel Austrinum ventum promittere. Plinius pluuiarum nuncios autumat. Causa est aeris crassities, & humiditas, quæ cum flammam impediant, ne liberè volitet, & fluat: augetur in modum fungi, ab humido continuati; nam Philosophus multis in locis, & præsertim 4. Meteororum, omnia humido continuari, scripsit: Ergo expectandi sunt imbres. Theon præter aeris humiditatem, crassitiemq; ex continuis fauillis fungos augeri: adnotauit. Virgilius primo Georgicorum, fungos tales ob aerem crassum, & humidum, putres cecinit: & in oleum retulit.

— testa cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

Ceterum duas affert Theophrastrus conditiones fungorum, vt aquas præsignificent. Prima est magnitudo, Secunda numerus. Nam parui, exiguiq; & milio similes cum splendore, aquam expectandam esse, & non ventum. Igitur è contra si fungi magni fuerint, & multi, præter pluuias, ventum quoq; præsagire, procul dubio Theophrastus intendit, Et hoc est, quod forsan explicare voluit in libello de signis tempestatum, dicens. Et dum hyeme fungi innascuntur, & cum multis quasi millj granis pleni fuerint: tempestatem portendunt; nam tempestas ex aquis, & ventis simul consurgit. Bene tamen verum est, quò propriè tempestas ex fungis consurgat, tria requiri in fungis iuxtà Theophrastum: nimirum, tempus, qualitas, & numerus. Tempus, vt sit brumæ: qualitas, vt fungi sint nigri: numerus, vt sint multi. Primum, quia facilè tunc temporis etiam tranquilli, humido vigente, fungus generatur. Secundum, quia ostendit humoris abundantiam: tertium deniq; cum multa pauca faciant vnum satis. Nec immemores sumus, Theophrastum in libello de signis tranquillitatis scribere, quòd si multa veluti milij grana, splendida in extrema sui parte habeat (idest lucerna) portendere tranquillitatem: Hæc certè supradictis minimè obstant, nam vera sunt, supposito, quod cælum sit nubilum, & perturbatum: quia demonstrant aerem ficciorem euadere; quemadmodum è contra, supposito cælo sereno, si ellychinium ardens eadem grana circumdauerint, niuem polliceri etiã iuxta Aratum, & Theonem: quia nimirum ostendunt aerem humidum reddi, & ad

Ignes pallidi & murmurantes.
Ignis non potens tegi, vel tectus fauillam discutiens.
Cinis si constat.
Irides circa lucernas.
Fungi circa lucernas.
Fungorum causa.
Virgilius.
Fungorum, vt aquas præsignificent: conditiones duæ.
Fungi, vt tẽpestatẽ præsagiant.
Fungi quando tranquillitatem annunciant.
Ellychinium granis circũdatum niuem.

ad frigiditatem tendere, vt ex ficciori nube generetur: & si splendida linea ellychinium ambiat, signum esse tranquillitatis. Causa est splendoris puritas in illa, non enim argumentum est alicuius admixtionis, sed cuiuscunq; expers. Similiter lucerna perturbato cœlo, quiete ardens, tranquillitatem præsagit. Ratio est, quia, & si cœlum sit nubilum, & perturbatum, vt quiete ardeat, libera certe ab omnis humoris specie ostenditur: ac propterea serenitatem, & aeris tranquillitatem polliceri. Quemadmodũ è Regione, Si lucerna respuat accendi quod Plinius dicit, & lumina cũ sese flammas elidũt, aut vix accendũtur, signũ esse tẽpestatis; & Theophrastus, lumina murmurãtia cum ardent, non quieta, nuncia tẽpestatũ; sed ventorũ iuxta Plinium. Porro autem Theophrastus ad pluuias reiecit in libello de signis pluuiarum triplici limitatione, prima, vt sit per hyemem: secunda, vt sit quasi bullas relinquens, seu ampullas iuxta Aratum: tertia, vt vix accendi possit. Inquit enim, Cum lucerna per hyemem ex sese flammam elidit, quasi bullas relinquens, & vix accendi potest: pluuias præsagit. Causa quidem est nimia aquosæ humiditatis copia, cum igne decertans, & vincens. Aristoteles in oleum reicit, quemadmodum & Virgillus. Vnde 4. Meteororum docet, frigus ambiens, & extrinsecum partem aeream olei conuertere in aquam: quæ cum à flamma attrahitur, eliditur ab illa, & discutitur, quemadmodum aqua ab igne. Sed & radij quoque lucernæ temporis mutationem decernunt, si in eam euolent iuxta Theophrastum: hoc est si corruscent, vel vibrent, & in eam reflecti cernantur; hoc certè pluuiarum signum decernitur. Causa est, multum humiditatis, ac crassitudinis in aere dominari. Cumq; ob id medium summopere densetur, coaceruatum lumen in ipso splendidius euadit: & sic euolari, vibrare, reflecti, & cet. cernitur. Arati interpres explicuit, quòd si radij ad ipsam lucernam non splendeant: pluuias dabant. Causam reddidit Theon ob aeris humiditatem, & crassitudinem, lucernam non posse ad debitam lucere distantiam: ac propterea radios iacit imbecilles, & tenues: qui à lucerna seiuncti cernuntur; & hoc est, quod euolent. Sed iudicent alij. Ollæ scintillantes pluuiarum sunt signa Theophrasto. Et causa certè est toties repetita, nimirum aeris humiditas multa, & crassitudo: quæ vapores ex ollis emissas, scintillis similes apparere faciunt. Hæc quoq; causa est, cur, cum pulmentarium concoctum fuerit, ollæ adhæreat, & obsonium non nisi adustum patellis odoretur; & hæc pluuias, vel ventos, aut tempestates, vt nonnulli rentur, præsignificent: causa quidem est, aeris humiditas, & crassitudo, qua repletur, pulmentarium, ita vt maius reddatur, ec ideo ollæ adhærere, sequitur, vt nequeat extrahi: in obsonio impeditur odor ob eamdem quoq; causam, quia medium crassius redditur, quod obsonij odorem aufert.

Ellychinium splendida linea, tranquillitatem.

Lucerna quietè ardens.

Lucerna si respuat accendi;

Lucerna flammas elidens.

Lucernæ radij euolantes

Aratus. Theon.

Ollæ scintillantes.

Pulmentariũ concoctum.

Temporum præsagia ex auibus in vniuersum. Cap XI.

INTER animalia quæcumq; sint illa, nulla magis temporum mutationes præsentiunt, vti volatilia. Partim quia ex tenui, subtiliq; materia constant, ac propterea sensibilius vaporibus tanguntur, exhalationibusq; afficiuntur: tum quoq; quòd in aere habitant, illumq; semper circumuolãt: vbi omnia meteora fiunt. Idcirco præcæteris animalibus magis præsentiunt temporum mutationes: quæ & nobis quoq; ostendunt diuersis indicijs. Nos igitur de auibus in vniuersum dicemus, primo quid nam portendunt circa tempotum qualitates: deinde de aliquibus seorsum, & in particulari. Aues itaq; in multitudine volantes ante

Volatilia præceteris magis tẽporum mutationes præsentiunt.

ante diem aeris serenitatem indicant. Si autem de sero, & de nocte: signum est æstus. Aues rostris pennas suas mundantes, vel pediculos quærentes pluuiam significant; & imbres.

Aues arboreæ ad nidos fugientes. Strepitũ cũ alis facientes.

Aues quæ arbores colunt, si ad nidos fugiant: pluuiam significant. Omnes communiter aues cum alis strepitum faciant maiorem, quàm soleant: futuram indicant pluuiam. Si in hyemis initio aues paruæ in magna multitudine congregentur in campo, quærentes cibum: signũ est magni frigoris, & gelu, atq; validarum tempestatum.

Volucres terrestres clamorem, circa aquã dantes.

Cum terrestres volucres clamorem dant circa aquam,& præter solitum,se lauantes: pluuiam significant. Causa est,quia eorum complexio lætatur aqua: & præcognitione elementi ad pluuiam mutati summopere gratulantur. Volatilia aquatica omnia si in gelu principio aquas magnas quærunt, & incõgelabiles iuxta mare: signum magnæ durationis gelu extat

Aues dulciũ aquarum, lauantes se, & in aqua ludẽtes & cet.

Aues marinæ si in littore maris alas non expandant: signum certe est serenitatis. Causa est,quia non extimulantur vaporibus, vel exhalationibus ad meteora mutabilibus. Aues dulces aquas colentes, si lauent se, & in aqua ludant, alas agitando: pluuiam præsignificant. Gaudent etenim elemento sibi connaturali,& prædominante, in pluuiam conuerso.

Aniculæ in folijs lætiores perstrepentes.

Auiculæ si perstrepant in folijs lætiores inter se, maiorique dulcedine: imbres annunciant. Fit namq; penes animantia quęq; mira mutatio, Dum scilicet vel tempestas, vel mobilis humor vires mutant: quòd mutentur quoq; animorum motus in pectore, iuxta Virgilium, vt nunc alios quã dum cingebant nubila, polos affectus concipiant. Vnde nimirum auium concentus maior solito procedat, lætiores saliant pecudes, corui gutture crocitant: vt certè manifestum fiat ab animantibus, serenitatis, tempestatisq; signa varijs modis posse desumi. Sed dicamus etiam de his in vniuersum.

Aues aquaticæ si aduenniant,& cet. Si mare fugiunt.

Aues aquaticæ, ac lotrices, si aduenniant, in aquis non degentes: pluuias dabunt, & tempestatem, Theophrasto. Causa est manifesta; nam ex eo, quòd propria loca deserunt, siccioraq; quærunt: imbres, ac tempestates imminere, signum est: ideo auolant, & fugiunt; quærentes habitationes aquarum expertes. Prouenire etiam potest,ne cibi eis desint, nam augurantes futuros imbres, tempestatemq; fore, cibos impedientes: auolant in tutioribus locis, vbi pasci possint. Similiter si mare fugiant: tempestatem præsagiunt. Causam affert Magnus Albertus, quia tetrum odorem sentiunt, ex mari exeuntem, ex exhalationum abundantia: ideò fugiunt,alibi querentes victum, & ob salutem. Quod certè magnæ tempestatis signum est. Vnde autem tetrus ille odor proueniat, non ab re dicendum esset, à telluris antiperistasi aquam commouentis,ex qua fætorem illum emanare,valde consentaneum est.

Aues insulanæ si per æstatem multæ gregatim venerunt.

Aues,quæ in insula vitam agunt,si per æstatem multæ gregatim venerint: pluuiarum lapsum inculcabunt. Causa est iam tacta. Quod si multitudine non excedant, salubre tempus capris, & ouibus promittunt. Ex eo enim, quòd paucæ auolant, multitudine non excedentes, & maiori parte remanente, paucas pluuias,& suaues portendunt: quæ terræ mirè pro sunt; ac propterea Capris, & ouibus salubre tempus promittunt.

Auium magnus numerus.

At verò si numerus eorum magnus fuerit, ingentem squallorem minitantur: quia fugiunt nociua, querunt autem commoda,& opportuna,

Albæ aues ad culta loca aduenientes.

Amplius, cum albæ aues ad culta loca adueniũt,aquilonios flatus, ac hyemis magnitudinem ostendunt. Causa est manifesta, nimirum quia culta loca incultis sunt calidiora, & feraciora. At verò cur albæ Aues, & non aliæ? Nulla quidem causa impresentiarum afferri potest,nisi,cum ob albedinem sint alijs frigidiores: magis & flatus Aquilonios, & hyemis magnitudinem præsentiunt.

Aues ad pastum festinãtes vltra solitum, & pugnantes.

In vniuersum Aues vltra solitum ad pastum festinantes, & pugnãtes tempestatem iudicant Theophrasto. Qui causam affert, cum natura mouente,& monente se præparent. Item Aues,quæ proprium colorem mutasse cernuntur;

tur;

tur; vt puta quæ non albæ, albæ: ingentem minantur tempestatem. Quòd si earum multæ nigræ appareant, quæ ex sua natura haud sic existunt: pluuiam præsagiunt Theophrasto. Causa horum quidem est vaporum, atq; exhalationum ingens copia in aere: ac ideo si tempus erit Austinum, Aues nigræ apparebunt albæ; idq; ingentis est presagium tempestatis; si verò Aquilonium, tunc albæ apparebunt nigræ, ac propterea pluuiam dumtaxat spondent. Docet etenim Aristoteles aquam ex talibus vaporibus causam esse nigredinis.

Aues proprium colorem mutantes, sic visæ.

Temporum qualitates ex quibusdam particularibus Auibus. *CAP. XII.*

DE auibus in vniuersum quid portendant, & de temporum mutationibus quid indicant, vtrumq; dictum est: nunc de quibusdam in particulari quid præsagiunt: dicendum remanet. Ab Accipitre exordium auspicabimur, sequentes abecedarij ordinem, vt omnia ordinate fiant. Accipiter ab accipiendo dictus, auis rapax, cædis & cruoris auidus, magno corpore, rostro adunco, oculis lucidis crassis pedibus, longis vngulis, hilari aspectu, nullam formidans auem: ipsamet prædataria; genus est ad omnes rapaces aues. Vnde Poeta.

Accipiter auis rapax & cæt.

Odimus accipitrem, quia semper viuit in armis,

Eius species sunt sexdecim: de quibus vide Plinium lib. 10. cap. 8. & Petrum Gillium. Sed duodecim sunt manifestæ. Buteus, AEsalus, Circus, stellaris, Palumbarius, Pernix, subbuteus, Perca, Fringillarius, Rubetarius, leuis, Cybindus qui est nocturnus accipiter pugnans cum Aquila. Italicè, Sparauiere, Falcone, &c. Accipiter itaq; in arbore considens, & intus inuolans, sipediculos quærat, haud procul abesse pluuias, demonstrabit, Theophrastus. Anas ex genere Amphibiorum, quia terra, & aqua victum sibi quæsit: sic dicta à natandi assiduitate: quia semper natat. Duplicis generis est, nam earum quædam sunt Syluestres, quædā domesticæ: Siluestres sunt maiores domesticis: domesticæ verò minores, de quibus martialis docet pectus, & ceruicem bene sapere: cætera verò minime, sed coco debere reddi. Vnde cecinit.

Accipitris species.

Accipitris præsagium.

Anas ex genere amphibiorum.

Anates duplicis generis.

Tota quidem ponatur Anas, sed pectore tantum,
Et ceruice sapit: cætera redde coco.

Quò vero ad temporum præsagia attinet, dum ad aquam conuolant, ibiq; se lauant. & alas in aqua expandunt, currentes: ventum portendunt. Si ad brumæ finem pectore rubent, signum est brumam producendam: nam rubeus color calorem contra frigus pugnantem, denotat, ac propterea retinet illum. Si vero albescit, finis frigoris instat: & ver proximum est. Et illæ siue sint syluestres, siue domesticæ. Anseres quorum alij sunt domestici, alij vero agrestes, qui sub hyemis initiū sublimi volatu gregatim volare visuntur; Et si natura vigilias suas clangore testantur, & clamore grauiter obstrepente, ferè semper clangunt, vt etiā inter pascendum silere nequeant: nihilominus tamen cum continuo assiduoque clangore vociferantur: tempestatem significant. Communiter tamen tam Anates, quàm Anseres cum plus solito in aqua versantur (quemadmodum & omnia animalia aquatica) futuram pluuiam, & ventos prænoscunt. De Ansere, & Anatè vide Plinium libro decimo. cap. 22. Ardea, & Ardeola auis triplicis generis est:

Temporum præsagia ex Anatibus.

Anseres duplicis generis.

Anserū præsagia.

est: proxima, Alba, & stellaris. Plinio cognominatur Onocrotalus: à voce absone rudentis Asini. Ab Aristotele prima dicitur Pelos, quod prope significat: quia illud genus prope terram volat. Secunda Asterias, ab Astrorum fulgore. Tertia leucon, ab albedine. Dicitur ardea quasi ardua ob altos volatus, nam & super nubes volat. Quod innuit nobis Virgilius Georgicorum primo, dicens.

Ardea vnde dicta Virgilius.

Atq; altam supra volat Ardea nubem.

Ardeolæ, seu ardeæ præsagia.

Causa verò cur sic alte volat, est, vt naturales dicunt: vt imbrium procellas sentire non possit: formidat enim imbres, quibus maximè afficitur: Idcirco super nubes volat: Cum igitur alte volat, tempestatem portendit. Si autem in medijs aruis volauerit, & tristis manserit: pluuiam denotat. Italicè vocatur Hierone. Quidam autem appellant eam Tantulum. Theodotus Erodium putat Ardeolam. Bubo Auis feralis, ac volatu debilis. De quo Virgilius 4. Aeneid.

Bubonis præsagium.

Seraq; culminibus feralis carmine bubo.

Et Ouidius. 8. Metamorph.

Ignauus bubo dirum mortalibus omen.

In cauernis, ruinosis edificijs, & in templis commoratur, & habitat. ipsa quoque temporis mutationem indicat. Nam supra montis verticem solitariam canens, tempestatem ostendit Theophrasto.

Cornix duplicis generis.

Cornix duplicis generis esse conspicitur, fera, aut syluestris: & domestica. Hæc cinerei coloris est, & nigricans: Ardeolæ amica, sicuti inimica Vlulæ, cum qua diffidet. Italicè cornachia, aut verius ciaula. Habitat etenim in ciuitatibus, in petræ foraminibus, in templorum edificijs, puta in campanilibus, & in turribus: minor syluestri. Sed huius color partim fuscus, vt in capite, & collo: partim cinereus ad albedinem vergens; alæ autem varijs mixtim coloribus tintæ: Italicè cornachia. Vtraq; minor est coruo. Diu viuit: vnde dicitur cornix annosa. Vtraq; temporis mutationes nobis indicat. Balneantes etenim se in aqua, & maximè in hyeme, & vltra solitum vociferantes: atq; in sicca arena spatiantes, signum est pluuiæ. Quare Virgilius Georgicorum primo ita cecinit.

Temporum mutationes ex cornicib.

Virgilius.

Tunc cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.

Præsagia temporū ex cornicibus iuxta Theop.

Cornices omnes, quemadmodum & terrestres volucres si contra aquam clãgorem dant, quolibet tempore, se se perfundentes, imbres præsagiunt. Theophrastus autem addit aliqua in libello de signis pluuiarum, nimirum, Cornix super saxum vnda obrutum crocitans, imbrem nunciat, & sæpe se aquis vergens, ac volitans, idem quod antea commostrabit. Celeriter verò bis, ac ter cornicans tempestatem præsagit: eamdem quoque prædicit, si vespere canat; quod certè intelligendum est sereno cœlo. Nam idem de signis serenitatis habet, quòd si ter crocitet, & si vespere cœlo perturbato canat, serenitatem, præsignificat. Ergo vt tempestatis sit signum, cœlo sereno necesse est, vt canat: aliter esset contradictio in verbis Theophrasti. D. Thomas. 2 2. quæst. 95. 7. ad secundū scribit, quòd cornicula frequenter crocitans, significat pluuiam cito esse futuram. Coruus colore nigerrimus, maior cornicibus, Graculis, & Monedulis: quæ Aues sunt coruini generis. Sed Graculi, & Monedulæ minores cornicibus: Quibus furacitas auri, atque argenti mira est. Italicè Monachia, Gaza, Ciaula. Corui itaque contra Solem stantes, si rostra aperiant: calorem significant. Singultu quodam si latrent, rumorem, in exercitu volante, faciendo, alis proprijs plus solito: pluuiæ extat indicium. Scribit Nicander, quod dum frequentius solito crocitant: futuram pluuiam significant. Scribunt Aristoteles, & Auicenna, Coruum valde Asinum odire, qui & illum rostro excecare conatur. Sed oculorum profunditas, & corij superciliotis

Corniculæ præsagium iuxta D. Th.

Coruorū natura.

Coruorum præsagia.

Corui odiū cōtra Asinū.

pericliotis cum quo tegit visum, spissitudo; & corporis proceritas, & auriũ mobilitas cũ quibus se defendit: valde iuuat asinum. Tauro id etiã accidere, autumatur.

Cicero libro primo de natura Deorum scribit: Miluo esse quodam bellum quasi naturale cum Coruis. Suetonius author est, Coruos humanas voces imitari. Quod certe intelligendum est de omnibus ad coruinum genus pertinentibus. Vnde Cæsar Augustus ex bello Actiaco rediens: salutatus dicitur fuisse à Coruo his vocibus. Salue Imperator Inuictissime. Quem Cæsar postmodum viginti millibus nummum emit. Quo igitur ad temporũ qualitates attinet: sunt aliquæ conditiones præter iam prærecitatas. Plinius libro 18. inquit, quod Corui si singultu quodam latrauerint, seseq; concutierint: tempestatem præsagiunt, modo continuauerint. At si carptim vocem resorbeant: ventosum imbrem significant. In libris verò de naturis rerum docetur, Coruos esse mutationis aeris nuncios: atq; alia crocitationis voce prophetare auram tranquillã, alia tempestatem. Fulgentius tamen, vt citat Beluacensis libro 17. cap. 62. habet: quòd & si Coruus nil aliud sonare nouerit quam cras, cras: diuersas tamen voces format; nempe sexcentum & quatuor. Sed lege Fulgentium in filiis Metologijs.

Milui bellũ cum coruis.

Cæsar à corno salutatus

Temporum præsagia ex Coruis.

At verò Theophrastus tametsi in multis conueniat, cum supradictis in temporum mutationibus ex Coruis, pleraq; tamen alia adnotat obseruanda. Quo circa habet, quòd Coruus, qui varias voces edere consueuit, si eas bis celeriter emittat, singultu quodam latrans, seseq; concutiens: imbres prænuntiat. Rursus si pluuio cœlo varias voces edat, & si super oleam pediculos quærat: & si voce, siue sereno cœlo, siue pluuio, quasi decidentes guttas imitetur: quoties id faciet, toties imbrium sigillatim est prænuntius. Item si Corui altius euolent, ac miluum imitentur, pluuiarum testimonia præbent. Amplius si Coruus per tranquillitatem solitam vocem non habeat, singultuq; quodam latret: signum certum dat pluuiarũ. Si verò hyeme multas voces mutauerit: tempestatẽ affert. Porrò autem solitarius, & placidus crocitans, vbi ter crocitauerit, mox pluries clamitans: serenitatẽ præsignificat. Causa primi, & secũdi est, quia extimulantur à Meteoris, quæ iam iam in aquam conuerti debeant; & hæc est etiam causa vniuersalis omnium animaliũ, quæ temporum mutationes indicant. Causa tertij est, quia imbres fugiunt. Causa quarti est, quia vox ab humiditate impeditur, ergo pluuia expectanda ob humiditatem. Causa quinti est, quòd si varias edat voces hyeme, varia sunt Meteora, ergo tempestas, quæ ex varijs oritur meteoris. Causa vltimi est manifesta, nimirum placidus crocitatus.

Temporum præsagia ex coruis iuxta Theophrastum.

Erithacus Auis solitaria est, colorem & formam mutans cum nomine. Nam hyeme Erithacum solam, æstate verò ob puniceum caudæ colorem, phœnicurum vocitant. Plinius libro 10. cap. 9. Theodorus autem ex Aristotele rubeculam transtulit, & quandoq; syluiam vocat. Erithacus itaq; sua ingrediens latibula, & se condens: tempestatis nuncius est, Theophrasto.

Erithaci natura.

Erithaci præsagium.

Fringilla, quia frigore cantat, & viget, sic dicta: rubet in pectore obscuro rubore: hæc in campis spatiatur: differt à montana, quæ collum habet cæruleum, & in cæteris conueniens cum prima, sed degens in montibus. Fringilla igitur si manè pipillat, tempestatem portendit: eamdem quoq; prædicit, si super domum canat. Theophrastus. De fringillis, sturnis, & passeribus hæc cecinit Matt. lib. 9.

Fringillæ natura, & forma.

Fringillæ præsagium.

Nunc sturnos inopes, frigillarumq; querela.

Audit, & arguto passere vernat Ager.

Fulices aues marinæ. seu aquaticæ, nam gaudent præcipuè mari, stagnísquè amplissimis, magnitudine columbæ non excedentes multum, dictæ à furuo hoc est nigro, vel certè à fuliginis colore, quo exornantur; circumuolitant in ma-

Fulicum natura, & forma.

ri cum Gauijs, nam illas ſequuntur; quæ carnem bonam, & odoratam habent, quas Dyomedias latini, Herodios Græci vocant: ipſæ etiam ſunt temporum mutationis nunciæ. Nimirum, ſi nimium ſolito ludentes in littore ſicco eas reſpexeris: pluuias, aut ventos cum tempeſtate futuras, dicito. Sed Plinius lib. 18. cap. 55. inquit, quod matutino clangore clangentes: tempeſtatem præſagiunt. Requiritur tamen conditio illa, vt in ſicco ſe recipiant, & ludant: ſic enim clarioreque voce clangentes, nautas imminentis tempeſtatis admonent. Virgilius lib. primo Georgicorum. In ſicco ludunt fulicæ. At verò Theophraſtus docet, fulicas tranquillitate exiſtente, quò euolauerint, ventum prænuntiare.

Fulicū præſagia circa temporum mutationes.

Galguli natura, forma & præſagiū.

Galgulus auis eſt, quæ ſi ſpectetur à quopiam morbo regio laborante, ſanatur æger, auis verò emoritur. Sed Plinius hanc auem icterum vocat à colore, quem ſi ictericius reſpexerit, ſanari malum tradunt: auem verò morti (morbus regius lepra certè eſt.) Galguli itaq; ſi paludes, vel mare, alis more anatum verberent: pluuiam præſagiunt Theophraſto.

Gauiæ forma natura, & præſagiū.

Gauia auis corpore puſillo, ſed plumis, & pennis copioſa, ingenio tamen ſtupido, nullum certe apud authores dat indicium mutationis temporum. At verò cum ſit fulicis amica, & eam ſemper & in omnibus ſequatur: quæ de fulicibus dicũtur circa temporum præſagia, de eis quoq; accõmodari poſſent; tametſi obſeruãdum eſſet, ſi ea agant, quæ fulices. Earum duo ſunt genera, vnum albicans, alterum dorſo, & alis cinereum, ſed ventre albicat. Omnes fulicum cognatæ, piſces in ſummo mari, & fluminibus capiunt. Vide Homerum Odyſ. E.

Gauiarum duo genera.

Graculi natura, & dictio.

Graculus quaſi garrulus, quippe qui eſt auis garrula humanam vocem ſumma dicacitate imitans. Alij à gracilitate dictam, putant: Alij à voce quam edit: Nonnulli vero, vt M. Varro graculos ſic dictos, cenſent: quòd gregatim volent. Oppoſitum ſentit Quintilianus, nimirum dictionem ab auium voce fictam, autumans. Graculorum tria ſunt genera. Primum generis nomen retinet, magnitudine coturnicis, roſtro rotundo, & rutilo. Secundum Monedula à Moneta quam furatur: quia ſoli huic auri furacitas, & argenti ineſt. Tertium coruus caluus appellatur à Plinio, ab Ariſtotele verò palmipes. Quò vero ad ea, quæ ad temporis mutationes pertinent. Graculus veſpere canens tempeſtatem nunciat. Rurſus Graculi ab Auſtro volantes, hyemale ſignum portendunt Theophraſto. Ratio primi eſt, quia contra horam canit, ergo coniectura eſt tempeſtatis; quia tunc quieſcendi tempus eſt, & non canendi. Ratio ſecundi eſt, quia auolant propter ſalutem, & cibum.

Graculorũ tria genera.

Graculorũ præſagia in temporum mutationibus.

Gruum natura, & qualitas.

Grues quæ ſunt ſylueſtres Anſeres, à vocis ſonitu ſic dictæ: tametſi excubias habeant nocturnis temporibus, & illa quæ vigilat iuxta Ariſtotelem libro ſecundo de Animalibus. Lapillum in pede ſuſtinet, vt ſe forſitan dormientem excitet: Nihilominus tamen id accuratius efficiunt imminente tempeſtate. Nam, vt Baſilius, & Ambroſius ſanctiſſimi Doctores ſcribunt, vigilias ordinant: & in vigilando voces earum alternant. Præparant ſe ſtatim ad volandum: & in volatu ordinem quendam pertinaciſſimè obſeruant; in quo. Λ. lambda literam Grecam exprimunt: vel vt alij dicunt, literam. Y. ypſilon, quam primum Palamedem inueniſſe aiunt: iuxta illud Martialis.

Gruũ ordo in uolatu.

Literæ ypſilon inuētor.

Turbabis verſum, nec litera tota uolabit,
Vnam perdideris, ſi Palamedis Auem.

Ducẽ, quẽ ſequi debeãt, eligentes prius. Dũ itaq; ab imis vallibus certatim fugiũt, non ſic ſtrictè eorũ ordine ſeruato; pluuiã futurã ſignificant, ſi nõ longius fugiunt. Si verò lõgius ordine iam enarrato, tẽpeſtatẽ portẽdũt: & in illã partem caſuram,

Gruum præſagia tempo rum.

à qua

à qua recedunt. lege Virgilium libro decimo Aeneidorũ suorum: qui ita cecinit.

------ quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa Grues. Virgilius.

Multa habes de Gruibus apud Plinium, & Aristotelem. Plinius lib. 18. scribit, Grues in mediteranea festinantes, tempestatem præsagire: silentio autem per sublime volantes, serenitatem. Huic concordat Aristoteles: solum addens, q cum ad alia loca se transferunt, prius ascensione multa volando ascendunt: vt considerent æqualitatem aeris, ad quem transferre se volunt. Deinde quando nubes pluuiosas prospiciunt, clamant, & vociferatur: ac Ducem suum celeriores captare volatus sollicitant. lege etiam solituum, Isidorum, & alios plerosque.

Pierius Valerianus in suis Hieroglyficis lib. 17. de Grue scribit: quòd si Grus subsidere nubes infra despexerit, nunquam ad terram se demittit, vsque adeo tempestates, & ventorum, procellarumque motus summo studio declinat, vt potè quæ sit quietis amantissima: si verò acciderit, vt in tempestate aliqua deprehensa sit, confestim ad terram se confert, atque humi potius quiescit. Sed Aristoteles absolutè de Grue circa temporum mutationes lib. 9. cap. 10. de historia Animalium scribit, dicens. Grues etiam multa prudenter faciunt: loca enim longinqua petunt, sui commodi gratia: & volant altè, vt procul prospicere possint, & si nubes, tempestatemq; viderint, conferunt se in terram, & humi quiescunt. At verò Theophrastus eius discipulus de Gruibus limitatione aliqua prædicit. Grues (inquit) mane volantes, & gregatim, mane futuram ostendunt tempestatem: vespere autem ac ad multum tempus, vespertinam quoq; prædicũt tempestatem: Et si volantes retroflectant, ac ab incepto itinere auertantur: tempestatem quoq; præsagiunt. Cum verò volant, neq iter flectunt, tranquillitatem pollicentur. Ipse met causam affert: enim verò non antea volant, quàm aerem prospexerint vndequaq; serenum. De Gruibus Pierius Valerianus. Arist. de Gruibus. Theophrasti de Gruibus præsagium.

Halcyon seu Halcedo auis maritima, vel fluuialis. Nam duplicis generis esse authores scribunt. Hæ aues apud fluuios apparent, marinis maiores, magna ex parte cærulei coloris: Maritimæ vero sunt passeribus paulo maiores, rostro longo, tenui, & luteo: colore itidem cæruleo, viridi, & sub purpureo mixtis. In media hyeme nidos construunt in scopulis pilæ marinæ similes: in quibus pariunt. In his diebus ipsis incũbantibus, & excludentibus pullos: ita vt immobile stare videatur. Quare vocantur Halcyonij dies, hoc est tranquilli ab istis auibus. Portendunt itaque dies serenos, dum nidificant: incumbantes, & excludentes pullos. Dum verò in littore pennas ad solem pandunt: futuram tempestatem indicant. Quare Virgilius non inconsulto ad idem refert, dum cecinit. Halcyonis natura, forma, & præsagium. Halcionij dies. Virgilius.

Non tepidum ad solem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones.

Horum meminerunt Theocritus Idyllio septimo, & Plinius libro secundo, capite 47. libro decimo, capite 32. libro decimo octauo, capite 26. sed vide Aristotelem in libris de Animalibus. Theocritus. Plinius. Aristoteles.

Hirundo auis omnibus notissima, quæ sub veris initium ad nos transuolas; & hybernis mensibus abit: dubio procul æstatem nobis ostendit, & brumam. Nam cum sit veris nuncia iuxta illud Ouidij fastorum libro secundo. Hirundo æstatis, & brumæ nuncia.

Fallimur? an veris prænuncia venit hyrundo?

Et illud etiam Horatij.

Veniam Zephyris, & hirundine prima.

Indicat dubio procul æstatem futuram,quæ post ver sequitur,inde hyemem. At si circa aquam volitans,aqua ventrem,vel se se percutiat pennis proprijs : pluuiam indicat Theophrasto, & Arato, quia vt calida, & sicca sentit aerem humescere, ideo aqua ventrem verberat; sed iuxta Plinium tempestatem. Præscia quoque est ruinæ edificij : nam iuxta Isidorum lapsura culmina deserit, nec appetit. Ideo Plinius libro decimo scribit,Thebarum tecta subire negari: quoniam vrbs illa sæpius capta fuerit : quemadmodum nec Bizecis in Trhacia ob scelera. Theophrastus docet,quòd si Hirundo alba appareat,ingentem minatur tempestatem.

Mergi natura,& præsagium.

Mergus à mergendo dictus, quod in aquam se immergat cibi causa, si in stagna fuerit,pluuiam,& ventos significabunt. At cum caput sæpè in aqua demergit:aurarum signa sub fluctibus cognoscit. Quare si ad litus cum clamore fugit : futuram tempestatem nobis declarat. De hac re vide Varronem libro quarto de lingua latina,Ouidium in Metamorphoseorum libro 11. & primo de ponto elegia septima : Virgilium quinto Aeneid. & alios. Inuenies enim,quod cum ad litus properè medio reuolat ex æquore,& tuta iam se conspicit,cum clamore se contendens: futuram præuidet tempestatem : nam statim imminet. Plinius verò libro 18.scibit, quòd Mergi, sicuti & cæteræ aues aquaticæ, pennas suas rostro purgantes, aut maria,& stagna fugientes : præsagiunt ventos. Theophrastus autem in libello de signis ventorum docet,mergos se se in aquis mergentes, pluuias significare, pennas rostro purgantes,diu multumque alas excutientes, ventos.

Milui natura,& qualitas.

Miluus à voce quam edit, sic dictus, vel à molli volaru, italice Nibbio : rapacissima auis, verni temporis est nuntia,sicuti & Hyrundo : nam eò incipit apparere. Suidas in *ικτινος*, & Scholiast. Aristophanes in auibus, dum anni partes quatuor per aues hominibus denuntiari docent : ver Miluis attribuerunt. Milui itaq; in aere spaciantes, atq; ludentes alter cum altero,volando : signum est caloris,siccitatis,& serenitatis aeris.

Monedularũ præsagia tẽporum,natura, & qualitas.

Monedulæ ex Graculorum genere, aues sic dictæ ab auri furacitate quibus maximè inest : ipsæ etiam temporum mutationes præsagiunt,si namq; alrius euolent,ac miluum imitentur.pluuiarum testimonia præbent, Theophrasto. De Monedulæ natura,& qualitate lege Plinium lib.10.c.29.Ouidius.7.Metamorph.ita cecinit.

Nigra pedes,nigris velata monedula pennis.

Nisi natura, qualitas, & portentum.

Nisus quoq; auis nobilis & robore,& forma, minor Herodio colore verò plumarum illi æqualis, temporum qualitates præsagit. Nam in volatu si sublimior apparuerit : ventorum flatus, tempestates,& pluuias prænuntiat. Vincit Miluum, quo triplo est minor.

Noctuæ qualitas natura, præsagium.

Noctua à noctis tempore sic dicta, cum tunc appareat : & à glauco oculorum colore noctu perspicacissimè videntium,interdiu tamen cœcutientium : ipsa quoque prænuntia temporis est. Quandoquidem in imbre garrula, vel sereno tempestatem significat.Idem quoq; portendit Nycticorax, coruus nocturnus : cum plus solito garrit,& perstrepit. Sed idem esse vtrumque Isidorus, Ambrosius, & Glossa concordant,atq; constanter affirmant.

Noctua dupl x iuxta Theophrastum.

Porrò autem Theophrastus in libello de signis tranquillitatis, ac serenitatis æris distinguit de noctua, nimirum terrestri,& marina : & hæc quidem vigente tempestate canens tranquillitatem portendit : tranquillitate verò dominante, tempestatem. At altera noctua similiter præcinit cœlo perturbato,ac tempestate vigente, modò quiete canat : quod rursus portendit, si nocte hyberna placidè canat.

Onocrotali forma natura, & qualitas.

Onocrotalus iuxta Aristotelem,& Plinium,Auis olori similis, Galli magnitudine,

dine,colore fuscus,rostro longo: duplicem vterum habet. Primus in faucibus residet, amplus, & capax: in quem (cum sit auis voracissima) omnia congerit, & percoquit: deinde illamet ruminans in verum transmittit vterum. Hæc in aquam collum mergens, spiransq; veluti ruditum Asini edit. Vnde ὄνος Asinus, κρόταλος crepitus. Duplex huius generis, aquaticus, & terrestris: vterq; præsagit pluuiam, vel ventum, dum in aquam merso collo, vel rostro longo in terram fixo plus solito, & nulla manifesta causa cit sonitum, qualem Asini edunt: signum certè pluuiarum est, vel ventorum. Aquaticus magis pluuias præsagit, terrestris plus ventos. Sunt qui putant, hanc esse ardeam, seu ardeolam, vt Plinius. Alij pelecanum, vt Pierius Valerianus scribit in suis Hieroglyphicis de Pelecano lib. 20. sed credimus eos falli, reclamante Animalium historia plurimorum authorum illustrium.

Onocrotali duplex genus temporũ mutationes præsagit

Opinio de onocrotalo.

Orchilus auis, quæ noctuæ inimica est, cum qua dissidet, ipsa quoq; temporum mutationem indicat. Ingrediens namq; sua latibula, & se coadens, tempestatem portendit: si autem ex illis euolet, serenitatem præsagit, Theophrasto. Causa est manifesta, ex hoc namq; quòd se condit, & non vult exire, timet: dum autem euolat, non est, cur timere debeat. De Orchilo vide Aristotelem lib. 9. cap. 7. de animalibus.

Orchili præsagia temporum.

Passer à patiendo dictus, quòd morbum patiatur caducum. Auis notissima, & parua. Quæ ob eius salacitatem anno dumtaxat viuit: Mas est fœmina autem diutius. Vide Plinium . . . . . . Quò autem ad temporum mutationes attinet si passeres tumultuosè per hyemem vespere obstrepant, & pipilent: vel venti mutationem, vel pluuias indicant Theophrasto. Item passer manè pipilans, tempestatis signum est. Passerum propriè est pipilare iuxta Catullum qui de passere lesbiæ in cecinit.

Passerum natura, & qualitas.

Passerũ præsagia temporum.

Sic circumsiliens modo huc, modò illuc:
Ad solam dominam vsq; pipilabat.

Rursus si albus appareat: ingentem minatur tempestatem Theophrasto. Item cantu matutino imbrem affert, aut tempestatem, vespertino pluuiam tantum.

Picus exigua auis, Marti sacra, ideo vocatur Martius Piccus. Eius varia genera: maximus, medius, minimus. Maximus est nigri coloris capite russo Gallina minor. Medius maior Merula, propriè pius Martius: capite russo, croceo pectore; collo, dorsoq; viridi: alis cæruleis. Minimus minor Merula, varius: pennas commixtas habens ex nigro, & albo: dicitur Pipo; sed de Pipone statim dicetur. Est etiam Picus alius minor isto. Omnes igitur cuiuscumque generis similes, si citra eorum consuetudinem cecinerint: pluuiam denotant. Sed præcipue Pica, magnitudine Palumbæ: alis varij coloris, sed præsertim cærulei, quæ humana imitatur verba, & humanæ vocis æmula est. De quo Martialis libro quartodecimo sic cecinit.

Picorum varia genera.

Picorũ præsagia temporum.

Picæ forma, natura, qualitas.

Pica loquax certa Dominum te voce saluto:
Si me non videas: esse negabis auem.

Hæc profectò certius temporis mutationem denuntiat: vel dum vltra consuetudinem cantauerit, vel si siluerit: pluuiarum etenim casum significat: siue sit vrbana, siue syluestris. Mira sunt, quæ scribuntur à Plutarcho de Pica Romæ: quæ cum buccinatores audierit, statim siluit (Tametsi alioqui loquacissima) dum verò silètium diebus aliquot obseruasset, de repentè, quasi expergefacta: omnem illum buccinarum sonum numeros, & harmoniam, summa omnium admiratione, reddidit.

Picæ præsagia temporũ

De Pica Romæ mira.

Piponem, aliqui sentiunt esse minimum ex genere Picorum, (vt iam dictum est)

Piponis na-

tura qualitas, & temporum praesagia. est) Nebrissensis inquit, piponem esse auem culicibus victitantem: sed lexicon græcum auem marinam Authore Gaza ex Aristotele lib. 9. de hist. Animalium cap. 21. Pipo itaq; si super domum maré strepitum edat: pluuiæ seu tempestatis indicium est, Theophrasto. De Aue hac lege Aristotelem lib. 8. cap. 3. de Historia Animalium.

Temporum præsagia ex pennatis Domesticis. CAP. XIII.

SEORSVM à volatilibus digrediendum est nobis de aliquibus auibus. Quæ tametsi sint pennatæ, vel non volant: vel si volant, nobiscum tamen conuersantur: vt sunt Anates, Anseres Galli, Gallinæ, columbæ, Pauones, & similia volatilia domestica.

Anatum præsagia; temporum. De anatibus, & anseribus superiori capite dictum est, tum domesticis, tum quoque agrestibus. Domesticas Varro lib. 3. querquedulas vocat. Quò autem ad temporum mutationes docet Theophrastus in libello de signis pluuiarum, quòd si Anas domestica se alis excutiens sugrundas subierit, imbres portendit. At verò in vniuersum Anates tum natura cicures, tum quoq; syluestres sese in aquis mergentes: pluuias spondent; si autem pennas rostro purgantes, diù multumq; alas excutiant: flatus prædicunt.

Anseris iecur magnū, Martialis; De Ansere scribit Athæneus libro nono, Iecur Anseris in mensis fuisse celebre apud Romanos: ipsosque saginari solitos Iecoris gratia; quòd scilicet sagina maxime omnium crescit. Vnde Martialis admiratus cecinit.

Aspice quàm tumeat magno Iecur Ansere maius:
Miratus dices, hoc rogo, creuit vbi?

Anserū præsagia temporum. Theophrastus tamen quò ad ea, quæ ad temporis mutationem pertinent, docet: Anseres continuo clangore intempestiue, vel ad pastum festinātes, ac pugnantes, tempestatem præsagire.

Columbarū quinque genera. Liuia. De Columbis deinde tractantes, sciendum, quòd earum quinq; sunt genera apud Aristotelem libro octauo de Animalibus. Liuia à colore sic dicta quasi liuida: liuet, namq; plumis, & ferè nigricat, pedibus rubris, & scabrosis. Palumbes syluestris est, quem dicimus torquatum: Italicè palumbo seluatico, ò torchiato: à torque quo insignitur: cuius esus contrariatur salacitati. De quo Martialis cecinit. *Palumbes.*

Inguina torquati tardant, hebetantque palumbi.
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Vinago. Turtures. Alterum genus latinorum nonnulli vinaginem vocant ab esu labruscæ. Alterum est turturum, sic nomen habens à sono quem edit. Primi generis quædam sunt agrestes, & nidificant in turribus, ac villæ culminibus: nonullæ verò domesticæ, quæ intra domus limina cibo domestico vescuntur. At Palumbes cum turturibus, & vinag bus in arboribus, sæpibusque nidificant. Liuidæ minores sunt columbis domesticis, & minus cæteris mansuescunt: Palumbes maximè sunt in genere columbario. Sed videmus Neapoli turtures nidificare in caueis lign. is: *Pipiones.* & in magno sunt pretio, sed plus albæ. Nam lacte candidiores nonnullæ visuntur. Harum auium pulli, pipiones appellantur, à sono quem faciunt.

Temporum præsagia ex columbis. Quò autem ad temporum mutationes attinet, sciēdum est, columbas syluestres si ad columbare tardius accedant, quàm soleant: pluuiam significare. Domesticas verò eandem pluuiam cum coruscationibus portendere: si citrius solito, & voracius

tactus cibum sumant, atq; abscondantur. Præsentiunt etenim aeris mutationem: ideo cibant se plus solito. De columbis plura apud Authores cum prophanos, tum quoq; sacros de earum generatione, loco, educatione, moribus, carnibus, & operatione in medicina.

Gallus, & Gallinaceus, domestica auis, & notissima cuius cantu noctis deliquium, & accessum diei veteres metiebantur: horarijs gnomonibus nōdum repertis, & tribus interuallis canit. Diem prænuncians; ipse etiam temporis mutationem præsentit. Quandoquidem si nocte citius quàm soleat, cecinerit: aeris mutationem, vel ad pluuias, vel ad ventos dubio procul portendit. Gallina quoque siue sit villatica, aut vrbana: siue Rustica, aut syluestris, quæ primum ab insula ligustici maris Gallinaria dicta: vbi hoc gallinarum genus aggreste est, & ferū, in Italia allata est: quo genere cicures factæ, tota Europa ferè plena est: siue sit Africana, quæ est Gibbera, à Græcis Meleagridis nuncupata, quam nos indicam vocamus, & ipse pariter temporis mutationem prænoscunt. Quandoquidem si vltra solitum in arena, vel puluere se concutiant, vel in vno loco plures earum simul segregentur: futuram pluuiam significant. Si autem in initio pluuiæ tecturam aliquam quærant, à pluuia se protegentes: signum certe est magnæ futuræ pluuiæ. De his plura apud Auctores: sed vide Beluacensem libro 16. sui speculi naturalis.

Galli natura & qualitas, Gallinaceus. Temporum præsagia ex Gallo. Gallinarum genera varia. Gallinarum præsagia temporum.

Theophrastus verò inquit Gallinaceos pediculos quærentes, præsagire imbres quod & de auibus in vniuersum, omnino sentit. Rursus cum aquam imitantur adeò, vt pluere videatur similiter pluuiam: quam etiam præsagiunt, si paludes, vel mare alis, more Anatis verberent.

Temporum mutationes ex gallinaceis.

Pauo auis pulcherrima verò pennarum fulgore conspicua. Nam collo saphiri gemmæ color inest. Extremæ pennæ Chrysoberilli, auri, & saphyri coloribus distinctæ sunt. Gemmantes illarum colores sole aduerso laudatus expandit. Quod vtiq; animaduertitur: dum ab hominibus conspicitur, atq; laudatur. Hunc Poetæ Iunonis tutelæ assignarunt. Vnde Ouidius Poeta primo de arte sic cecinit,

Pauonis natura, & qualitas.

> *Laudatas ostendit auis Iunonia pennas.*
> *Si tacitus spectes ipsa recondit opes.*

Sed fœmina hac pennarum varietate, & pulchritudine caret. Ambæ tamen aues (quo ad temporum mutationes attinet) si plus solito clament, & vociferantur: pluuiam significant. Causa est, quia extimulantur prædominante elemento in aquam conuerso: ac propterea clamant, atque frequentius reclamant. Ex libris verò de naturis rerum habetur, quod cum alte ascendunt: signum est pluuiæ.

Pauonū præsagia temporum.

Ex vespertilionibus præsagia temporum. CAP. XIV.

CVM Vespertilio quatuor gradiatur pedibus, pullosq; pariat, non oua, quos & lacte nutrit (quamuis Auicenna scribat, ipsius lac iuxta aliorum dicta, esse vrinam eius) vbera admouens: Cumq; dentes habeat, & mammas, & auriculas: neque pluma vestiatur, sed murino pilo: Qui si volat, alarum vice membranam habet magis quàm pennas; dubio procul inter volucres minimè est habendus: sed medius inter auem, & murem, vt merito mus alatus dici possit: nam & muris naturam, & vocem, & stridorem habere

Vespertilionis natura, & qualitas.

bere videtur. Idcirco in auium numero illum nõ retulimus: sed hoc in loco seorsum à cæteris reposuimus, tanquàm incertam habentem naturam. Nocturnum est animal, ideo vespertilio vocatur: quod vespere se ad volatum proferat, nobisq; appareat. Quò circa quidam Poeta cecinit.

Nocte volant, seroque tenent à vespere nomen.

Ex vespertilionibus præsagia temporum. Et hic quoq; temporis mutationem nobis indicat. Quapropter obseruandum est, si vespertiliones citius iam vespere, & in maiori eorum quantitate volant, quàm solebant: signum certe est caloris, & serenitatis futuræ proximæ diei. Quòd si mane circumuolant ante solis ortum, illius diei, vel futuræ manifestam temporis mutationem decernunt, vel ad pluuiam, vel ad ventos, vel ad tempestatem declinantis. Quod si nullo modo appareant, nec vespere, nec mane: tempus inconstans est, & timendum. Idem quoq; intelligendum est de scabronibus, Bubonibus, strigibus, Cicunijs, Othis, Vlulis, Asijs, similibus nocturnis auibus. Quandoquidem cum plus solito clament, & reclament: strident, volent, vlulent, apparent, præcipuè citra solitam horam, & tempus: aeris mutatioues, vel in pluuias, vel in ventos: vel in tempestates quandoq; nobis indicant.

Auium nocturnarum temporum præsagia.

Temporum qualitates ex insectis. CAP. XV.

Insectorum varia genera, natura, & qualitas.

INsecta sunt animalcula partim volantia, vt Apes, Muscæ, Vespes, & similia: partim terrestria vt stelliones, scolependræ, & vermes: partim cum vtroq; participantia, vt formicæ: & quædam alia pennis, & pedibus carentia, vt tineæ. Insecta dicta iuxta Aristotelem ab incisuris, quæ nunc ceruicum loco, nunc pectorum, nunc alui sunt. A Magno Alberto annulata dicuntur: de quibus apud Plinium libro vndecimo plura. Ab Apibus initium sermonis erit, nam nullum animal ita virtutibus prædirum inspicies: vt Apes. In illis floret prouidentia, viget Iustitia, admiratur temperantia: obseruatur prudentia politica, laudatur Oeconomica. Fides erga eorum Regem extollitur, In eis fortitudo, animositas, pugna, bellum, opificium, pietas, & pleraq; his similia inuenies: vt certe mirum sit in tam paruo animalculo tot diuersa reperiri: quæ tandem nobis vtilitatem afferunt maximam ex melle, & cera.

Insecta cur sic dicta.

Annullata iuxta M. Alb.

Apum natura, & qualitas.

Apum temporum præsagia. Sed quod Magis officit, est: quòd prædiuinãt mirabiliter temporis qualitates. Nam illarum quædam ad portas custodiam exercent, vbi speculantur aquas, & cœli nubila: num venti futuri sint, aut imbres? Auctor est Aristoteles de natura eorum libro nono in historia Animalium his verbis. Προγινώσκουσι δὲ καὶ χειμῶνας καὶ ὕδωρ αἱ μέλιτται, σημεῖον δὲ μὴ ἀποπέτονται γάρ, ἀλλ' ἐν τῇ ἐνδίᾳ αὐτοῦ ἀνειλοῦνται, ὁ γινώσκουσιν οἱ μελιττουργοὶ καὶ χειμῶνα πρὸς δέχονται. Apes itaq; cum se tectis continent, signum est mutationis temporum, vel ad ventos, vel ad pluuias, vel ad imbres, vel ad tempestatem. Quòd si prorumpant, & prouolant extra domos etiam flante vento, pluuiaq; ingruente: signum certe erit aeris tẽperiei, atq; serenitatis. Illorum amplius ad aluearia reditus, vel sub arboribus latitatio: aut quòd non procul à sede auolant; pluuiam promittunt. De Apibus mira scribuntur apud omnes ferè.

Tẽporũ mutationes ex Apib. iuxta Theoph. Arat. & Arist. Theophrastus tamen in libello de signis tempestatum docet, Apes, cum non longius auolant, sed sereno ad huc circa alueum volitant: tempestatem futuram mone-

monere. Conforme quidem Aristotelicæ sententiæ libro suprarecitato cap. 40. præsagiunt (inquit) Apes, & hyemem, & imbres; cuius rei indicium est, quòd non auolant, sed sereno adhuc in alueo voluntantur: quo Apiarij hyemem expectant. Idem sentit Aratus.

Aranea vermis est aeris, ab aeris nutrimento nominata iuxta Isidorum, quæ exiguo corpore longa fila deducit: & telæ semper intenta nunquàm laborare desinit, in perpetuum sustinens in aere suspendium. Plinius libro vndecimo autor est, quod in araneis prognostica sunt. Nam in incremento amnium futuro telas suas altius tollunt:prætetea sereno non texunt, sed tamen nubilo frequentes texunt: ideoq; aranearum multitudo, signum est pluuiæ, seu imbrium. Araneæ natura qualitas, & præsagiu.

Theophrastus tamen flatus indicium dari, scribit, si per aerem multæ ferantur Araneæ: addens etiam fore tempus hyemale. Idem sentit Aratus, sed in temporis tranquillitate id fieri cecinit. Aranearum præsagia iuxta Theoph, & Aratum.

Cicada vnum animal ex insectis, ex eo dictum, quòd cito cadat, quia non nisi æstiuis mensibus apparet: cui mira, & infesta loquacitas inest, præsertim Sole efferuescente. Illarum duo genera, minores, quæ primæ proueniunt, & nouissimæ pereunt: & sunt mutæ. Maiores volatu raræ, & quibus, quæ canunt, vocãtur achetæ: quæ vero minores, tetrigoniæ, sed illæ magis canoræ. Mares in vtroq; genere canunt: fœminæ silent. Stephanus Bizantius scribit, iuxta oppidum AEro iæ Acanthum cicadas, alibi vocales, mutas esse. Neapoli nõ sunt Cicadæ per sex milliaria, aut octo, vel, vt plurimum per duodecim circumcirca. Tribuunt id Virgilio: qui arte sua omnes expulit; vnde & Nolæ mons inspicitur, qui communi vocabulo mons Cicadæ vocitatur: quia supra illum magnam Cicadam ex metallo costructam erexit, alias abigentem. Sed vide Ioannem Villanum in sua historia. Et quidem mira dicuntur, nisi sint fabulosa. Quò verò ad temporum mutationes attinet, cicadas ab Austro volãtes, hyemale signum prædicere, author est Theophrastus. Item Cicadas in maxima multitudine annum insalubrem, & grauem annunciare, author est Aristoteles lib. 5. cap. 30. de historia Animalium: Et probl. 21. sect. 26. Theophrastus quoq; (vt diximus) in libello de signis tranquillitatis, & serenitatis. Ratio est, quia annis pluuiosis harum copiam gigni, sed huiusmodi annos constat pestilentes esse: cum corpora multis excrementis tunc redundare oporteat: ergo &c. Cicadæ natura, qualitas. Cicadarũ duo genera. Cicadæ mutæ. Cicadæ Neap. Cicadarum præsagia.

Musca paruum animal ex insectis, & notissimum volatile, sed inquieta, importuna, & infesta: sed ipsa quoque temporis mutationem præsentit. Si namq; in vniuersum atrocius ipse momorderint, quàm soleant, petentes ad os, aut ad oculos hominis, aut cuiuscumque alterius animalis: pluuiam denotant. Muscæ paruæ si parum ante solis occasum congregentur in altum ante solis radios, ad modũ formæ campanilis seu pyramidis: atq; ludant: signum est caloris, & serenitatis crastinæ diei. Mercurialis lib. 4. var. lect. cap. 14. auctor est, quòd nonnulli ferunt: Hispanis Muscarum multitudinem signum pestis esse. Consentit Theophrastus de muscis cum vehementer momorderint, pluuiam indicare. Causa est, ne cibus desit ob imminentem pluuiam. Muscæ natura, qualitas & præsagia.

Formica à ferendis micis dicta ex insectis vna, quæ in extremo vitæ tandẽ volat: animal prouidum, & prudentissimum, quamuis paruissimum: ipsa etiam prænuntia tẽporis est. Quandoquidem & si æstate pro hyeme congregat, ita vt nullum animal frequentius pondera conuehat: neq; si corporis mensuram respicias, maiora: propter quod Cicero lib. 3. de natura Deorũ existimauit nõ modo in formica sensum inesse, sed mentẽ, rationẽ, atq; memoriã: nihilominus tamẽ particularia tpa nobis oẽs pnoscũt. Quare si à frugũ collectione se abstinẽt, cõtinẽtq; ĩ sua tecta, claudãtq; puluere ostia domus: tpis mutationẽ manifestè nobis indicãt. Nã Formicę qualitas, & natura. Formicarum Præsagia tẽporum.

Sf parum

parum post vel pluet, vel tempestas erit cum tonitribus. Amplius formicæ conuersantes ante oua si gradiantur, illaque si è vallibus transtulerint in tutiora loca: signum est pluuiæ, aut tempestatis. Quod Theophrastus explicuit; formicæ in depressiori, & cauo loco commorantes, si oua ex cubili ad eminentiorem exportauerint: imbrem spondent: at si importarint ad proprias sedes, tranquillitatem. Horatius Poeta formicæ naturam his versibus lusit.

Horatius.

Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris,
Ore trahit quodcumq; potest, atq; addit a ceruo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri,
Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum:
Non vsquàm prorepit: & illis vtitur ante
Quæsitis sapiens.

Sed Diuus Ambrosius etiam Sanctæ Ecclesiæ Doctor insignis de formica aeris qualitates scripsit: quòd illa nouit etiam explorare serenitatis tempora. Nam cum aduerterit madidatos imbre fructus suos humescere, explorato diligentius aere, quando ignem possit seruare temperiem: aceruos suos referat, & de cauernis foras humeris suis portat: vt iugi sole propria frumenta siccentur. Denique nunquàm illis diebus imbres erumpere de nubibus videbis: nisi cum fruges suas horreis proprijs formica reuocauerit.

D. Ambrosij præsagium de formica.

Pulex etiam in ordine est eorum, quæ tempora præsentiunt: dictus à puluere, ex quo gignitur: vermiculus notus. Qui etsi paruissimus, nihilominus tamen nobis infestissimus est. Pulices igitur cum plus solito mordaciores existunt: pluuiam significant.

Pulicũ præsagia temporum.

Vermes à terra exeuntes, pluuiam denotant: extimulantur etenim ab humido. Subinde si multi conspiciantur, præsagiunt tempestatem Theophrasto: sed Aratus pluuiarum dumtaxat signa esse voluit; vocans terræ intestina. Vermes terreni trifolia interrumpentes, tempestatem significant futuram. Vermes multipedes in multitudine ad muros arrepentes, identidem imbres annuntiant, Theophrasto.

Vermiũ præsagia temporum.

Vespæ quas nostri ex Equino cadauere nasci volunt: alij ex Cocodrili cadauere, vel ex corrupto illius sanguine procreari, Cum Autumno multæ cernantur, & in magna copia, ingentes imbres, tempestatesque portendunt, Theophrasto, Arato, & Theoni. Ratio est manifesta, nimirum, quia crebris imbribus, & pluuijs annis illarum magna gignitur copia: quemadmodum de Apibus scribit Aristoteles lib. 3. de Animalium ortu cap. 10. in calce (nam illarum communem facit generationem.) Cum igitur terra sit valde madida, & vaporosa, humiditates tunc temporis plus solito, atque vapores procreat; cumque per id temporis Vespæ appareant, si glomeratim cernantur, & imbres, & tempestates prædicere, maximè consentaneum est.

Vesparũ ortus, & temporum præsignificationes.

Ex insectis Vespis affine crabronum genus est, pertinacissimum, aculeoque pestilentissimo armatum. Præsagit etiam aeris qualitatem. Nam si ante occiduas Atlantides apparuerint crabrones, ne dum futuram pluuiam, sed & longam hyemem innuunt. Ideò certè ante tempus apparent.

Vespis affine crabronum genus, & illorum præsagia.

Mutationes

Mutationes temporum ex Piscibus. CAP. XVI.

DELPHINVS inter pisces summæ magnitudinis, qui nó modo omnium marinorum, sed etiam terrestrium animalium est velocissimus; quinimo omnium volucrum (si authoribus est credendum) homini amicissimus: Nam & corpus ad litus defert sepeliendum, ne à piscibus comedatur, manifeste temporum qualitates nobis indicat. Quandoquidem tranquillo mari in multitudine lasciuiẽtes, vndiq; cum sæpius exiliunt: flatum ventorum ex ea parte, qua adueniunt, signant; vel quo illi feruntur, inde ventus exurget: & vnde nubes dicussæ cœlum aperiunt. Sed quando mare est turbatum, aquam si sparserint: significanr tranquillitatem. Bridefertus Ramesiensis in Glossis super Bedã de natura rerum tomo secundo, cap. 32. dicit, Delphinos obuiam ventis pergere, ne venti eos in vndis collectos ad littora allidant, & ad mortem consumant. Isidorus tamen scribit, quod cum præludunt in fluctibus, & vndarum se molibus præcipiti ferunt, tempestates significare videntur. At Plinius lib. 18. inquit, quòd Delphini flatum ex qua parte veniãt præsagiunt, mari lasciuiẽtes, & iterum aquã spargentes: itemq; tranquillitatem turbantes. Sed Theophrastus scribit, Delphinum, si ad terram natet, & crebro ex vnda maris emergat, imbres decernere, aut flatus. Omnes pisces extra aquam saltantes tranquillo, & sereno tempore, temporis mutarionem denuntiant, vel ad ventos, vel ad pluuiam, vel ad maris agitationem, atq; conturbationem, seu quoque ad tempestatem. Quod quidem intelligendum venit, tam de marinis, quàm de fluuiatilibus. Sed dicamus etiam de alijs puta de echyno, & de polypo. Habent namq; & sua prognostica.

Delphini natura, & qualitas. — *Delphinorũ præsagia temporum.* — *Bridefert us.* — *Isidorus.* — *Plinius.* — *Theophrastus.* — *Piscium præsagia in vniuersum.*

Echynus marinus piscis pinnata vndique testudine, ac spinis obductus est: vice pedum illis se voluit teste plinio. Comeditur deposito Cortice: aliter durus est. Quare Martialis cecinit etiam:

Cortice deposito mollis Echinus erit.

Quo factum est, vt apud doctos viros prouerbium inoleuerit: Echino asperiore. Piscis iste mirabiliter temporis mutationem præsagit: maritimam præcipuè. Nam cum correpris lapillis se se operit: indicat maris sæuitiam in proximo futuram. Sane id facit, ne nimia volutatione spinas atterat: ac ideo, vt pondere stabilis, immobilique perseueret: lapillis se operit. Quod factum cum Nautæ animaduetterint, statim nauigia pluribus anchoris infrenant: ne naufragio obruantur tempestate futura. Quæ & succedit.

Echini marini natura, qualitas, & præsagium.

Loligo piscis genus a volatu dictum teste Varrone. Nam vt ex Trebij Nigri sententia scribit Plinius lib. 32. cap. 2, tanta interdum multitudine è mari inuolant loligines, vt nauigia demergant. Coeunt linguis, quemadmodum & sepiæ componentes inter se brachia, & incontrarium nantes, pariunt autem ore. Nos Itali à thecæ calamariæ similitudine, calamarium appellamus: gustu suauissimum, si frixetur. Habent duo ossicola, quorum alterum calami, alterum gladioli perspicui, pellucidique imaginem refert. Loligo itaque volitans tempestatem præsagit Plinio libro 18, cap. 15. De hac nullam mentionem facit his Theophrastus.

Loliginum natura, & qualitas. — *Loliginum præsagia temporum.*

Pholis in lacu strepitum edens, hyemale signum prædicit Theophrasto. Quid sit Pholis, Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis. libro 30. cap. de Pholi scribit, videndum esse, vtrum sit Tinca.

Pholis præsagium.

Polypi natura, & qualitas. Polypus maximum animal crinibus, & brachijs quamplurimis à natura dotatus, quæ cirtos vocant, orium multitudine stipatos, quibus indicatur animal vorax. Colorem petræ cui se affigit: immitatur. Quò facto mouetur solinus ad dicendum, quòd polipi in mari sunt sicut Cameleontes in terra: quia cuicumq; rei se proximauerint, lenitate cutis assimilantur: licet in natura sua sint glabrea, Aut dum paruos piscuculos capere hac astutia instituit; aut metu, dum timet piscatores. Polypi vita. Vtrum autem vita eorum ad biennium duret? etsi plerią; illustres auctores id constanter, concorditerq; asserant: nos tamen minimè credimus. Obstat namq; Luculli authoritas à Plinio citata libro 9. cui obtulerunt Polipum immensæ magnitudinis. Cuius caput erat dolij magnitudine, capax amphorarum quindecim: barbasq; vix vtroq; brachio posse complecti, clauarũ modo torosas, longasq; pedum triginta: acceptabulis siue caliculis vrinalibus peluium modo, dentem vero magnitudini respondentes. Reliquiæ vero asseruatæ pondo 700. perpendere. Quomodo igitur solum ad biennium vsq; & non amplius viuat? potuit ne in tam paruo tempore ita in immensum crescere? Polypi præsagia temporum. Videant alij, sed ipse etiam tempestatem præsagit: Dum saxis diu firmiter hæret: nec inde recedit etiam esus causa, tempore quoq; existente sereno: ventorum tempestatem pronuntiat. Vide Beluacensem in suo speculo naturali libro decimo septimo capite 126.

Pulmonum marinorum natura, & præsagium. Pulmones Marini, qui latere solent in Arena: & sunt pisces Marini, quorum meminit Aristoteles libro 5. cap. 15. histo. Animalium, & Plinius lib. 9. cap. 47. & lib. 32. capite penultimo: si multi in pelago apparent, annum fore hybernum præsagiunt. Theophrasto, & Plinio, Qui locis prærecitatis inquit: pulmones marini in pelago plurium dierum hyemem portendunt; illudq; mirum addens, quòd si illo lignum, confricetur, ardere videbitur ob splendorem.

Temporum præsagia ex Ranis. CAP. XVII.

Diuersa ranarum genera. RANARVM genera plura, Marina quæ à piscandi astu, piscatrix cognominatur. Nam in limo tota se operiens, exceptis cornibus sub oculis eminẽtibus pisces capit: dum putarunt illam, suam prædam esse. Viridis, & hæc duplicis generis. Altera in aquis degens, quæ coaxat: altera vero terrestri, quod viuat inter arbores, & plantas: Rana calamita, sub cinericia. præsertim frutices, & arundines. Ideo calamita appellatur, estq; omnium minima, & viridissima: similiter coaxans, præsertim noctu. Est & altera sub cineritia. In vniuersum improbis, & importunis clamoribus semper obstrepunt: sed vna magis quàm alia. Ranarũ præsagia temporum. Ranæ igitur plus cum vehementi vsu suum prosequentes garritum: pluuiam significant. Id Ciceronis authoritate comprobatur, scribentis ad Atticum, libro quintodecimo: dum dixit, pluuias metuere, si prognostica sua vera essent: quia ranæ coaxabant ῥητορεύειν. Sed extat Maronis carmen primo Georgicorum, vbi ranas solito vocaliores pluuiam denuntiare affirmat.

Virgilius. *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.*

At vero si sub calce æstatis, Autumniq; principio magis coaxauerint: pluuias cũ tempestatibus denotare, nonnulli illustres authores scribunt; Ranæ mutæ. quod & nos multis experimentis comprobatum tenemus. Sicut & aliæ ranarum species mutæ: præsertim in Seripho Insula. Quo factum est, vt pro homine elingui, & muto in prouerbium cesserit: Rana seriphia. Ranæ rubetæ venenosa. Est & Rana rubeta omnium supradictorum maxima,

xima, in rubetis, & dumetis degens, vtcumq; venenosa; quam viro potu dedit matrona quædam Romana iuxta Iuuenalem Satyra prima hisce carminibus.

Occurrit Matrona potens, quæ molle calenum
Porrectum viro miscet sitiente rubetam. Iuuenalis.

Sed quæ viuunt sub terra, & humore terreno vescuntur:coloris cinerei,& pellis densissimæ, Buffones seu Rospi appellati, & etiam rubetes veneno plenæ, suntq; præda Talpis: ipse quoq; temporum mutationes præsagire videntur.Quãdoquidem si extra proprias cauernas in vespere gradiantur magnæ in corporum quantitate, & plures numero fuerint: pluuiam absq; dubio portendunt. Est insuper & cœlestis, quæ cum pluuijs cadit in æstate: quam nos sæpe vidimus, quæ dioptes vocatur. Buffonum, seu Rospord & cet. præsagia temporum.

Theophrastus vero de Rubetis, Ranis, & Salamandris, quæ sunt de genere Lacertarum hæc prædicit in libello de signis pluuiarum. Rubeta lotrix, ranæq; vltra solitum vocales: imbres inclamabunt. Rursus si viridis rana super arborem canat: pluuiæ signum est. Item Salamandra, quæ est lacerta si è latibulis exeat,ac se se præbeat conspiciendam, imbrium quoq; nuncia est. Temporum mutationes ex Rubetis, Ranis,& salamandris.

Aeris qualitates ex Quadrupedibus. CAP. XVIII.

NON solum volatilia cœli insecta,aquatica,& imperfecta animalia cęlestibus motibus, atque elementorum actionibus subduntur: Vnde & temporum mutationes præsentiunt: verum & animalia terrestria perfecta,& quadrupedia. De his itaq; agemus, sed non de omnibus. De aliquibus igitur tractaturi, vt futura tempora præ-noscamus: exordiemur ab Ariete. Aries qui Dux est gregis & ouium princeps ad sobolem propagandam relictus: ab Aris dictus, quia in ipsis immolabatur, vt manifestatum est in lege Moysi. Qui & Veruex quoq; à viribus, cum tanquam vir Ouium sit,cæteris bidentibus virtuosior: & si iuxta Isidorum dicatur etiam Veruex, quia vermem portat in capite; cuius pruritu sæpe caput mouet, & fortissime quandoq; concutit. Sed proprie veruex est, cui adempti sunt testiculi, vel inuersi; & ideo dicitur quòd sit natura versa iuxta Varronem. Arietis natura, & qualitas.

Aries itaq; aut Verueces vltra solitum salientes, lasciuientesq; si capitibus se concutiant plus solito; tempestates demonstrant. Ratio est, quia etsi Verueces vermem habent in capite, cuius pruritu caput mouent, & se se concutiunt, nihilominus tamen cum id plus solito faciunt:signum est elementa in vermem agere, vermem autem in capite: propter quod caput mouent: vnde tempora mutari maximè conseataneum est. Arietum præsagia temporum.

Pecudes deinde si nimium solito comedant, & accipiunt in nutrimento:aquarum abundantiam innuunt. Amplius pecora exulantia indecora lasciuia, si ludant: pluuiam quoq; portenduut. Item si simul iaceant: tempestatis est indiciũ. Nam vna alteram fouet: & quasi defendere videtur. Arietes quoq;, & Oues antiquæ in vere si ad Venerem promptius extimulantur, mouenturq;: subsequẽtem æstatem calidiorem declarant. In vniuersum vero Oues tardam Venerem exercentes, serenitatem promittunt, quemadmodum si maturent, hyemem prosperare significant Theophrasto. Qui etiam conuenit cum superioribus, nimirũ, si vltra solitum ad pastum festinent, & pugnent (quia se præparant) tempesta- Pecudum,& pecorũ præsagia temporum. Ouium præsagia temporũ ex Theophrasto.

tem

tem indicant. Si autumno terram fodiant, corporaq; gregatim ad somnum componant, capita vicissim conuersa habentes: asperam hyemem portendunt. Rursus si recrementum fuerit moderatum, vt plurimum oues fame infestabuntur. Item oues, vel Capræ si rursus coeant: longè hyemis inditium præbent.

Asini natura qualitas, & præsagium.

Et Asino quoq; in nata est virtus præ cæteris, præsagiendi tempora. Est etenim Asinus melancholicum animal, laborum patiens, victus parcissimi: & quibusuis alijs, quam sibi natum, nemine iniuria afficiens. Asini itaq; si suas ficent aures; pluuiam denuntiant. Item si se vertant, dorsa sua ad terram fricantes: signum est magnarum guttarum pluuiæ. Amplius si extra tempora sua plus solito oncant, signum est mutationis temporum vel ad ventos, vel ad pluuias, vel quandoq; ad tempestates. Theophrastus author est, quod Asinus aures collidens, tempestatis est nuncius.

Bouis, & Tauri discrimen. Boum, & similiũ præsagia temporum.

Bos tamen si sit communis generis, ad castratum tamen refertur. Taurus verò ad non castratum: sed est vaccarum admissarius. Huius igitur generis omnes temporis mutationes nobis indicant. Primo si contra pilum se lambant, pluuiæ extat indicium. Si autem incipiente pluuia, comedant fortiter: pluuiæ dilationem denuntiant. Subinde si simul iacent vt pecora, vnus prope alterum, tempestatem indicant: putant enim se sic tueri; vt de Arietibus ouibus, & pecoribus dictum est. Rursus si in sinistra parte iacent in terra, temporis bonitatem arguunt. Vaccarum verò partus frequentes, aut earum mors, pluuias, sequente bruma annuntiant. Amplius si lasciuiunt, per deuia cursitantes: pluuias, aut tempestates, aut ventos portendunt. Conformia sunt ex parte hec quæ scripsimus Theophrasticæ doctrinæ. Nam de boue ita prædicit, Bos lambens anteriorem vngulam, tempestatem, vel imbres imminere, ostendit. Rursus si eleuato capite sursum, aspiciens in cælum, odoretur, pluuiam præsagit. Quod de buculis omnibus intelligendum est, quæ si in patulis naribus auras captauerint, cælum suspicientes: pluuias, seu tempestates indicare, plures authores affirmant. Causa primi ex Aristotele elicitur, qui lib. 6. de historia animalium. Cap. 7. & 21. scribit bouem articulorum dolore in pedibus laborare; quare pedes, & vngulas imbecilles habet; cum igitur vel imbres adsunt, vel tempestas est in præcincto, afficiuntur illæ bouis partes à meteoro in aquam conuerso: propter quod anteriorem vngulam lambere, cogitur. Sed cur anteriorem, & non aliam lambant? primò dicitur, quia illa magis afficitur: secundò quoniã est ei proxima: nam certè omnes afficiuntur. Quare & Aratus posteriorem cecinit. Causa secundi est, quia cum patulas habeat nares, sentit aerem humescere; ideo eleuat caput, odoratur, & recipit humiditatem, illam, quam summopere desiderat. Id Aratus sentijt, & Marcus Varro versibus illis.

Theophrasti præsagium ex Theophrasto.

Bouis pedes & vngulæ imbecilles.

Bos cur aspiciens sursũ eleuato capite, imbres prænuntiat.

Et bos suspiciens cælum (mirabile visu)
Naribus aerium patulis decerpit odorem.

Sed & Virgilius attulit etiam causam, dum cecinit.

Aut bucula cælum
Suspiciens patulis captauit naribus auras

Tempestas & serenitas ex bouibus.

Item boues si magis comedant, quàm soleant, & super dextero latere iaceant: tempestatem nunciant, & è conuerso, si super læuo quiescant, serenitatem præmonstrant. Causa primi est, quia putant sibi de esse cibos ob futuram tempestatem, non enim ad comedendum exire possunt. Cur autem si super dextero latere quiescant, tempestatis nuncij sunt, & super læuo, serenitatis? causa certè occulta est: nisi dicere velimus, quia pars læua conformis est, & symbola tempestati, ac propterea aeri illam exponit: dexteram vero abscondit: è regione autem,

pars

pars dextera serenitati symbola est; ideo aeri illam patefacit, sinistram verò tegit.

Canis notissimum, & domesticum animal à canendo dictus; quia vel nocte in custodia, vel in venando signum dat: cunctis animantibus vociferatior: Domini sui amantissimus, comes fidelissimus, custos incorruptissimus, excubitor vigilantissimus, vltor & vindex constantissimus, ita ab elementis extimulatur: vt nobis indicent cuiuscũq; oẽs generis sint, vel domesticus, vel villaticus, siue pecuarius, molossusue, vel melitæus, siue delicatus, quæ tempora erunt, num nubila, num ventosa, num pluuiosa, num serena, quoniam & hi, quemadmodum & alia, cœlorum influxibus, & elementorum agitatione afficiuntur; vt dictum est. Canes igitur cum per terram se volutant: ventorum indicanr flatus. Quod si eorum intestina murmurent: pluuiam ostendunt. Si verò ab aere in habitationem se recludant, nulla alia præcedente causa, etiam tempore existente sereno: tempus ad tempestatem inclinans, portendunt; timent namq; illam. Nonnulli autem referunt, quòd si plus solito latrent, aut dum gramina vorant, aut male illata euomunt: pluuiam quoque, aut ventos, & aliquando tempestatem portendunt. Sed & Theophrastus de Cane prædicit, si humi se volutauerit, magnos ventos polliceri. Itẽ si pedibus terram fodiat, tempestatem. Subinde, si super læuo latere quiescat, serenitatem, si super dextero, tempestatem præsagire, vt de boue dictum est.

Canis natura, & qualitas.

Canum præsagia temporum.

Theophrasti præsagiũ de Cane.

Ericius, seu Herinaceus, qui & Echinus terrestris: vndiq; aculeis munitus, prçterquam in ima parte vbi aculeis caret omnino: sed resident pili lanæ similes, rari, & innoxij: & ipse etiam temporis mutationem præsagit. Quandoquidem si in cubile se condit: signum est Aquilonem verti in Austrum. Multa de eius natura, sed astutia præsertim apud Plinium libro octauo, cap. 37. Animal hoc ventos valde pertimescit. Ideo sapientes dicunt. Ericium duo foueæ suæ ostia facere: sed ex illa parte qua sperat flatus venruros illud ocludit. Si autem illo desinente alius spiret, illud quoq; concludit, alio aperiente: At vero si contrarij flauerint venti: ambo ostia claudit. Vide Aristot. lib. 9. cap. 6. de historia animalium. & Theoph. de signis ventorum.

Echini terrestris natura, qualitas, & temporum præsagia.

Felis, qui vulgo catus dicitur ab insigni astutia in capiendo mures: propter q & illum nos domi tenemus, & alimus. Facie, dentibus, & vnguibus Leoni similis, ita vt paruus Leo dici possit: præsertim si certat inclusus. Plus piscium auidus, quàm carnium: Quemadmodum & ille Poeta cecinit, etsi aquam timeat.

Felis, seu cati natura, & qualitas.

Catus amat piscem, sed non vult tangere flumen.

Summopere laudatus à Plinio in murium venatu. Feles inquit, quo silentio, quàm leuibus vestigijs, quàm multo speculatu, in musculos exiliunt? excrementa sua obruunt terra: intelligentes illum odorem indicem sui esse. libro 10. cap. 73. sed Aelianus libro septimo, capite 40. scribit. Ideo feles excrementa sua, fossa prius facta, occultare: quia ab omni retro odore abhorrent. Feles itaque & nobis quoq; temporum præsagia indicant. Si namque pedibus suis anterioribus, nunc quidem dextro, nunc quoq; sinistro suum lauent caput, sed præcipuè aures, quas continuò fricent: ita vt ab aurium musculis capiti colligatis incipiant, prosequanturq; paulatim, & fincere desinendo: temporis mutationem vel ad ventos, vel ad pluuias, & quandoq; ad tempestates nuntij sunt: quod vt plurimum experimento comprobatum tenemus. Causa est naturalis, quia illi loci ab elemento in meteora conuerso, maximè afficiuntur: vnde & pruriunt. Easdem ferè mutationes temporũ portendunt, si per domum nulla alia vrgente causa, discurrunt, & saltant. Signum quippe est extimulari ab illis temporum qualitatibus, & meteoris. Præsertim si discurrentes, garriant, & vocem emittant.

Feles cur excremẽta terra obruunt.

Felum præsagia temporũ.

Leo

Leonis natura, & qualitas. Leo animantium omnium fortissimus, magnanimus, & vno excepto homine generosissimus, brutorum omnium princeps: quibus animo, robore, & crudelitate quemadmodum antecellit: ita ex illis solus clementia vtitur in supplices, prostratis parcens. Vnde Ouidius.

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni
Pugna suum finem, cum iacet hostis habet.
At Lupus, & turpes instant morientibus Vrsi
Et quaecumq; minor nobilitate fera est.

Leo quae refugit, & expauescit. Qui quamuis sit animal ita ferox, refugit tamen scorpiones & abhorret: expauescit galli cantum, & eius praesentiam contremiscit, atq; ad conspectum albi coloris praefulgidi timet: vt mirum sit in tam fortissimo omnium animali pauorem, & timorem de paruis rebus cadere. Sed lege lucretium de Gallo. Nihilominus tamen & ipse quoque temporis mutationem nobis ostendit Leones igitur si Leonis praesagia temporum. sursum respicientes per nares aerem trahunt, ac si olfarent superiorem aerem: pluuiam nobis indicant. Quod etiam de bobus, vti scripsimus, de buculis quibuscumq; debere intelligi: authores scribunt.

Lupi natura, & qualitas. Lupus animal ferox, & rapax, immanissimum, & crudelissimum, ouibus naturaliter infestum: similis cani, vnde, & quidam tenent, lupum esse canem syluestrê, acutissimis praeditus est oculis: vt in noctis tenebris omnia quaeq; discernat, adeò oculorum acie est insignitus: in periculis declinandis callidus, in incessu prudens, vnde, & si casu pede strepitum effecerit, statim illum mordet: vt in posterum magis aduertat, ne erret. Si prius viderit hominem, dubio procul illi vocem adimit: si verò illum homo prius respexerit, perdit vocem lupus. Naturalis causa adest, nimirum, quia vterq; visus sibi inuicem noxius est: ac ideo alter alteri vocem tunc adimit.

Lupi praesagia temporũ. Quo verò ad ea, quae ad temporum mutationes attinent, dicendum remanet, lupum vlulantem tempestatem praesagire Theophrasto. Sed cur lupus vlulans tempestatem praesagit, cum luporum proprium sit vlulare, sicut leonum rugire, Dubium. equorum hinnire, boum mugire, & caet. & cum proprium sit illud, quod non potest separari ab eo, sequeretur, quòd semper lupus vlulans, semper tempestatem praesagiet: quod certè est contra naturae leges, quae vt plurimum verificantur, Responsio. non semper. Ideò dicendum est, Theophrasti mentem esse, quòd lupus vlulans plus solito, citra horam, vltra tempus, horribiliter, & caet. tunc vtriq; tempestatem praesagit: & ita explicandus est Theophrastus. Item ad opera festinans, vel intra triduum hyemale tempus futurum praeuidet, vel iam iam adesse tempestatem. Ararus ad triduum tempestatem expectat.

Murium genera varia, & temporũ praesagia. Murium genera viginti ferè ab authoribus enumerantur: omnes temporũ mutationes indicant: sed qui nobis noti sunt, manifestè. Mures itaq; stridentes, ac saltantes hyemale praesagium praedicunt Theophrasto. Rursus quisquilia, seu cusculia ludenres, & pugnantes, illa tandem auferentes, & furantes, tempestatem. Item cum plus solito apparent, & domum infestant, etiam tempestatis, seu imbrium sunt nuncij.

Suis natura, qualitas, & temporum praesagia. Nullum animal magis brutum, magisq; sordidum sue, cum totam vitam expendat in coeno, & in stercoribus, quae, suas reputat delicias: atq; ad nullum vsum aptum, idoneumq; videris, dum vixerit, nisi ad epulas: & post mortem euadit cibus noster. Sed ipse etiam aeris qualitatibus afficitur: vnde & nobis temporum mutationes praesagit. Sues igitur, vel porci, siue domestici, siue syluestres, si foeni manipulos dilacerant, & abscondunt: pluuiam ostendunt. Quarè Virgilius Georgicorum libro primo id hoc carmine confirmauit.

Immundi

Immundi meminere sues iactare maniplos.

Quod autem prouerbio dici solet, vbi sus agrestis peperit, non pluet: id profecto dictum esse putato, quia domesticæ sues sæpe, ac diuersis temporibus pariunt: agrestes vero & feræ non nisi semel; idque ijsdem fermè diebus, nimirum ineunte æstate. Cum itaque prouerbio dicitur, vbi sus agrestis pepererit, non pluet: intelligitur certè exactis iam mensibus pluuijs: hoc est post hyemem, & ver, nonnisi in æstatis initio.

Talpa animal paruum simile muri, oculis captum, vnde est prouerbium: Talpa Cæcior. Quamuis oculos sub corio latentes habere auctores scribunt, quos in morte dumtaxat aperit. Nam cute detracta ab oculorum locis, quia crassiuscula est: statim oculorum vestigia apparent; nimirum orbiculus nigricans, & in eius medio pupilla. Viuit sub terra, ac propterea hortos, & arua suffodit egestis velut colliculis: præsagit & ipsa quoque temporum mutationes. Quandoquidem si Talpæ plus consueto in terram operentur in minutis partibus quasi arenam fractam, profecto futuram portendunt pluuiam. Hæc sunt quæ circa temporum mutationes ex quadrupedibus, ex ranis, ex piscibus, ex insectis, ex vespertilionibus: ex pennatis domesticis, ex aliquibus auibus in particulari, & in vniuersum: ex his quæ circa ignem, aerem, aquam, & terram fiunt, excerpsimus. Sed multa alia etiam adducere possemus: vt de culicibus cum equos instantius perurgent, atque pungunt: & etiam alijs. Nam varias temporum mutationes portendunt. Sed prærecitata, illustriora sunt. Adnotato tamen omnino aggrestes belluas, cum ad culta loca appropinquant: aquilonios flatus, ac hyemis magnitudinem ostendere Theophrasto. Nunc verò inanimatorum status expendere libet: quia ipsa etiam sua prognostica habent.

Talpæ natura, & qualitas.

Talpæ præsagia temporũ

Beluarumq; agrestiũ præsagia.

Temporum præsagia ex mistis inanimatis. CAP. XIX.

VIGOROSISSIMA est elementorum actio. Quippe quæ non solum in animantibus influant, & quæ viuunt: verum in insensibilibus, & vita carentibus. Quis putaret insensibilia hæc pati, cum passio sensationem faciat? & tamẽ patiuntur: quia sensibilibus qualitatibus afficiuntur. At re vera in se nihil patiuntur, quia non sentiunt: sed ostendunt nobis sic pati, quia videmus illa mutari. Pleraque igitur ex inanimatis docent nos temporis mutationes.

Elemẽtorum actio vigorosissima.

Campanarum sonus lõgius si audiatur, quàm soleat, dummodo non sit ventorum causa: pluuiam significat. Abundat namq; in aere humiditas, quæ cum per ipsum extendatur: sonum quoq; extendi par est. Ac ideo longius audiri solito contingit sonum: quia medium plenum est humido, sicuti maiora videri contingunt, quæ sunt in aqua, quàm dum extra fuerint. Id certe ex ratione medij pleni contingit. Quo fit, vt sonus augeatur: & longius quam soleat, audiatur. Quòd si dixeris, medium plenum impedire, quia plenum: nos tamen dicimus, illum plenum esse causam extensionis sonus, vt longius solito audiatur: qa per illud plenũ defertur. Quod si careret humiditate illa dubio procul non ita defereretur; vt longius q̃ soleat, sonus ille audiretur. Vasorum deinde copercula citra solitum strictiora, tpis mutationem denuntiant: vel ad ventos, vel ad pluuias. Amplius fuligo ab euaporatijs cadens magis q̃ soleat: pluuiã denotat. Huius certe causa est, humiditas fuliginem grauans, ac deorsum impellẽs: propter quod cadit; sicuti

Campanarũ sonus.

Vasorum copercula plus solito strictiora.

Fuligo ab euaporarijs cadens.

Tt

ſicuti illius cauſa eſt, copercula illa aere ambiente humido impleri: habent etenim partes ſuas poroſas. Odorifera vltra debitam diſtantiam, & eis conuenientem, ſi odorem emittant: ſignum eſt pluuiæ. Quia odor extenditur per medium humido plenum: atque augetur. Zonæ ſericæ magis aridæ quàm ſoleant, ventorum ſiccorum ſunt indices: magis humidæ ſolito, pluuiarum.

Odorifera. *Zonæ ſericæ.*

Salſæ carnes vberius ſolito ſi humectentur, & ſal in vaſe liqueſcens vltra ſolitum: dubio procul ſigna ſunt futuræ pluuiæ; Quemadmodum ex domate ſuſpenſa cum deſudant latera porci. Tempore hyemali, & pluuioſo ſi res ſubito deſſiccentur, vt Papyrus, quæ facile humectatur, & marmor: ſignum eſt ventorum, ſed præcipue gelu. Siccæ res ſi de facili humectantur: pluuiam portendunt, & ventos auſtrales. Nulla res marmore ſiccior, nihilominus tamen videtur plerumque humidus, & quaſi aquarum guttas ſtillare: tunc dubio procul ſignum eſt, humidum aerem prædominari; ac propterea ventos auſtrales flare: è quibus pluuia expectanda eſt. Dum pruriunt, titillantque ſub crepidis pedicæ: venti, & pluuiæ expectandæ ſunt.

Carnes ſalſæ, & ſal. *Papyrus, & marmor.* *Res ſiccæ.* *Pedicæ ſub crepidis titillantes.*

Hyacinthus gemma & ipſe etiam inter cæteras oſtendit nobis temporum mutationes. Verum & ſciendum eſt iuxta Cardanum libro quinto de rerum varietate capite 19. Hyacinthorum quatuor eſſe genera. Primum eſt optimum, carbunculo ad vnguem ſimile: ſi aeri exponatur. Secundum eſt Chryſolitheum, quod eſt vulgare, atque commune: ſed pulchrum aureo colore ſplendens. Tertium ſardium ſimile ſardæ, colore ſanguineo: ſed croceo, & turbulento. Quartum aqueum eſt, & valde diluti coloris, à paucis cognitum: ſed aureum referre colorem, neceſſum eſt. Nam omnes hyacinthorum ſpecies inter aureum colorem, & croceum poſitæ ſunt.

Hyacintorũ genera varia

Hyacinthus itaq; tam primi, quàm ſecundi generis, ſed certius primi, ſereno, & tranquillo tempore mutatur. Nam obſcurior fit, ac turbidus: in nubiloſo aere, & imminente tempeſtate, rubeus, ac veluti ſplendida pruina. Habes itaq; Hyacinthum præſagium eſſe in tempeſtate. Quemadmodum idem ſuper laborantes graui morbo, præſertim peſtilenti, poſitus, quoniam patibilis ſit, colorem amittet. Ita vt laborantibus peſte prodeſſe, neceſſum eſt: & non correptos ab illa, tueri. Dioſcorides autem ſcribit, teſte etiam Heluicco Ordinis Prædicatorum Theologo, libro ſecundo de metallis, & lapidibus capite 28. Hyacinthum aeri ſe maximè conformare: vt ſit in nubilo nubiloſus, & in ſereno ſerenus. Quod autem horum verum ſit: experiri prudens philoſophus poterit. Nam ſi primum verum erit, Hyacinthus erit præſagium in tempeſtate: ſi ſecundum, præſagium in ſereno, & in nubilo. De Argylla ſcribit Theophraſtus in libello de ſignis tempeſtatum, ſi quis accipiens inſpergens argyllam, & ſuper vaſculum imponat, dicitur, vocibus quas emittit ventum, ac ſerenitatem præſagire.

Hyacintorũ præſagia temporum. *Argyllæ præſagia temporum.*

Temporum præſagia ex Homine. CAP. XXI.

Hominis dignitas, & nobilitas.

EX omnibus animantibus nil illuſtrius homine. Cum etiam iuxta Ciceronem libro primo de legibus, animal hoc prouidum ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem vocamus hominem: præclara quadam conditione generatum ſit. Ex duabus etenim conſtat præcipuis partibus ſibi eſſentialibus, corpore

corpore scilicet, & anima. Quarum & si prima nempe corpus intereat: secunda tamen quæ est anima, immortalitate plena est. Hac homo non subditur neque cœlo, neque elementis: cum sit supra illa, nisi per accidens, & indirecte: pro vt scilicet est corporis forma: Hoc autem vtrisque subditur. Agunt certe cœli, & elementa in res corporeas influxu, & actione quadam nobis inuisibili quidem, & occulta: sed sensibili tamen & manifesta; vt ipsorum motu, & circumcursatione, lumine, & affectione alterentur, qualitatibusque varijs afficiantur. Quo fit, vt & homo ipse etiam illis afficiatur. Vnde & in seipsis temporum mutationes præsentiunt: alijsque indicant. Senes itaque, & alij qui læsa ossa habent, & quartanarij cum frigore leduntur: gelu, & temporis mutationes varias significant. Iuncturæ patientium podagras, & ossa fracta non bene curata, si doleant: pluuiam denuntiant. Homines nocturnis visionibus mortuos si videant propinquos (tanquam sibi notos) & pisces aqua carentes, si videant: dum tamen in die nulla fuerit talium meditatio, humores & pluuias significant. Qui somniant se natare, vitioso phlegmate abundant: ac propterea pluuiam futuram pronuntiant. Qui somniant se volare, ventorum flatus portendunt, & aeris serenitatem: quandoque etiam turbulentiam; prædominatur certè aer. Qui somniant aues vel ex se, vel illas capere: signum ventorum certe est die sequenti. Qui somniant se præliari, aut ignes excutere, aut in ignibus proijci, aut ignes absolute videat: maximi æstus est indicium; flaua etenim bili abundant. Qui somniant carceres, antra, specus, puteos, casus, labirinthos, res obscuras, & similia, malencholiam inducentia: aeris turbulentiam, & illa tempori congruunt, quæ sunt de saturni natura, vaticinentur: prædominatur quidem atra bilis. Porrò somnia multas causas habent. Verum inter alias (præter diuinas) cœlestes primum obtinent locum: elementariæ vero secundum. Nam somniorum signa in triplici sunt serie: in cœlo, in elementis, & in somniante. Sæpe quidem ex cælesti fiunt impressione: ac tunc dubio procul temporum mutationes ostendunt. Cœlestia namque corpora cum sint effectuum naturalium, qui in hisce inferioribus per motum suum fiunt, & lumen, causæ: ex ipsorum impressione dispositiones quædam illis effectibus similes in aere relinquuntur: qui postea eueniunt. Quæ certe dispositiones in somno eodem mediante aere ad dormientis caput perueniunt: eiusque imaginationem immutant. Ita vt ex huiusmodi impressione à corporibus causata cœlestibus, per elementa transfusa: eidem dormienti aliquæ phantasiæ cœlestium dispositioni conformes apparent. Possunt itaque à dormientibus ex tali impressione futuri quidam somniari euentus: qui ipsorum virtute naturaliter causantur. Sunt verò tempestates, pluuiæ, humanorum ægritudines corporum, rerum sterilitates, cæteraque ipsis similia: quæ cœlestium causalitati subduntur. Ratio autem cur immutationes prædictæ in somno præsertim percipiuntur? Nulla certè alia est: nisi quia tunc sopitis sensuum actionibus, & vacante intellectus operatione, cessanteque tumultu, vel exteriorum occupationum strepitu: phantasia magis viget. Cæterum reliqua somnia (præter illa quæ diuinam, & cœlestem causam habent, & quæ naturalem) vana sunt, & inutilia, atque in errorem inducentia: ambigua, fallacia, & inania. Quare Tibullus bene cecinit.

Hominis ani ma non subditur cœlo nisi per accidens.

Homines præsagia temporum.

Senes, & ossa læsa habentes, podagrici.

Somniantes mortuos pisces aqua carentes.

Somniantes natare, volare, aues capere, præliari, ignes, & cæt.

Somniantes carceres, antra, specus, & cæt.

Somniorum discrimina.

Somnia quo modo fiunt.

Immutationes cur fiant in somno.

Somnia omnia vana, præter diuina, & naturalia.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Et nos sæpe lusimus cum alijs dicentes.

Somnia ne cures, quia fallunt plurima plures.

Somniorum interpraetationes ad naturales causas referri possunt.

Si autem quis quaereret, num aliquorum somniorum interpretationes referri possunt ad naturales causas? respondetur vtique, & iam dictum est, & dicimus, quod si quis (verbi gratia) somniat ignem, praeter praerecitatam interpraetationem, interpraetari possumus futuram iram: & timere consequentia possibilia. Si quis somniat se videre os magnum, & putridum: interpraetari possumus falsi criminis impositionem. Si quis scorpionem interpraetari possumus futuram detractionem occulte. Ratio naturalis est, quia talium dispositiones mouerunt somniantem ex parte corporis, vel ex parte animae. Quemadmodum in ira futura iniuriae illatae memoria fortasse praecessit: vel alicuius ascensus sanguinis circa cor. Falsi criminis impositionem forte praecessit suspiciosum aliquid, aut aliquod suspectum factum: cuius motus fuit signum futuri. Accidens autem, seu incursus iuxta Philosophum est de his, quae procul sunt tempore, vel loco: & quorum notitia super nostram videtur esse prudentiam. At in his & similibus magna cautela procedendum est, & magna prouidentia cauendum: ne fides omnino adhibeatur, ne intentio feratur: neque obseruatio perseueret, Nam fiet multoties, vt veniens inimicus homo, qui superseminat zizaniam: in multos errores inducat homines. Diuina itaque somnia, & naturalia obseruare licet: alia verò relinquenda penitus, vt superstitiosa, quinimò vana: in quibus saepe se immiscet Demon.

Capitis grauedo, palmae manus siccae, vel humidae.

Verum, vt ad nostrum reuertamur institutū: sunt & aliae etiam temporum prognosticationes ab homine praeter praedictas. Quandoquidem si capitis grauedo accidit, mutationis temporum signum est: sed plus ad pluuiam. Similiter si palmae manus ad siccitatem redeunt, temporis mutationum signum est: sed potius ad siccum; si ad humidum superflue, humiditates, & pluuias indicant. Amplius, dum sternuant, & plus solito: manifestam temporis mutationem indicat, vel ad ventos, vel ad pluuias, vel ad tempestates, vel saltem ad humiditates. Mouetur enim caput naturaliter à praedominante elemento. Quòd autem sternutamenta ad auguralia nonnulli reuocarunt nescimus qua ratione id dicant: cum sint prorsus res naturales. Quid enim est sternutatio, nisi flatus è pectore exurgens cum commotione capitis? Quis autem talem impellit, nisi natura? Naturalibus quidem causis sunt obnoxia sternutamenta. Concitantur à siderum influxu, ab elemento praedominante praesertim ab ambiente aere, à cibo humores mouente; à loco humido, sicco, frigido, calido corpus hominis afficiente: à vapore demum delato à pulmone ad caput. Ita vt quemadmodum venti in terrae visceribus inclusi, non habentes, vnde exeant, efficiunt, vt terra perstrepat, & fit terremotus: ita & in Microcosmo homine accidit, vt flatus in corpore inclusus quibusque de causis, non habens exitum, efficit, vt ille perstrepat cum pectoris fremitu, & capitis concussione. Quòd autem Aristoteles in libris de natura animalium scripserit, sternutamentum est signum augurale, & vnum è spiritibus vniuersis sanctum, & sacrum: si non aliorum opinione loquutus fuerit, superstitiosum quid scripsit plus illi authoritatis tribuens, quàm res ipsa expostulat. Si etenim à natura sternutamenta proficiscuntur, quomodo ad auguria pertinent? Cum auguralia superstitiosa sint, & contra naturalia opponantur è diametro? Et si (vt diximus) plerumque fit sternutatio ex vapore ad caput delato, iuxtaque ipsum mens sit in corde, & non in capite, cur augurale facit sternutamentum? Sed prosequamur intentum. Inter homines etiam pueri manifeste nobis indicant temporum mutationes. Nam ob aetatis teneritudinem citius aeris impressiones sentiunt. Quare dicunt medici, pueros facilius infici, quàm senes: quia sunt carne molliores; ac propterea in eis aer leuius imprimitur. Itaque puer dum insomnes noctes transigunt, flendo: signum est mutationis temporis. Aguntur etenim à praedominan-

Sternutatio citra solitū.

Sternutatio non est quid augurale.

Sternutatio? num causae.

Sternutatio est terremotus in homine.

Arist. reijcitur, qd sternutatio sit auguralis.

Puerorum praesagia temporum.

te elemento, ac tempore, sicque mentibus solitam quietem prurigo illa negat. Pedes corporis si intumescant, austrinos flatus indicant, ac propterea procellam. Theophrasto in libello de tempestatum signis. Ratio est, quia tumor ille prouenit à calore, & humore extraneo vehementer excitato in illa corporis parte, qui ambo flatu Austrino commouentur. Cumque Ecnephias sit procellosus, quia violent[illegible]isque austrinus, non aquilonius, & tumoris causa est, & procellæ.

Pedes corporis intumescentes.

Ex arboribus, & plantis temporum præsagia.
CAP. XXI.

INTER viuentia enumerantur plantæ, & arbores, nam certè vegetant: sed hæ etiam temporum mutationes nobis ostendunt. Dumi itaque, qui & spinæ, aut vepres, dum nigrescunt: pluuiam cum tempestate denuntiant; Quod quidem de rubo, & saltu intelligendum quoque venit, dum scilicet nigrescere cernuntur: nam imbres, & tempestatem præsagire, plures grauissimi authores asseuerant.

Dumorū, rubi, & saltus præsagia tēporum.

Ilex duplicis generis, alterum arboreum, alterum fructiferum. Primum dat etiam glandes, dura materia, aculeatis folijs, fructu minori glande, & cæt. dat granum puniceum, vt sua: viscum, ac hyphear, vt aliena authore Theophrasto in historia plātarum. lib. 3. cap. 16. viscum a borea, hyphear à meridie portat. Secundum cocciferum est leui cortice, duplicis quoque generis: maius, & minus. Maius vulgò nascitur, folio querno, minore tamen, & aculeato, perpetuò virente, sed grano puniceo maiore. Excrescit aliquando iustæ arboris altitudinem: aliquando vix fruticum attingit magnitudinem. Minus à Grecis vocatur κόκκον. à Plinio Ilex Aquifolia. Grani namque sunt rubentes, & punicei, quibus lanæ, gossipia, res sericæ tinguntur. Ex quibus texitur scharlatum, & charmesinum, à chermes dictum, quo nomine Arabes pannum tintorum vocant: sed Plinius quisquilium, alij cusculium. De cocco vide pausaniam in Phocicis. Quo verò ad temporis mutationem attinet, dicendum est, Ilices vltra modū fructificantes, squalores, & siccitates portendere, aratus hisce versibus è greco in latinum translatis, ostendit.

Ilicis duplex genus.

Ilicis maioris qualitas, & quantitas

Ilicis minoris natura.

Ilicis præsagia temporū

Neq; nimis insolenter, grauida fiant vndequaq;.
Sed magis procul à squalore spicis compleantur arua.

Quod & testatur Theophrastus in libello de signis tempestatum, aliorum opinione hisce verbis. Interdumque hoc præsagio squallores demonstrari, inquiunt. Causa certè est caloris intrinseci, & extrinseci copia, squallores sufficiens efficere. Item abundè fructificantes, asperrimas imminere ostendunt tēpestates Theophrasto, Arato, Plutarcho, & Theoni. Quod quidem maximè annotandum est, non enim vnam asperrimam tempestatem, sed tempastates asperrimas in plurali, fore, dixit. Et id certè non absque ratione. Nam vt arbores fructificent maximè, maxima dubio procul humiditatis copia indigent: Cum igitur Ilices maximè fructificauerint, signum certè est, abundare humiditate: cumquè Ilices sint maximè calidæ, & siccæ, plurimum participantes, & exhalationis (vnde cum vrūtur, clamitant, sonumque maximè edunt) quomodo conuenient adinuicem magna

Ilices abundè fructificātescur asperrimus indicat tēpestates.

gna

gna humiditas, & magna ſiccitas? Ergo aſperrimas tempeſtates fore, dicendum eſt, & rectè iuxta Theophraſtum, & alios. Amplius, fructibus maximè onuſtæ, aſperam hyemem, vt plurimum denuntiant Theophraſto, eadem ferè cauſa.

Lanuginis populi, ſpinæ, & cæt. præſagia téporum.

Lanugo populi, aut ſpinæ volitans, aquiſquè pluma innatans, ventos prædicūt Plinio. Sed Virgilius leuem paleam, frondes, & plumas cecinit hiſce verſibus.

Sæpe leuem paleam, & frondes volitare caducas,
Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.

Theophraſtus verò ex interprete pappos dicit his verbis. Pappi multi qui ex ſpinis ortum habent, ſi ad mare ferantur: magnum futurum flatum præſagiunt. At in vniuerſum, lanugines ex arboribus lanigeris ventos prænuntiant.

Lentiſci natura, & qualitas téporis

Lentiſcus arbor notiſſima, roboris altitudine, folia habens ſimilia ſorbi, ſemper virens, odore terebinti, acinis rufis dum matureſcunt, cum autem maturuerint, nigris: maſtichen exudat in modum gummi, tria arandi tempora demonſtrat. Primus primum arandi tempus, ſecundus medium, tertius poſtremum, & qualis horum vberior fuerit, talis erit aratio. Nam ter in anno fructus profert, quod & teſtatur Cicero lib. primo de Diuinatione verſibus illis ex vetuſto Poeta adductis.

Iam verò ſemper viridis, ſemperq; grauata
Lentiſcus, triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Concordant Theophraſtus, Aratus, & Theon in Commentarijs.

Scillæ natura, & temporis qualitas.

Scilla herba ex genere bulborum, radices habens ad modum cepæ multipliciter tunicatas, & ipſa quoq; temporis qualitates oſtendit. Quandoquidem flore triplici albo tria arandi tempora monſtrat, ita vt ex arationis indicijs meſſis prouentus elici debeat, quemadmodum ex triplici lentiſci fructu, vt paulò iam ante dictum eſt. Si quidem qualis horum erit pulchrior, talis erit aratio, & meſſis prouentus. Theophraſtus de plantarum hiſtoria lib. 7. cap. 12. cui concordant Aratus, & Theon in Commentarijs. Sunt, qui dicunt, Ciceronem libro primo de Diuinatione ad lentiſci flores id retuliſſe, verum Vetuſti Poetæ carmina ab ipſo met Cicerone adducta reclamant omnino, quæ ad lentiſci fructus non flores referuntur dum poſtremum ſic incipit.

Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Dicit fruges, non flores. Scillarum copia in aliquibus Apuliæ partibus maxima conſpicitur.

Effectus temporum ex Muſca, Verme, & Aranea inuentis in Glande ex Ruſticorum regulis. CAP. XXII.

Glandium qualitas.

NATVRAE opera mirabilia quidem ſunt. Quis crederet glandem ſuum cibum eſſe (Nam fagea ſuem facit obæſum, hilarem, carnem coctibilem, leuemq;, ac ſtomacho vtilem) in ſe tamen retinere portenta? ſcimus certe antiquos homines, antequam frumenti vſus eſſet: glande vixiſſe. Quare, & Poeta optimè cecinit.

Glandes hominū cibus.

Mortales primi ructabant gutture glandem.

Et

1 Et Cornelius Alexander tradit, in oppido Chyo obsessos durasse glandium victu. Sed quæ erant ex fago, tanquàm sapore dulcissimæ. Nam Glandium genera multa sunt: discriminanturq; fructu, sapore, situ, & sexu. Nam alia glandi figura est fageæ, alia quernæ, alia Iligenæ: atque inter se quoq; generum singulorum differentiæ. Aliquæ insuper sunt syluestres: aliæ placidiores, & domesticæ. Aliæ montuosæ: aliæ autem in planicie sitæ. Quædam sexu mares: quædam verò fœminæ. Quædam longiores: nonnullæ verò breuiores. Tametsi sint nonnulli, qui glande ex quercu, non ex fago, ante inuentas fruges olim homines vesci, dixerunt. Nam quercus (quæ arbor alijs similibus breuior est, & in orbem comosa, alijsq; ramorum crebro cauata; ex eo dicta, quòd Dij gentium quærentibus responsa dare soliti erant: quæ quidem annosa est, vt quercus mambrè sub qua habitauit Abraam, quæ fertur, ad Constantis Regis Imperium vsq; per multa secula durasse) glandes optimas, & maximas affert: quas quernas vocant, vnde Poeta,

Glãdium genera varia.

Quercus natura, & qualitas.

Abrahę quercus duratio.

Et discat querna pellere glande famem.

Sunt igitur plura glandium genera, sicuti & arborum: Nam sunt quercus, robur, cerrus, esculus, fagus, ilex, & suber. Omnes istæ glandiferæ quidem sunt, & omnes glandiferæ gallas, & viscum afferunt. Robur est quæreus fortissima, vnde dicitur robur metaphoricè: glandes producit paruas. Cerrus excelsissima & incultis amica: glandes producit horridas echynato calyce, vt castaneæ. Esculus ab esca dicitur, quòd his homines olim vescebantur. Fagus glandes dulcissimas profert, nucleis non absimiles, triangula cute inclusas. Duo eius genera, campestre nigrum, quod minus, montanum aliud, quod est maius, & candidum. Veteres itaq; coloni, vt anni euentus in annonæ penuria, paceq;, belloq;, ac ægritudine præsciri possit: dicunt; sub Autumno, qui incipit à vigesima tertia Septembris iuxta annum recognitum; iuxta verò veterem die tertiadecima eiusdem mensis: definitq; vsq; ad vigesimam primam Decembris his temporibus, sicuti olim ad vndecimam eiusdem mensis: tres completos menses complectens: disquirenda esse duo, vel tria glandium poma: hæc insuper discindi debere. Nam illic vnum ex his tribus animantibus reperiri manifestum erit: nempe vel Muscam, vel Vermem, vel Araneam, si Musca comperta fuerit: ingruentem eo anno litem significat. Si Vermis, fertilitatem: At Aranea pestilentiam, siue mortalitarem. Idque pro explorato veteres dicuntur habere coloni. Sed hæc superstitiosa quidem arbitraremur: nisi adessent causæ naturales. Quòd Musca ibi inuenta ingruentem litem significet, causa est perpetuus Muscæ motus, quæ nunquam quiescit: & tunc inquietior redditur, cum prædominetur à sicca elementi virtute. Ea propter signũ est futuræ siccitatis, quæ iræ est causa: quæ tandem litium. Quòd vermis ibi inuentus fertilitatem prænuntiat: causa quidem est naturalis. Nam adest ibi vermis propter cibum. Cumq; inueniat crassiorem, moratur: Habet namq; abundantem esum, propter quem moratur: & ibi habitat corrodendo totum. Ergo indicat, temporis qualitatem ad frugum abundantiam accedere, declinareque. Quòd autem Aranea ibi comperta pestilentiam siue mortalitatem indicet, ratio naturalis in promptu est: quia Aranea venenosum est animal, ac propterea in glande inuenta inficit glandem. Ergo signum est temporum status ad mortalitatem declinare. Cur autem in glande, & non in frumento id efficitur, cum frumentum sit consuetus hominis cibus? Respondetur granum frumenti non posse esse locum horum animalium capacem. Quòd si quæris, cur non in nuce, aut alijs fructibus? dicitur, nullum fructum fuisse homini vsui antequam frumenti vsus esset, nisi glandes; vt dictum est: Ideo in nullo alio significatum est, nisi in glande

Robur. Cerrus. Esculus. Fagus.

Autumni initium.

Glandiũ portenta.

Musca in glãde inuenta litẽ cur significat.

Vermis in glande inuẽtus cur fertilitatẽ innuit.

Aranea in glande cur pestem indicat.

Dubium. Responsio.

tamquam

tamquam proprio, ac communi olim homini cibo. Lege Iſidorum, & Plinium. Sed veteres Ruſtici multis, longiſque experientijs id comprobatum teſtantur. Et nos adduximus, quia ex Muſca, Verme, & Aranea ſicuti variæ deſumuntur tempo-
Dubitatio. rum mutationes, ac aeris qualitates: ita ex ipſis in glande inuentis, diuerſi temporum effectus. Quòd ſi percontaris, cur duo tantum, aut tria glandium poma diſquirenda eſſe, quæ & diſcindi debere dicunt, & non pauciora, vel plura? id certe
Reſponſio ad dubitationē. ſuperſtitione non caret. Quandoquidem determinare ſe ad ſignatum numerum: ſuperſtitionis quidem eſſe videtur. At reſpondemus, idcirco duo, vel tria tantum glandium poma diſquirenda, & ſcindenda eſſe aiunt: quoniam non in ſingulis glandibus Muſcæ, Vermes, & Araneæ inuenire poſſunt; ſed in quàmplurimis: ac ideo duo, vel tria diſquirenda eſſe dicunt, quia in vna illarum reperietur: ac propterea ſufficiunt. Quod ſi in vna fortaſſis reperiretur: ſufficit ſin autem: videatur ſecunda. In qua ſi nullum illorum aderit, diuidatur tertia: quoniam ibi inuenietur. Si verò nec in tertia, nec in quarta, & in nulla aliquod illo-
Dubium. rum reperiretur: arbitramur tempus aut fore quietum, aut dubium. At ſi cunctæ glandes vermibus, muſcis, & araneis plenæ inuenirentur, quid portenderent?
Reſponſio. Reſpondetur, ex præſuppoſitis, ſignum eſſe ſimul fertilitatis, belli, & peſtilentiæ: ſed illorum præſertim animalium, quæ talibus veſcuntur, ſignum eſſet peſtilentiæ.

Hæc ſunt, quæ de præcognoſcendis temporum mutationibus iuxta triplicem viam, cœleſtem, meteorologicam, & terreſtrem (Deo ter Maximo nobis adiuuante) ſcribere placuit. Fatemur nonnulla alia deeſſe, ſed quidem pauca: quæ ob ſimilium librorum raritatem illa inſerere minimè potuimus; quemadmodum (vt
Cocles de ventis. pro exemplo vtamur) & illud Cocles de ventis in ſuo introductorio. Venti in prima Hebdomada Auguſti menſis, ſi inter ſe contendant, qui ventus erit ſuperior, & fortior: ſignificat eundem in toto anno magis eſſe venturum, quàm alij. Hæc & alia in libello additionum adducemus: vt nihil ſtudioſo deſit. Dantur ergo laudes Deo omnium bonorum largitori, Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virgini, eius Matri laborum meorum adiutrici: Sancto Thomæ de Aquino ſtudiorum meorum protectori: & omnibus Sanctis cœleſtis curiæ amen.

Finis Tertij, et vltimi Libri.

Imprimatur. Petrus Antonius Ghibertus Locumtenens.

M. Cornel. Tiroboſcus Præd. Ord. Curiæ Archiep. Theol.

SVMMA CAPITVM PRIMI LIBRI.

Vn De na-

Summa

Summa capitum secundi Libri.

Summa capitum tertij Libri.

INDEX.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM

QVAE IN OPERE CONTINENTVR.

A

Arietis

Ex

Ful-

L

M

Parc-

I N D E X.

Pio.

Solis

INDEX.

T.

Tempus

e3

AVTHORES IN OPERE CITATI.

A

Abdilazus Arabs.
Abraham Auenezre
Albertus Magnus.
Albumasar.
Alchabitnes.
Algazel.
Alacenus.
Alphonsus Rex.
Ammianus.
D. Ambrosius.
Anaxagoras.
Anaximenes.
Apuleius.
Archilocus poeta.
Aristarcus samius.
Aristoteles.
Aratus.
Arnoldus.
Athæneus.
Auerroes.
Auicenna.
Auenzoar.
Aelianus.
Almansor.
Archimedes.

B

D. Basilius.
V. Beda.
Bernardus de Gardonio.
Boetius.
Bridefertus Ramesiensis.
Biblia.

C

Cabellinus.
Calesthenes.
Callistenes.
Calippus.
Carellus.
Cocles.
Columells.
Conciliator Constantinus.
Conradus Vuimpina.
Cælius calcagninus.
Cæsar.
Cedrenus.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Cornelius Alexander.
Concilium Nicenum.

D

D. Damascenus.
Daniel.
S. Dauid Propheta.
Democritus.
Diodorus siculus.
Dioscorides.
Dositheus.

E

Ecphantus.
Eduoardus vurigthus.
Ephestion Thebanus.
Eudoxus.
Esaias Propheta.
Euctemonus.

F

Flauius Iosephus.
Federicus Bonauentura
Firmicus.
Franciscus Barocius.
Franciscus Bordinus.
Franciscus Sirigattus.
Freigius.
Fulgentius.

G

Galenus.
Gemma frisius.
Gerardus.
Guido Bonatus.
Glossa.
Gulielmus Casanatus.
Gulielmus Gilbertus Colcestrensis.

H

Haly rodoan.
Heluiccus Theutoricus Ord. præd.
Heraclides Ponticus.
Hermes.
Hipparcus.
Hippocrates.
Hieronymus Cardanus.
Horatius poeta.
Hieronymus Mercurialis.

I

D. Io: Chrisostomus.
Io: Regiomontanus.
Io:Stœphlerinus.
Io:Iouinianus Pontanus
Io:Hyspalensis.
Io: Vuernerus Noricus.
Io:Eschuidus.
Io:de Saxonia.
Io: Nouiomagus.
Io:de S.Geminiano ord. pręd.
Io: Baptista de Porta.
Io: Andreas, I.C.
Io: Alexandrinus.
Io: Tzezes.
Io: Cofteus.
Io: Villanus.
Iosue.
D. Isidorus.
Io:Antonius Maginus.

L

Leupoldus.
Lexicon.
Lineoniensis.
Liuius.
Lucas Guaricus.
Lucas de Penna I.C.
Lucretius.
Lucanus poeta.

M

Macrobius.
Maternus.
Messahalac.
Meeton Acticus.
Metrodorus.
Moises.
Moletus.

N

Nicander.
Niceta Siracusanus.
Nicolaus Copernicus.
Nicolaus Leonicus.
Nigidius.
Nebrissensis.

O

Omar.
Olimpiodorus.
Ouidius poeta.

P

Pausanias.
Petrus Appianus.
Petrus Apponensis.
Petrus Gillius.
Pierius Valerianus.
Philolaus.
Phoerecidus Sirus.
Pitatus.
Pindarus.
Plinius.
Pontanus.
Possidonius.
Plato.
Plutarchus.
Proclus.
Ptolemæus.

Q

Quintilianus.

R

Raphael Volaterranus.
Rehinoldus.

S

Salomon.
Strabo.
Stadius.
Solinus.
Schonerus.
Secundus philosophus.
Seneca.
Stephanus Bizantius.
Suetonius.

Suidas

Suidas.	Theodorus.	Vincentius Beluatensis Ord. Præd.
Υ	Ticho Brahe.	Vincentius Pinellus.
Teucrus Babylonius.	Thimon.	Virgilius poeta.
Theocritus.	D. Thomas Aquinas.	Vitellio.
Theon Alexandrinus.	V	Vitruuius.
Theophilus.	Valens Antiochenus.	
Theophraſtus.	Varro.	

Candido Lectori Salutem.

Videat Author, ſeu corrector oculis lynceis, ſeu argi, errata, quæ in librorum editione obrepunt, & corrigat, quia nihil, aut parum efficiet, impreſſorum incuria; Cum omni oſcitantes inſpiciant: & delenda minimè deleant, & expungenda haud expungant, ac adijciunda minimè adijciunt; ita vt in hoc, & ſimili impreſſionis genere, magna patientia vti, neceſſe eſt. Hæc pauca excerpta ſunt labore, & induſtria R. A. P. Magiſtri F. Donati de Caſerta, reliqua vero lectoris iudicio corrigenda relinquimus: præſertim ea quæ in poſtillis, & in marginibus inciderunt.

Errata.	Pagina.	Linea.	Corretta.	Errata	Pagina	Linea	Correcta
dictum	3	22	dictum	euaculans	205	47	eiaculano
poſſe	4	43	poſſit	trattum	207	43	tractatu
inde	9	19	in dè	micauerit	216	42	micauerint
octauit	9	29	octauæ	propterea	217	7	propterea
fuerit	9	35	fueris	quator	222	24	quatuor
grutas	10	37	guttas	rex	223	34	res
quandoquidem	12	28	quà loquidem	dixerit	231	9	dixerit
Quod	3	5	Quod	re	231	25	ne
faretur	13	25	fatetur	petito	231	25	petitio
grandibus	19	38	grandinibus	refractie	241	12	refractiò
acris	20	8	aereis	noodum	241	38	nondum
conptionem	24	32	corruptionē	iepis	241	40	lapis
inueintibus	27	8	intuentibus	verſu	242	23	curſu
nulla	34	49	multa	inma	252	44	infima
cotinet	43	24	continet	tempus	255	4	temperatus
ſud	47	22	ſub	ventus	255	7	ventis
præcipuo	50	10	præcipuo	principium	261	26	principum
noxo	50	49	noxio	tetræ	266	36	terræ
Satuini	57	13	Saturni	notat	269	33	nota
tetragonus	57	28	tetragonis	obſcuritatem	269	38	obſcuritate
trigonus	57	29	trigonis	verti	275	9	venti
breciori	61	32	breuiori	metenorum	275	46	meteororum
oriyontis	61	37	orizontis	ſir	290	38	ſit
aſcedentes	62	21	aſcendentes	aſſimulatio	290	42	aſſimulatio
longitudinam	62	28	longitudinē	octaua	291	32	octauam
imbelliores	64	17	imbecilliores	multo magneticū	292	4	multo magis magneticum
gemitorum	69	47	geminorum	qui	298	38	quæ
nobiles	75	19	nobiliores	illo ſtabllitate	301	26	illa ſtabilitatem
inteuuallo	79	8	interuallo	cerationem	302	42	creationem
ſtellaurum	81	20	ſtellarum	præſepe	307	20	perſæpe
nec ceſſum	83	16	neceſſum	olis	307	30	ollis
donet	83	45	donec	aquam	307	39	aqua
pluries	8	4	pluuias	aere	307	40	aer
vade	83	12	valde	cui	307	41	qui
digrebitur	85	35	digreditur	ferè	308	1	fore
ceceſſe eſt	87	20	neceſſe eſt	ſcintillantque	308	6	ſcintillamque
inerrautium	97	45	inerrantium	la lauant	311	35	lauant
borueales	98	5	boreales	ſingulta	313	9	ſingulru
otitur	112	36	oritur	mamè	313	42	maximè
cædem	118	31	ædem	coadens	317	24	condens
exoritu	189	24	exoritur	.a	320	7	in
horum	192	4	harum	volar	322	44	volat
grutis	194	6	guttis	ignem	322	16	igneam
nociter	198	26	nouiter	ſperat	327	26	ſpirat
epheridibus	198	36	ephemeridibus	circūcurſatio tione	331	6	circumcurſatione
ignem	202	9	igneam	induxu	332	30	influxu
aerem	202	21	aeream	vtuntur	338	43	vruntu

VIDI, & perlegi ea diligentia qua potui, sed cum maxima mei animi voluptate opus insigne in tres libros digestum R. A. P. F. Pauli Mineruæ Barensis nostræ Prouinciæ Regni Ordinis Præd. Theol. doctissimi, cuius titulus est, De præcognoscendis temporum mutationibus iuxta triplicem viam cælestem, Metheorologicam, & Terrestrem libri tres. Opus sanè omnium personarum ordinibus, per quam necessarium, varia scientia refertum, concinnis verborum structuris perornatum, in quo admiratus sum & Authoris ingenium, & indefessos labores quos pro publica vtilitate assidue desumit, cum quo Rerum naturalium tractatum ad Aristotelis aures, etiam perspexi eruditissimum in vniuersam eius naturalem Philosophiam. Cumque vtrumque nulla erroris labe infectum, nec fidei nec morum inuenerim, prælo eudendum dignum iudicaui ex meorum superiorum commissione. Datum Neapoli in Conuentu Sancti Dominici die 1. Decembris 1607.

Frater Seraphinus S.T. M. manu propria.

TRactatus rerum naturalium Peripatheticus R. A. P. F. Pauli Mineruæ Barensis Sacræ Theol. Mag in vniuersam Aristotelis naturalem Philosophiam mira verborum contextura elaboratus, profundaque sententiarum doctrina limatus, maxima cum diligentia superiorum meorum iussu, à me inspectus, & examinatus: nihil in eo inueni, quod vel fidei, vel moribus sit aduersum, vel quod Sanctissimi Doctoris nostri D. Thomæ Aquinatis doctrinæ deroget Sed cuncta concisè, profundè, & clarè ita digreditur, vt omnia naturalis fere doctrinæ volumina in vnum congerere videatur, ad faciliorem adolescentum eruditionem, atque lectorum profectum. Quemadmodum & opus insigne de præcognoscendis temporum mutationibus in tres libros distinctum. Quapropter dignum prælo excudendum utrumq; arbitror. Datum Neapoli in nostro Regio Conuentu Sancti Dominici die 19. Ianuarij 1610.

Ita est. Frater Ioannes à Montecoruino Sacræ Theologiæ Magister manu propria.

Nos Fr. Augustinus Galaminius Brasichellensis, S. Theol. professor, ac Totius Ordinis Præd. humilis Mag. General. & seruus.

TRactatus duos quorum vni titulus est de præcognoscẽdis temporũ mutationibus iuxta triplicem viam, cælestem Metheorologicam, ac terrestrem, libri tres: alteri vero, Tractatus rerũ naturaliũ Peripatheticus in vniuersam Arist. Philosophiam à R.P. Fr. Paulo Minerua Barense S. Theologiæ Magistro eiusdem Ordinis compositos, & iuxta decreta tam Sacri Concilij Tridentini, quàm nostri Ordinis à præfatis RR.PP. Theologis diligenter visos, recognitos, & approbatos, quantum in nobis est, licentiam, & facultatem præsentium tenore nostri authoritate officij concedimus, vt typis excudi, & in publicum commodum euulgari possint. Quibuscunque in contrarium nõ obstantibus. In quorum fidem præsentes fieri fecimus, Sigilloque Officij nostri munitas, manu propria roborauimus. Datum Neapoli in Regio nostro Conuentu S. Dominici die 30. Ianuarij 1610.

F. Augustinus Gallaminius, qui supra.

Assumptionis nostræ anno secundo.

Loco sigilli.

Registr. folio 17.

F. Thomas Marinus Mag. & socius.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy:

Omnes sunt duerniones, præter Yy, qui est simplex.

F. 50.